FRATRIS

PETRI MARIÆ GAZZANIGA

ORD. PRÆD.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

HABITÆ

IN VINDOBONENSI UNIVERSITATE

NUNC VERO METHODO DISPOSITÆ

EMENDATÆ ET AUCTÆ

ACCEDIT TRACTATUS DE SACRAMENTIS EJUSDEM AUCTORIS

TOMUS SECUNDUS

DE DEI ESSENTIA ET ATTRIBUTIS, DE VISIONE, SCIENTIA, VOLUNTATE, PRÆDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

BASSANI 1831.

SUIS TYPIS REMONDINI

EDIDIT

PRÆFATIO

SACRÆ THEOLOGIÆ STUDIOSIS

Mirabar sæpe, ac sæpe alios mirantes audivi, Sacram Theologiam, quæ olim tanta erat apud omnes in æstimatione, ut scientiarum omnium Princeps communiter appellaretur, ita esse nostris temporibus e sublimi suo gradu quasi delapsam, ut pene despicatui, et quasi odio a plerisque habeatur. Non me latet, ineptis, frivolis, atque inutilibus multorum Scholasticorum lucubrationibus, tum incultæ, ac barbaræ plurimorum dicendi rationi, ac denique rixosis illis, quæ Scholas Catholicas inter se diviserunt, altercationibus dejectam divinæ hujus scientiæ fortunam ejusque hodiernum contemptum tribui solere. Sed cum privatæ hæ sint Theologorum, et ne quidem omnium, culpæ, nulla ratione adduci possum, ut credam, hac solum de causa tantam rei mutationem fuisse invectam; præsertim, quod videam, omni ætate graves, sapientissimosque Theologos floruisse, qui sacram hanc scientiam accurate, copiose, atque eleganter pro dignitate excoluerunt. Vereor autem (ut libere dicam, quod non sine dolore jamdiu in corde premo), vereor, ne languescens hoc infelici nostro ævo Religionis amor, ne hodie dominans venerandæ antiquitatis fastidium, ac nimia rerum innovandarum libido plerisque in causa sit contemnendi hanc nobilissimam scientiam, cujus scopus est, prisca divinæ revelationis dogmata proponere, accurate explicare, solide confirmare, atque ab objectionibus vindicare. Et sane, cum majorum nostrorum ætate perniciosissima Novatorum pestis erupit, statim a dejicienda, contemnendaque Theologia initium factum est. Quanquam vero nonnisi in vanam illam, otiosamque Scholasticam, quæ eo tempore dominabatur, hæreticorum tela directa esse videbantur, oblique tamen, et quasi per latus vera etiam, et purissima Theologia una cum Ecclesiæ Patribus impetebatur.

Quorum temporum calamitas cum mihi ante oculos obversatur, et cum simile plane bellum Theologiæ indici nunc videam, nonne jure, meritoque suspicer, ex iisdem plane principiis nauseam illam oriri, qua nonnulli etiam tunc Theologiam stomachabantur? Et cum tanta ubique diffusa sit pestilentissimorum librorum colluvies, quanta unquam superioribus temporibus visa fuit; quis mecum non timeat, e lutulentis his veluti fontibus religionis odium non minus, ac Theologiæ cum ea conjunctissimæ vilipendium oriri? *Connexæ quippe sunt*, observat doctis-

ctis-

ctissimus Melchior Canus Lib. VIII. *de locis theol.* cap. 1., *ac fuere semper post notam scholam scholæ contemptio, et hæresum pestes*. Neque enim Theologia condemnari, vel flocci fieri potest, quin omnia simul veterum Patrum opera polemica, quibus pro Religionis nostræ veritate, ac puritate tuenda tanto labore insudarunt, vilipendantur, ac condemnentur. Quid enim aliud sanctissimi illi viri suis libris præstiterunt, quam nostræ Ecclesiæ dogmata, qua majori poterant perspicuitate fidelibus proponere, eademque contra fallaces hæreticorum interpretationes operose tueri? In quibus duobus tota fere Theologiæ dogmaticæ summa consistit (*a*).

At illi quidem non de omnibus fidei nostræ mysteriis universe, atque ordinate egerunt; sed singillatim nunc de hoc, nunc de illo, prout se occasio offerebat hæreses vel recens ortas, vel eorum temporibus grassantes refellendi, atque extirpandi; alia vero fidei nostræ capita, quæ ab hæreticis non impugnabantur, levius, ac veluti perfunctorie attingebant (uno fortasse excepto Origene, qui in suo opere *de principiis* omnia Christianæ Religionis elementa complecti voluit, sed valde infeliciter, ut omnes norunt). Quo factum est, ut ex eorum tam multis, tam variis, tamque spissis voluminibus nonnisi ægerrime, ac longissimo tempore posset quis ad plenam doctrinæ nostræ scientiam pervenire, eamque a multis, variique generis hæreticorum corruptelis expurgare: proindeque sacræ Theologiæ studium vel ipsis doctioribus esset difficillimum, novitiis autem impossibile, nisi aliqui summi viri post Joannem Damascenum, Anselmum, aliosque paucos universa Religionis dogmata multis sacris voluminibus dispersa in unum veluti corpus redigentes, rectaque methodo disponentes, confirmantes, vindicantes, planam, tutamque ad divinam sapientiam acquirendam, viam stravissent.

Quinam vero fuerunt isti summi viri de litteris sacris, de ipsaque Religione adeo benemeriti, nisi ingeniosi illi, acuti, et doctissimi Scholastici, ita appellati, quia Religionis dogmata ex priscis Ecclesiæ monumentis collecta ad Scholæ usum accommodarunt, et omnia simul unita tali ordine disposuere, ut unum ex alio flueret, extrema mediis nativo quasi nexu conjungerentur, ac difficultates, quæ pene ubique nec paucæ occurrunt, nec leves, quod fieri poterat, sustulerunt? Qua quidem in re efficienda Philosophiam etiam in subsidium vocare minime dubitarunt; quod ab ipsis sanctis Patribus tam Græcis quam Latinis, Gregorio præcipue Nysseno, et Augustino, factum esse viderunt, dum ille Arianorum, hic vero Pelagianorum, Donatistarum, ac omnium fere hæreticorum argutas, cavillosasque subtilitates detegere, atque explodere voluerunt. Ii inquam Scholastici, qui apud imperitum sciolorum vulgus tam male audiunt, a doctis etiam quandoque plus æquo reprehenduntur, ab hæreticis vero tot dicteriis, contumeliis, et maledictis proscinduntur.

Quid ergo? inquiet aliquis; iterumne ea Scholasticorum volumina, quæ modo in

(*a*) Athenagoras in lib. *de resurrectione mortuorum* (ad calcem operum Sancti Justini) sapienter monebat, iis, qui operam in tradenda Religione ponunt, *duplici opus esse sermone, altero pro veritate, altero de veritate; pro veritate quidem adversus incredulos, aut dubitantes, de veritate autem ad eos, qui æquo sunt animo, & veritatem libenter suscipiunt*. Et Sanctus Gregorius Nazianz. orat. XXIX. (al. XXXV.) *Porro*, inquit, *cum omnis sermo duplex sit, alter, quo dogmata nostra confirmamus, alter, quo adversarios subvertimus, nos quoque posteaquam doctrinam nostram exposuerimus, ita demum adversariorum placita confutare, ac profligare conabimur*.

in bibliothecis sepulta cum tineis, blattisque luctantur, in scenam revocabuntur, atque excusso pulvere manibus studiosæ juventutis iterum legenda tradentur? Iterum horrida illa styli barbaries in scholis regnabit? Iterum tot inanes, atque infinitæ eorum quæstiones ingenia adolescentum torquebunt? Illæ, inquam, quæstiones, quas homines cordatiores semper improbarunt, et quas ipsi summi Pontifices Joannes XXII., et Gregorius IX. non semel ut inutiles, imo et Religioni perniciosas, a Catholicis Academiis exulare voluerunt?

Absit a me, absit omnino tanta insania, ut contentiosam illam, profanam, inutilem Scholasticam collaudem, quæ Beato Rhenano, Desiderio Erasmo, et ante istos Cristophoro Gregoræ, aliisque pluribus Theologiam reprehendendi ansam aliquam suppeditavit; quanquam et isti nullum criminandi finem facientes justæ vituperationis finem prætergressi mala simul cum bonis, utilia cum vanis, et cum zizaniis triticum eradicare voluerunt. Potius audiendus sapientissimus Canus, qui libro VIII. *Locor. Theol.* cap. 1., et seq. media via incedens, et vanam illam Scholasticen merito contemnit, quæ *detracta Scripturæ auctoritate, syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur*; neque Theologos, ac ne Scholasticos quidem eos appellari vult, *qui sophismatum fæces in Scholam inferentes et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum*. Simul tamen eam scholasticam Theologiam summopere laudat, quæ vitiis declinatis de Deo, rebusque divinis, qua decet gravitate, et modestia tractat; quæ primo divinæ revelationis certissima principia ponit, ex iis autem claras, atque apertas conclusiones justo elicit ratiocinio; quæ certa a dubiis, vera a falsis, dogmata religionis ab opinionibus hominum accurate distinguit.

Quod si aliquando etiam rationem, sanamque Philosophiam in subsidium advocat, iisdem utitur tanquam ancillis ad mysteria fidei illustranda; non autem eisdem obtemperat veluti dominis, quasi inde pendeat suorum dogmatum veritas. Imo plerumque dialecticas subtilitates non alio fine adhibet, quam ad detegendas, ad refellendas hæreticorum technas, et sophisticas ratiocinationes. Hæc est illa scholastica Theologia, quam laudamus. Talibus Scholasticis, inquit Canus, nonnisi hæretici infensi esse possunt, *quod intelligant, catholicam fidem, quam expugnare moliuntur, horum studio, doctrinaque muniri. Agnoscunt sane lupi canes, eosque odio prosequuntur, et Scholæ nomen istis invisum est, quæ lupos arcet a gregibus, et eorum insidias porro cavet.*

Sed cui bono, inquiunt Scholasticæ osores, pertinaces illæ, et perpetuæ concertationes, quibus Juvenum ingenia acuuntur quidem, sed simul etiam ad cavillandum assuefiunt, ut nunquam acquiescant? Experientia ipsa ostendit, nihil aliud istis disceptationibus dominari, quam detestabilem illam rixandi libidinem, et puerilem ingenii ostentationem, quam S. Augustinus Lib. 2. *de Doctr. Christ.* cap. 31. Tom. 3. maximopere cavendam esse, præcipiebat. Hinc illæ Catholicorum factiones irreconciliabiles; imo verius theologica schismata; hinc variæ, et inter se acerrime pugnantes Scholæ; hinc convicia, hinc dissidia, hinc turbæ, quibus unitas christiana scinditur, et mutua persæpe charitas gravissime læditur. Facile enim disputationes, quæ pacificæ primum videbantur, in clamorosas vertuntur altercationes; unde postea lites, jurgia, atque etiam odia nascuntur. Iste, inquiunt aliqui, plerumque est theologicarum quæstionum exitus: isti Scholasticæ disciplinæ fructus.

Verumtamen hæc omnia non Theologiæ Scholasticæ *fructus*, sed vitia Scholasticorum appellari debent, a nobis omni studio cavenda: a nobis præcipue, qui

S.

S. Thomæ Aquinatis discipuli vocamur, et esse gloriamur; illius inquam Ecclesiæ Doctoris, quem non ita pridem sapientissimus Pontifex Benedictus XIV., ut perfectum christianæ moderationis in disputando exemplum singulari cum elogio Theologis proposuit. Postquam enim in sua Constit., quæ incipit *Sollicita, et provida* VII. idus Julii 1753. optimas disceptandi regulas præscripsit, ita pergit: „ Angelicus scholarum princeps, Ecclesiæque Doctor S. Thomas Aquinas, „ dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit „ Philosophorum, Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere „ debuit. Ceteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adver„ sariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes „ officiose, ac perhumaniter demereri; nam si quid durius, ambiguum, obscu„ rumve eorum dictis subesset, id leniter, benigneque interpretando, emolliebat, „ atque explicabat. Si autem religionis, ac fidei causa postulabat, ut eorum sen„ tentiam exploderet, ae refutaret, tanta id præstabat modestia, ut non minorem „ ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. „ Qui tam eximio uti solent, ac gloriari Magistro (quos magno numero esse, „ pro singulari nostro erga ipsum cultu, studioque gaudemus), ii sibi æmulan„ dam proponant tanti Doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque „ adversariis agendi, disputandique rationem.“. Quibus saluberrimis monitis, si ut par est, obtemperemus, atque omni seposito partium studio, uno duntaxat veritatis amore ad disputandum accedamus, quis non videat, quot, et quanta sanctissima Religio emolumenta debeat reportare? Ut scilicet collatis inter se Theologorum laboribus tenebræ dissipentur, et lux veritatis nitidior, et purior oculis Fidelium appareat.

Sed vana hæc sunt desideria, iterum clamant adversarii, inanis hæc spes, quam longo rerum usu frustratam esse videmus. Quid enim, quæso, profuerunt innumeræ illæ hactenus excitatæ, subtiliterque discussæ, nondum tamen solutæ inter ipsos Catholicos quæstiones? Quid tot illæ summorum virorum concertationes, quæ initio Lutheranæ pseudo-reformationis ad pacem, atque unitatem redintegrandam in Germania habitæ sunt? Quid illa colloquia *pacifica* appellata, in quibus discordia semper triumphavit? Quid tandem immensa illa controversiarum volumina, quibus bellum continuatum est, et nulla superest pacis recuperandæ spes? Ita nostræ Theologiæ osores.

At vero etsi negari non potest, Deo ita permittente, nonnunquam evenire, ut ex disputationibus scholasticis non illud reportetur emolumentum, quod sperabatur, nemo tamen inficias iverit, sæpius ex iisdem magnam pro religione derivari utilitatem; nam *disputationis disciplina*, inquiebat supra laud. Augustinus, *ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt penetranda, et dissolvenda, plurimum valet*. Neque desunt exempla haud pauca, vel obscura, tam vetera, quam recentia, quibus ostendatur, disputationum ope fuisse repertam ab ignorantibus veritatem, erroresque eliminatos, vel saltem fraudibus ac sophismatibus hæreticorum detectis, fuisse vacillantes confirmatos. Quæ utilitas haud exigua est, ut enim scite inquiebat Lactantius Lib. 5. *div. Inst.* c. 1., si pertinaces lucrari non possumus hæreticos, nostros saltem *confirmabimus, quorum non est stabilis, ac solidis radicibus fundata, et fixa sententia* (*a*).

Quam-

(*a*) Eusebius lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 24. fragmentum affert Sancti Dionysii Alexandrini referentis, se in Arsinoitica præfectura tres continuos dies coram Presbyteris, ac Doctoribus,

Quamquam infaustus hic, quem non inficiamur, sed plus æquo aliqui exaggerant, theologicarum disputationum exitus, omnes, quotquot Christiano nomine censentur, admonere deberet de necessitate alicujus vivi, atque infallibilis controversiarum fidei judicis, cujus supremæ potestati litigantes omnes humiliter fasces submittere debeant, sine quo nullus erit litium, ac controversiarum etiam de rebus gravissimis finis. Sed id obiter, quoniam in superiore libro hac de re actum est satis.

Dissimulare tamen hoc loco non possum insignem quorumdam Protestantium contra nos, putidamque calumniam, nos scilicet ad Ecclesiæ auctoritatem, quasi ad sacrum asylum confugere, quia viam examinis, ac discussionis fatalem Ecclesiæ Romanæ esse sentimus. Putida, inquam, est hæc calumnia, cui refellendæ satis est in memoriam eorum revocare aliquos saltem ex multis, et præclaris illis Catholicæ Religionis Apologistis, qui contra Lutherum, Calvinum, eorumque asseclas in arenam descenderunt, causamque Dei in omnibus tunc excitatis controversiis strenue, feliciterque tutati sunt, quorum agmen ducit celebratissimus Melchior Canus (*a*) Dominicanæ Familiæ decus; quem postea secuti sunt Card. Rob. Bellarminus (*b*), Mart. Becanus (*c*), Jacob. Gretserus (*d*), aliique Controversistæ; inter quos magnum sibi nomen compararunt duo fratres, scientia, pietate, et dignitate Episcopali pares, Adrianus, et Petrus de Walenburch (*e*), Franc. Veronius (*f*), Bar-

aliisque Fratribus de Millenariorum doctrina disputasse, ejusque disputationis hunc fuisse exitum, ut Coracius, qui hujus doctrinæ auctor, & signifer fuerat, se convictum fateretur. Vide pag. 114. in not. Aliud exemplum addere possumus, quod de seipso refert Sanctus Gregorius Papa lib. XIV. *Moralium*, scilicet Eutychium Patriarcham Constantinopol. an. 582. coram Imperatore Orientis Tiberio II., seu Constantino fuisse disputando adactum ad errorem de corporibus Sanctorum, quæ diversi generis futura post resurrectionem prædicaverat, deponendum. Alia ejusdem generis in *Hist. Eccl.* etiam recentioris ætatis commemorantur: cujusmodi fuit celebris collatio inter Bossuetum, & pseudo-ministrum Claudium, quibus facile revincuntur ii, qui disputationes polemicas de religione non solum ut inutiles, sed plane ut perniciosas eliminandas esse volunt; ut Mich. Montagne in suis *Essais* L. III. c. 8., & Petrus Bælius frequenter in impio suo *Dictionario*. Contra quos videri etiam potest Jo. Fecht Lutheranus in Diss. *de studio Theolog. Polem.* ubi multo plures enumerat harum disputationum hostes; & tales plerumque sunt Arminiani, aliique *Tolerantes*, vel *Indifferentistæ*, quos mirum non est, theologicis disputationibus bellum indicere, ut pacificus regnet Indifferentismus.

(*a*) Notum omnibus est ejus opus non minus elegans, quam solidum *de locis theologicis* in 12. libros distributum, cujus elogia videri possunt in ejus *vindicationibus* a P. Hyac. Serry adornatis c. 1.

(*b*) In primo, & secundo Tomo *de controversiis Christianæ fidei*.

(*c*) In Tract. *de Judice controv., an Scriptura sit, an potius Ecclesia?* Et in Apologia *de judice controv.*

(*d*) Multa hic fœcundissimus Scriptor edidit contra Lutheranos, quorum *malleus* appellatus fuit; sed ad rem nostram maxime pertinet ejus Dialogus inscriptus *Bavus, & Mævius de judice controversiarum*.

(*e*) Patria erant Rotterodamenses, sed Coloniæ vitam degerunt, pluribus disputationibus, & scriptis polemicis clari, quæ duobus volum. in folio Coloniæ prodierunt anno 1670. Potissimum laudatur eorum *Methodus Augustiniana*, in qua apertissime ostenditur, Protestantes, si suis principiis inhærere velint, nullo modo posse *via examinis* demonstrare veritatem suorum dogmatum, & falsitatem nostrorum. Eorum *Tractatus de controversiis generales contracti* recusi sunt Vindobonæ an. 1778.

(*f*) Hic edidit Gallice *Le méthode de traiter les controverses de la Réligion*, quæ fuit a Clero Gallicano inserta inter methodos convertendi pseudo-reformatos. Eum tamen præcesserat

Bartholdus Nihusius (*d*), P. Valerianus Magnus Cappucinus (*b*), Jo. Fischerus (*c*), Episcopus Roffensis Cardin. Jacob, David du Perron (*d*), alter Cardinalis Joann. Armandus de Richelieu (*e*), Paulus Pelissonius (*f*), Isaac Papinus (*g*), Petrus Nicolius (*h*), Jacob. Benignus Bossuet (*i*), Anton. Arnaldus (*k*), Card. Vinc. Gotti (*l*), aliique bene multi, quorum opera

Deo

Jo. Conterius, seu Contierius in Opere *La vrai procedure, pour terminer le different en matiere de la Religion*.

(*a*) Hic a Lutheranis castris ad sinum Matris Ecclesiæ Rom. conversus est an. 1622., & multis libris contra Acatholicos pugnavit, præcipue vero *in arte nova dicto Sacræ Scripturæ unico lucrandi e Pontificiis plurimos &c.*, ubi ironice provocat protestantes, ut si Catholicos ad se trahere velint, aperta proferant Scripturarum testimonia, quibus sine consequentiis, aut ratiociniis sua dogmata stabiliant. Vix dici potest, quot tumultus hic liber apud Protestantes excitaverit.

(*b*) De scriptis hujus celebris Cappucini vid. Lucas Wadinghus *in Bibl. Script. Francisc.* & P. Jo. a S. Antonio *Bibl. univ. Franc.* T. 3., præter Dupinium *Table des Auteurs Eccl. du Siecle XVII.*

(*c*) Hujus Sancti Episcopi, qui pro defensione Primatus Pontificii fuit ab Henrico VIII. Rege Angliæ capite damnatus, opera varia solide, & accurate scripta edita sunt uno volum. in fol. Viceburgi 1598.

(*d*) Is a secta Calviniana, in qua natus, & educatus fuerat, ad Sacra Romana transiit, fuitque magnus catholicæ fidei defensor, multosque errantes suo exemplo, suaque eximia doctrina ad eam reduxit, ac inter alios celebrem Henr. Spondanum. Ejus opera Parisiis impressa sunt 1620. tribus volum. in fol., in quorum secundo ea continentur, quæ de characteribus Ecclesiæ Catholicæ cum Jacobo Britanniæ Rege disputavit.

(*e*) Armandus Jo. du Plessis Richelieu pro extirpatione Calvinismi multa & fecit, & scripsit; ad hanc autem nostram materiam spectat *Traité qui contient la methode la plus facile, & la plus assurée, pour convertir ceux, qui se sont separés de l'Eglise.*

(*f*) Diu in Calviniana secta profanarum scientiarum laude floruit; post autem sacris studiis sedulo incumbens viam veritatis Deo adjuvante cognovit, elegit, imo & defendit. Inter alia ejus opera illud laudatur, cui titulum fecit *Reflexions sur les differents de religion* &c. vol. 4. in 12.

(*g*) Postquam in communione pseudo-reformata diu ministerium exercuerat, ejus erroribus ejuratis professionem fidei Catholicæ coram Episcopo Bossueto emisit an. 1690., & biennio post librum suum edidit inscriptum *De la tolerance des Protestans, & de l'autorité de l'Eglise;* qui liber secundis curis post ipsius mortem prodiit cum hoc titulo *les deux voies opposées en matiere de religion, l'examen particulier, & l'autorité.*

(*h*) Ex fertilissimo hujus Scriptoris calamo plurima prodierunt pro defensione Catholicæ Religionis contra Calvinistas, adeo solide, & acute scripta, ut teste Bælio palmam ceteris eripuisse videatur. Ad rem nostram faciunt, quæ in quinque parvulis voluminibus continentur sub hoc titulo *œuvres de controverse de M. Nicole* Parisiis 1755.

(*i*) Nemo magis fuit inter recentiores de Religione meritus, quam illustrissimus Bossuetus, cui in hac re primo debemus *Expositionem doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ*, ut viderent Acatholici, quænam essent legitima, & sincera Ecclesiæ nostræ dogmata, quænam privatæ Theologorum opiniones, & quænam nobis a Novatoribus falso afficta. Magnum ex hoc opere cœpit emolumentum Catholica religio; sed adhuc majus ex alio ejusdem libro, qui continet *Historiam variationum Ecclesiarum Protestantium*. Celebre etiam fuit ejusdem Episcopi *Colloquium cum Jo. Claudio Ministro Charentoniano*, quo nobilis Matrona in fide confirmata fuit.

(*k*) Ant. Arnaldus innumeris pene varii generis scriptis, suisque disputationibus, ac factis longe notissimus, multa edidit contra Acatholicos opera contenta in tertia classe novæ Collectionis, quæ Lansannæ nuper facta est 1778.

(*l*) Insignis hic, ac locupletissimus Scriptor, non solum Dominicanum Institutum, cujus alumnus fuit, sed etiam Purpuram Cardinalitiam, ad quam evehi meruit, plurimum exornavit. *Catholicæ Christi Ecclesiæ veritatem* egregie defendit tribus voluminibus contra vanos Jac. Picenini triumphos 1719. Post autem anno 1734. confutavit Jo. Clericum in lib. *De eligenda inter dissidentes Christianos sententia*. Addidit præterea integræ *Theologiæ Scholasticæ*, ac *dogmaticæ* cursum, aliudque opus admodum commendandum *De veritate religionis adv. Atheos, Polytheos, Idololatras, Mahumetanos, & Judæos*.

Deo benedicente inutilis omnino non fuit; fugatis enim primis illis tenebris, quas rei novitas, et prima confusio induxerant, et principiis Catholicorum solidioris Theologiæ ope debita in luce collocatis, non pauci omnium ordinum ad veram fidem redierunt; aliique in ea validius sunt confirmati. Atque hi fuerunt veræ Theologiæ fructus; quos nunc etiam sperare possumus, si divinam hanc scientiam, qua par est, sedulitate, ac diligentia excolamus, ut non vulgares, et ut dici consuevit, solo capite censi, sed veri nominis, atque præstantes, quales religio sancta expostulat, Theologi efformentur.

Ad id autem non pauca, nec levia requiruntur, ex quorum neglectu theologicæ disputationes pro vera, puraque Religione servanda minus inutiles certissime futuræ sunt. Ac primo quidem Theologo necessariam esse dico non mediocrem linguarum græcæ, et hebraicæ peritiam; ut si opus sit, et cum Judæis, qui V. T. hebraicos fontes nobis perpetuo objiciunt, et cum Heterodoxis, qui nostrum vulgatum Interpretem recipere nolunt, justo marte congredi, et disputare valeat. Etenim sine istarum linguarum subsidiis ad omnes adversariorum difficultates, utut levisimas, hærebit, frustraque ad nostra Biblia eos provocabit, si ea a primigenio textu deficere cavillose contendant.

Neque vero in solis publicis certaminibus, quæ raro contingunt, sed et in domesticis ipsis disputationibus, atque in privatis etiam studiis hujusmodi linguarum subsidia necessaria esse, nemo negaverit, nisi qui nobiliores Scripturarum Interpretes nec a limine salutaverit. Facile enim erit ab illis discere, quanta sit utilitas, quandoque etiam necessitas primigenios textus consulendi, ad sensum nostræ vulgatæ Scripturæ plene cognoscendum, et confirmandum. Quamobrem Sanctus Augustinus Lib. II. *de Doctr. Christ.* cap. 11. sapienter statuit, nos præter latinam linguam *duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habere, hebræa scilicet, et græca; ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas*. Et S. Hieronymus epist. 28. ad Lucinium Bæticum: *ut veterum*, inquit, *librorum fides de hebræis voluminibus examinanda est, ita et novorum græci sermonis normàm desiderat;* quam regulam ipse imprimis secutus est, atque exemplum posteris imitandum reliquit.

Et quanquam non inficior, nihil fere esse ex difficilioribus locis a nostrorum Commentatorum diligentia non perspicue explicatum, atque a pravis quorumdam interpretationibus vindicatum, attamen ex hoc ipso contendo nedum utilem esse, sed plane necessariam utriusque linguæ non levem peritiam. Quomodo enim ex istorum laboribus proficiemus, ac veras, rectasque eorumdem interpretationes judicabimus, si linguarum ignari eas nullo modo intelligere valeamus? Et quomodo postea easdem propugnabimus, si græculus aliquis, aut recutitus vel veris, vel fictis grammaticæ legibus eas repugnare, vana aliqua, et sophistica argumentatione contendat?

Sane quanta sit harum linguarum in Theologia necessitas, aut saltem utilitas, Romani Pontifices noverunt, qui propterea earumdem studium ubique florere exoptarunt. Sic Honorius IV. Parisiensibus Theologis eam majorem in modum commendavit; Paulus autem V. jussit, ut in cujuslibet Instituti Regularium Scholis linguarum Hebraicæ, et Græcæ doctores essent, et quibusdam etiam Arabicæ (Constit. LXV.). Ut nihil dicam de Viennensi Generali Concilio in Galliis celebrato, a quo decretum fuit, ut in celebrioribus Academiis non solum Græcæ, at-

atque Hebraicæ linguæ, sed etiam Chaldaicæ, atque Arabicæ studia florerent (In Clement. *de Magistris* cap. *Inter sollicitudines*). Sed quorsum hæc omnia? Ut nempe intelligeremus, harum linguarum studium ad fidem Catholicæ Ecclesiæ conservandam, defendendam, ac propagandam mirifice inservire, ut proinde Theologus numeris omnibus absolutus dici non possit, qui hoc careat ornamento. Sed de multiplici harum linguarum utilitate copiose, et eleganter agit Melchior Canus lib. II. *loc. theol.* cap. 15., ostendens, in sacris litteris multa esse, quæ sine linguarum peritia *difficulter, ne quid amplius dicamus*, intelligi possunt.

Ad plenam tamen divinorum eloquiorum intelligentiam non linguarum tantummodo notitia opus est, sed studio pertinaci, improbo labore, ac contentione perpetua, ut Sacra Biblia non solum sæpius pervolvamus, sed profunde meditemur, ac pene memoriæ mandemus. Hæc tamen difficultas, quæ certe levis non est, nos terrere non debet; laboris enim molestiam abunde compensabit fructus oblectamentum. Atque ad hanc difficultatem magna ex parte tollendam quamplurimi tam veteres, quam recentiores interpretes nobis suppetias venient, qui latas in Scripturarum sacrarum intelligentia vias straverunt. Loquor autem de scholiis, quæ *commaticum interpretationum genus* appellabat Hieronymus (in comment. super Matthæum), de paraphrasibus, de glossis, de catenis biblicis, de quæstionibus, aliisque modis, quibus omni ævo homines doctissimi absconditos sacrarum paginarum sensus, atque arcana mysteria juxta Sanctorum Patrum traditionem feliciter pervestigarunt, quorum librorum bibliothecæ plenæ sunt.

Ne autem eorum copia obruamur potius, quam adjuvemur, plurimum interest, ut eorum ductum sequamur, qui propria experientia, ac diligentia utiliores in omni genere secernere noverunt. Et quamvis et Rabbini, et Heterodoxi nobis Scriptores aliquos sua laude dignos suppeditaverint, juventuti tamen nostræ auctor sum, ut Catholicos præferant, qui numero neque scientia aliis cedunt, præcellunt vero in sanæ doctrinæ puritate, et inoffenso pede percurri possunt. Nota omnibus sunt, et celebratissima *Prolegomena* Ariæ Montani, Du-Hamelii, Card. Houbigant, Serrari Boufrerii, *Bibliotheca Sancta* Sixti Senensis, Opera critica Richardi Simonii, *Apparatus Biblici* P. Lamy, *Dissertationes præliminares* Ellies Ludov. Dupinii, et Joseph. Blanchinii, *Præfationes* Bibliorum Vitrensium, *Historia veteris Testament.* P. Natal. Alexandri, Dan. Huetii *Demonstratio Evangelica*, aliaque plura Catholicorum opera, quæ ad necessariam eruditionem de sacris libris abunde sufficient. Dies autem, ac vires me plane deficient, si omnes Romanæ communionis Scriptores commemorare vellem, qui veterum Patrum Origenis, Hieronymi, Chrysostomi, atque Augustini vestigiis insistentes præclarissimos vel totius Sac. Scripturæ, vel aliquot ipsius partium commentarios ediderunt, quales fuerunt Isidorus Clarius, Petrus Muisius, Vatablus, Lorinus, Tirinus, Estius, Menochius, Du-Hamelius, Calmetus, Mazochius, atque fere sine numero alii.

Quæ quidem non eo animo dicta sunt, quasi ab Heterodoxorum, Rabbinorumque lectione eos etiam avertere velim, qui ingenii acumine, ætate, atque experientia valent, præcipue autem qui solidis orthodoxæ Theologiæ principiis imbuti haud facile a recta semita dimoveri possunt; quique proinde sine ullo periculo eruditas eorum lucubrationes utiliter pervolvere, ex iisque proficere haud mediocriter poterunt. Origenes sane, Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Chrysostomus, ac præcipue Hieronymus, Judæorum atque Hæreticorum scripta legerunt,

runt, ex iisque plurima in rem suam transferre non dubitarunt, quæ scilicet a fide Catholica non discordabant: ut proinde qui ita comparati sunt, ut vera a falsis tuto internoscere valeant, possint illorum exemplo ea etiam eruditorum opera legere, qui ab Ecclesiæ sinu infeliciter sunt separati.

Neque vero mihi aliquis oggerat, quæ de studio sacrarum litterarum, quod in Theologia præcipuum locum habere debet, hic breviter attigi, talia, ac tanta esse, ut longam annorum seriem, assiduumque laborem requirant. Ita mehercle. Et quid enim? Putabitque aliquis, bonum, perfectumque Theologum esse unius, vel paucorum annorum fœturam? Et cum Sanctus Augustinus, ingeniorum aquila merito nuncupatus, tantam invenerit in Dei Verbo altitudinem sapientiæ, ut *annosissimis*, *acutissimis*, *flagrantissimis cupiditate discendi* id contingere dixerit, quod Ecclesiasticus monet cap. XVIII. 6., *cum consummaverit homo, tunc incipiet*; aliquis nostrum sibi ablandiatur, posse brevi cursu ad illam divinorum oraculorum cognitionem pertingere, quæ profundo Theologo formando sit satis? Apage vanas, et perniciosas quorumdam imaginationes! Studia hæc, quo utiliora sunt, eo sunt difficiliora; et quo difficiliora, eo diuturniora; sed quo utiliora, difficiliora, ac diuturniora, eo fortiorem exposcunt animum, laborisque patientem; eodem tempore, humilem, docilem, totumque Dei gratiæ submissum, *omnis* enim *sapientia a Domino Deo est* Eccl. I.; et nos eam a Deo consecuturos sperare debemus, si jugibus precibus, rectaque vivendi ratione eamdem impetrare satagamus. *Fili*, inquit Ecclesiasticus, *Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, et Deus præbebit illam tibi*. Ib. vers. 33.

Tantum vero abest, ut me pœniteat, longam, difficilemque veræ Theologiæ viam vobis indigitasse, quin potius adigor, nova adhuc adjicere utilia, ac necessaria ad completam, perfectamque theologicam scientiam animo informandam; ac præ ceteris non perfunctoriam, sed diligentem Ecclesiasticæ HistoriP cognitionem, præcipue vero quantum spectat ad Summos Pontifices, eorumque decreta, ad Sanctos Patres, ad Concilia, ad variam, sæpiusque mutatam Ecclesiæ disciplinam, ac liturgiam, ad hæreses, et schismata, sine quarum notitia verus, ac germanus veterum monumentorum, atque Ecclesiasticæ traditionis sensus detegi, ac certo determinari vix, ac ne vix quidem potest. Accuratam Historiæ Sacræ cognitionem sine debitis Chronologiæ, ac Geographiæ subsidiis, quæ historiæ oculi appellari solent, haberi non posse, facile quilibet concedet.

Neque inutile postremo erit breve aliquod studium historiæ litterariæ, quæ variam Theologiæ fortunam, præcipuarum controversiarum ortum, et incrementum, utriusque partis præcipuos patronos, ac vindices nobis quasi in tabula repræsentat. Non loquor autem de futilibus illis, frivolisque quæstionibus, quæ otiosorum Scholasticorum olim ingenia exercebant, nunc vero sapienter eliminatæ sunt, quarum etiam memoria sine ullo Theologiæ, aut Religionis dispendio obliterari potest. Sed de iis, quæ ad tuenda contra eorum corruptores nostra sancta dogmata, omnibus fere sæculis exortæ sunt; et quæ ab imprudentibus quibusdam, novarumque rerum cupidis nonnumquam ex cineribus exsuscitantur, atque etiam de iis, quæ a multo jam tempore excitatæ Ecclesia permittente in Scholis Catholicis, salvo fidei, et charitatis vinculo adhuc perdurant. Nec parum interest nosse, quando, a quibus, et qua occasione ortæ fuerint,

Vi-

Videte igitur, lectissimi Juvenes, quæ, et quanta vobis sint perdiscenda, si ad veram Theologiæ laudem consequendam anhelatis, quam tot egregii viri consecuti sunt; quorum propterea exemplum vos erigere debet, vobisque stimulos ad currendum addere. Hæc autem sin minus late, copioseque exponere, ut certe potuissem, saltem breviter commemorare, non inutile duxi, ne aliqui nimia præsumptione decepti putent, facile esse, ut nomen Theologi, ita etiam doctrinam Theologicam consequi. Animo ad laborem obfirmato opus est, totoque homine ut scientiam hanc, aliarum omnium sine controversia Reginam, non jejunam, non sterilem, aut superficie tenus, et quæ merito non ab hæreticis solum, sed etiam a prudentissimis Catholicæ communionis viris despectui est habita, et a bene institutis Academiis tandem aliquando eliminata, sed qualis in se esse debet, pro Ecclesiæ, et Religionis munimine, pro fidelium emolumento, atque pro Dei gloria amplificanda, integram possideamus.

INDEX

CAPITUM ET PROPOSITIONUM

QUÆ

IN HOC VOLUMINE II. CONTINENTUR

DISSERTATIO I.

DE DEI ESSENTIA

1. Deum cujusmodi est in se, nemo solis naturæ viribus novit, aut noscere potuit: *habitat enim lucem inaccessibilem*, 1. Timoth. VI. 17. *posuitque tenebras latibulum suum*, Psalm. XVII. Hinc communem Theologorum effatum, nos potius cognoscere, quid non sit Deus, quam quid sit. Et S. Aug. in Psal. LXXXV. 12. *Deus*, inquit, *ineffabilis est*, *facilius dixeris*, *quid non sit*, *quam quid sit .... Quæris*, *quid sit? Quod oculus non vidit*, *nec auris audivit*, *nec in cor hominis ascendit*. *Quid quæris*, *ut ascendat in linguam*, *quod in cor non ascendit?* Unde S. Thom. Lib. I. *cont. Gent.* cap. 14. postquam Deum esse multis argumentis evicit, de ejus essentia dicturus, probat, in consideratione divinæ substantiæ esse *via remotionis* utendum: *nam divina substantia*, inquit, *omnem formam*, *quam intellectus noster attigit*, *sua immensitate excedit; & sic ipsam apprehendere non possumus*, *cognoscendo quid est*, sed *aliqualem ejus habemus notitiam*, *cognoscendo quid non est*. *Tanto enim ejus notitiæ magis appropinquamus*, *quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere* (a). Scholastici tamen ex sacris litteris, humanaque ratione investigare plura de Deo conati sunt, atque illud imprimis, quodnam sit metaphysicum Dei constitutivum, seu in quonam potissimum Dei essentia sita sit; quorum præcipuas sententias exponet sequens

CAPUT I.

Quodnam sit divinæ essentiæ metaphysicum constitutivum?

2. Cum omnia in Deo unum, idemque sunt, propter summam ipsius simplicitatem (iis duntaxat exceptis, quæ *relative* sibi opponuntur, scilicet divinis Personis) manifestum est, reipsa, seu *a parte rei* non posse unum esse magis constitutivum essentiæ Dei, quam aliud. Sed res temperanda est ad finitum nostrum intelligendi modum, ut scilicet id nominemus Dei essentiam, quod primum, & veluti ceterorum omnium originem in Deo concipimus.

3. Hac in quæstione non solum scholas inter se, sed etiam unius ejusdemque scholæ disciputos pugnantes invenio. Omnium sententias in medium afferam, & quid mihi probabilius videatur, breviter aperiam, neque enim operæ pretium judico in hac perdifficili quæstione diutius immorari.

4. Nominales duce Guill. Occamo docent, essentiam divinam in cumulo omnium perfectionum consistere. Recte ii quidem, sed constitutivum *metaphysicum* cum *physico*, & *reali* confundunt.

5. Scoti sectatores Dei essentiam *in infinitate radicali*, seu *exigentia* omnium perfectionum reponere dicuntur. Attamen P. Joseph Antonius Ferrari (in *Theol. scholast.* Tract. I. *de Deo* disp. 1. quæst. 5.) eam sitam esse vult in *essentia a se*, *seu aseitate quatenus hæc perfecta est*, *& omnimoda;* atque ita communi voto opinari Scotistas testatur.

6.

(a) Id vel ipsis Gentilibus solo lumine naturali compertum fuit: unde illud a Cotta apud Ciceronem Lib. I. *De natura Deor.* cap. 22. sapienter dictum: *roges me, quid, aut quale sit Deus, auctore utar Simonide; de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit. Cum sæpius duplicaret numerum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret, quia quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Id ipsum narrat Minutius Felix in dialogo, qui inscribitur *Octavius* num. 13. Tertullianus autem simile quid innuit in *Apologetico* cap. ult. *de Thalete, sciscitante Cræso*. Hinc apparet, quam absurde erraverint ii Hæretici, qui tam claram, distinctamque Dei notitiam se habere jactabant, ut nihil evidentius cognosci posset. De his postea cum Dei visionem exponemus.

6. Thomistæ, nedum ab aliis dissentiunt, sed nec inter se ipsos omnino conveniunt. Et primo bifariam dividuntur. Quidam enim contendunt, quod primum in Deo concipitur, esse *existentiam a se*, seu *aseitatem*, & independentiam. Ita Contensonius *Theol. mentis & cordis* Tom. I. Dissert. 2. Gotti Tom. II. qu. 3. dub. 3. Bancel, Capreolus, Bannez, Ledesma, aliique non pauci. Quidam autem putant, Dei essentiam positam esse in intellectione. Sed hi rursus in duas classes dividuntur; nam alii intellectionem actualem pro Dei essentia constituunt, alii radicalem solum.

7. Si in tanta Theologorum discordia aliquid pronunciandum sit, probabilior certe videtur prima Thomistarum sententia, quæ etiam multis aliis extra Thomisticam scholam arridet; nempe Dei essentiam in *aseitate* consistere. Ita docet Witasse, l'Herminier, Tournely, Habert, Du-Hamel, Boncat, Petrocorensis, Juvenin, Petavius, uno verbo bona & melior Theologorum pars.

8. Et primo quidem hæc opinio conformior sacris literis videtur; nam Deus, qui solus seipsum perfecte novit, interrogatus a Moyse, quis esset: respondit Exodi III. 14. *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel: qui est, misit me ad vos* (a). At vero sapienter monet S. Hilarius Lib. V. *de Trinitate, nobis non aliter esse loquendum de Deo, quam ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est*.

9. Conformior est quoque sanctis Patribus, quorum testimonia plurima pro more suo collegit Petavius Lib. I. *de Deo* cap. 6. atque illorum vestigiis inhærens S. Thomas P. I. qu. 13. art. 11. docet, hoc nomen *qui est*, maxime proprium esse Dei (b); ex quo manifeste consequitur, *aseitatem*, quæ per hoc nomen significatur, divinam essentiam magis, quam quidlibet aliud, continere. Hinc non immerito miratur P. Joan. Nicolai (in not. ad hunc locum S. Thomæ) potuisse aliquos discipulos Angelici in aliam opinionem abire.

10. Denique ratio ipsa huic sententiæ suffragatur. Quid enim quæso, intelligi, aut cogitari in Deo potest *aseitate* prius? Omnia etiam divina attributa ex hoc quasi principio dimanare facile concipiuntur; nam quod a seipso est, & nullam habet causam, nullo modo definiri, aut circumscribi potest, sed esse debet omni perfectionum genere cumulatissimum. Verum hæc accurate, copioseque a Theologis scholasticis disputata inveniuntur.

CAPUT II.

De Pantheismo, & Spinozismo.

11. Pantheistæ sunt, qui divinam naturam ab hac rerum universitate non distinguunt, atque ita Deum verbo confitentur, re autem ipsa tollunt. Antiquissimus est hic error a temporibus usque Stratonis Lampsaceni (c); post autem a multis resuscitatus, præcipue vero ab Alexandro Aphrodisæo, ab Almarico, a Davide de Dinando, aliisque, qui Deum a materia non distinguebant, & creaturas eo fere modo a divina substantia emanasse putabant, quo tenuissima stamina ex ventre aranei prodeunt (d).

12. Sed quod antea nemo tentaverat, sæculo ela-

(a) Ita quidem Vulgata nostra secuta versionem LXX. Interp. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, at vero textus hebr. ita habet אהיה אשר אהיה, id est, ut explicat P. Car. Houbigant, *ego is ero qui olim futurus sum*, indicans nempe his verbis non nomen Dei, quod in vers. seq. ponitur אהיה *Jehova*, sed quid pro liberatione populi Israel facturus esset. Alii tamen hebraicæ linguæ periti observant, ipsum nomen *Jehova* litteraliter verti posse *qui est*, ac ipsam divinam essentiam denotare. Vid. Jos. Matani *Comm. criticus de Dei nomine juxta Hebr.* c. 3. Lucæ 1767.

(b) S. Thom. loco laud. allegat verba S. Jo. Damasceni Lib. I. *de Fide Orthod.* cap. 3. dicentis, *principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur, nominibus esse ὁ ὤν qui est*. Observat autem P. Mich. Le-Quien ad hunc locum S. Joan. Damasc. a Philosophis veteribus Deum fuisset appellatum neutro nomine ὄν, quæ vox ad ipsum eos in communi significandum atheo, aut pantheistico sensu detorqueri posset.

(c) De hoc Philosopho, qui τῶν περιπατητικῶν ὁ κορυφαιότατος, *Peripateticorum omnium summus* appellatur a Plutarcho adv. Colotem pag. 1115. floruit autem Sec. II. ante Æ. C. ajebat Tullius Lib. I. *de nat. Deor.* cap. 13. *nec audiendus est Theophrasti auditor Strato, is qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quæ causas gignendi, augendi, minuendi habeat*. Fuit postea hæc sententia Stoicis fere communis: Seneca *Qu. Natur.* Lib. II. cap. 45. de his Philosophis ita loquitur: *Eumdem, quem nos Jovem, intelligunt custodem, rectoremque universi, animum, ac spiritum mundani hujus operis, dominum, & artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum providentiam dicere? recte dices. Est enim, cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis: est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris: ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua*. Virgilius etiam pantheismum nonnumquam suis versibus exornavit, ut cum L. IV. Georg. canebat:

. . . . . Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Vid. etiam Lib. VI. *Æneidos* v. 724. seq. Eusebius Cæsar in *Præparat. Evangel.* universam ethnicam Theologiam fuisse pantheismo infectam docet. De veteribus autem Pantheistis agit data opera Buddeus in *Spinozismo ante Spinozam*.

(d) De Alexandro Aphrodisæo, qui sub Severo, & Caracalla Imp. floruit, hæc habet magnus Albertus magnus Lib. I. *Physic.* tract. 3. cap. 23. *Alexander Epicureus dixit, Deum esse materiam, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse Deum, & formas esse accidentia imaginata, & non habere verum*

lapso Bened. Spinoza pantheismum geometrica methodo in sua *Ethica* exponere, & demonstrare conatus est; unde veteri Pantheistarum sectæ novum *Spinozismi* nomen accessit; quanquam ita obscurus est hic auctor, ut non minus quam Heraclitus, cognomento σκοτεινὸς appellari possit, & mirum est, potuisse eum nihilominus non paucos admiratores, & asseclas invenire. Sed hujusmodi homines magis amant tenebras, quam lucem (*a*).

13. Quatuor autem præcipue propositionibus impium Spinozæ systema comprehendi videtur. Primo, *præter Deum nullam dari substantiam* (*Ethicæ* P. I. propos. 5. 6. 7. 8. &c.) Secundo, *hanc substantiam, quæ una est, omni perfectionum genere esse donatam, & maxime vero extensione, & perceptione*, (*Ethicæ* P. II. propos. 1.). Tertio, *Omnia istius universi entia nihil esse aliud, quam ipsius substantiæ modificationes, & attributa* (P. I. prop. 2.) Quarto, *cum hæc substantia* (quam *divinam* Spinoza vocat) *necessaria sit, omnia debent in mundo absoluta necessitate evenire, nullaque proinde est contingentia, & libertas* (P. I. propos. 16. & alibi.

14. Quod si detracta larva, remotisque ambagibus, nudam quasi faciem hujus impii systematis videre quis cupiat, nihil in eo detegat, quam purum putidumque materialismum. Nimirum nihil admittit Spinoza præter materiam æternam & improductam; & hæc illa una substantia est, quam abusu nominis *Deum* appellat; omnes autem universi res hujus divinæ substantiæ modificationes sunt, non ad Pantheistarum mentem, ut ego quidem puto, sed alio sensu, quia nempe ex diversa unius, ejusdem materiæ (quam *Deum* nominare illi placuit) particularum combinatione omnia entia resultant. Cumque materiæ una cum extensione etiam perceptionem Spinoza tribuat, inde colligit, animos quoque nostros, animorumque cogitationes, & volitiones, non esse nisi materiæ combinationes, seu, ut ipse loquitur, *modificationes*. Suspicionem auget, quod ipse aliquando scripsit ad Oldenburgium, *Deum se rerum omnium causam immanentem, non vero transeuntem statuere:* quod idem videtur esse, ac aperto dicere, nullum esse alium Deum, quam hunc mundum. Id si verum est, ut viri eruditi merito suspicantur (*b*), spinozismus nova non indiget refutatione.

15. Non sum nescius, Spinozæ apologistas omni sacramento contendere, ejus systema non satis ab ejusdem oppugnatoribus intelligi, omnes propterea andabatarum more pugnare, vanisque logomachiis tempus terere (*c*); neque enim, ut recte observavit Bælius (Art. *Spinoza* rem. DD.) ulla melior ipsis suppetit responsio. Sed quis crediderit, my-

entitatem; & ideo dixit, omnia idem esse substantialiter &c. Idem postea docuit Sec. XIII. ineunte Almaricus, cujus errores multi, & pestilentissimi fuere in Conc. IV. Lateranensi sub Innocentio III. ann. 1215. condemnati, ejusdem ossa exhumata, & dispersa; quanquam Jac. Bruckerus in *Hist. Crit. Phil.* T. III. Per. 2. Part. 2. cap. 3. §. 3. vehementer dubitat, an Almaricus errorum, de quibus post mortem accusatus est, reus habendus sit. Nonnullos inter Persas, Siamenses, atque Sinenses Pantheismo adhærere, tradunt Bernerius in *Itinerario* T. II. & Trigaltius de *Christ. Expedit.* Lib. I. cap. 10.

Sed mirabile videri debet, P. Nic. Ghezzi in tanta sæculi nostri luce suo operi *de' Principj della Morale Filosofia* plura admiscuisse, quæ purum putumque redolent Pantheismum, quæ tamen ea, qua par est, docilitate ejuravit in sua *Declaratione*, quam jussu Sac. Congreg. Indicis ann. 1754. edidit, *improbans, & rejiciens quemcumque dicendi modum, qui favere videatur Stoicorum systemati a catholica religione reprobato*.

Quis autem æquo animo ferat Jo. Tolandi impudentiam, qui in *Originibus Judaicis* Moysis Pentateuchum, aliosque libros sacros Pantheismi suspicione infamare ausus est? Hæc & alia impia Tolandi paradoxa refutata fuere a Fayo in *Defensione religionis, necnon Moysis &c.* Ultrajecti ann. 1709. ab Elia Benoist in opere gallico *Melanges de remarques critiques, historiques &c. sur les deux Dissert. de M. Toland* à Delft 1712. a Jo. Laur. Moshemio in *Commentatione præfixa vindiciis antiquæ disciplinæ adv. Tolandum*, & ab aliis. Vid. etiam epistola Morini ad Huetium in *Collect. epist.* Londini facta 1682.

(*a*) Bened. Spinoza Amstelodami ex parentibus Judæis natus est anno 1632. paterna postea superstitione ejurata ad pseudo-reformatos migravit, ac demum omni abjecta religione atheismum professus est, in quo pertinax obiit anno vitæ suæ 44. Bruckerus tamen in *Hist. Crit. Phil.* Periodo 3. P. 1. cap. 3. §. 8. ipsum nulli Christianorum sectæ se addixisse, nec baptizatum fuisse affirmat. Eorum qui de hujus Athei vita, & fatis scripsere, catalogum exhibet Frid. Jenichius in *Historia spinozismi Leenhoffiani*. Spinozæ discipulos, vel saltem Spinozismi suspectos recenset Jac. Brukerus loc. §. 11. & seq. Præcipui autem, & maxime vitandi sunt Franc. Cuperus in *Arcanis Atheismi revelatis*, Abr. Kufælerus in *specimine artis ratiocinandi*, Frid. van Leenhoff Ecclesiastes Swollensis in libro *Cælum in terra &c.* Henr. Wirmasius in *Chaos imaginaria &c.* Theod. Lud. in *Meditation. Philos. de Deo, mundo, & homine*, Jo. Tolandus in *Pantheistico*: ac demum tota Hattemistarum secta, quæ in Batavia, obstetricante Pontiano ab Hattem erupit, cujus scripta carnificis manu olim Mediolburgii combusta fuere; de qua secta agit Theodorus Hasæus in *Musæo* Bremensi Volum. Secund. Part. I. art. 8.

(*b*) Id clare ostendit Christ. Kortholtus in Lib. *De tribus impostoribus magnis*, idest Edm. Hebert de Cherbury, Thoma Hobbes, & Ben. Spinoza.

(*c*) In Hist. Acad. Berol. Tom. I. p. 85. hæc habentur: *Depuis que le Système de Spinoza a été bati, on a fait de grands efforts pour le détruire, mais il n'est pas encore decidé, si on y a réussi. Le célèbre Bayle, lui même ce destructeur infatigabile de toute doctrine systématique paraît avoir échoué à l'égard de celui-ci, & porté ses coups en l'air.* Idem sæpe repetit Kuphælerus magnus Spinozæ patronus in suo *Specimine artis ratiocinandi*.

mysterium hoc esse solis spinozismo initiatis reseratum, ceteris omnibus, utut acutissimis, absconditum, & impenetrabile? Annon id Spinozistis modo reponi posset, quod in simili causa olim Epicureis objiciebat Cicero (Lib. II. *de finibus* cap. 4.) *hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est, (est autem dictum non parum sæpe) etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci.... Qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes quicumque Epicurei esse voluerunt?* Sistamus tamen vel in eo solo refellendo, quod totius systematis fundamentum est, & a nullo Spinozista negatur, videlicet nullam præter Deum esse substantiam.

PROPOSITIO.

Absurdissime errat Spinoza statuens, Deum unicam esse in tota rerum universitate substantiam, cujus entia omnia modificationes sint, & attributa.

16. Prob. primo. Certum est, actiones, & passiones proprie modificationibus non tribui, sed subjectis; neque enim dicimus cogitationem cogitare, sed mentem cogitare; non lætitiam esse lætam, vel tristitiam tristem, sed hominem lætum, vel tristem; nec denique calorem esse calidum, vel divisibilitatem divisibilem; sed ignem esse calidum, quantitatem divisibilem: si ergo elementa, plantæ, animalia, homines, hominumque cogitationes, & volitiones, uno verbo entia omnia non sunt nisi unius substantiæ, nempe Dei (ut Spinoza loqui amat) modificationes, illud consequetur, omnia, quæ in entibus hujus mundi observamus, Deo tanquam universali omnium modificationum subjecto, esse tribuenda; atque adeo Deum cognitione, & sensu carere in lapide, sentire vero, & intelligere in homine; esse simul une modificatione sapientem, alia vero stupidum; bonum & malum; reum, & judicem, crimen, & pœnam; & cum scelestus aliquis plectitur, esse Deum & scelus, & reum, & judicem, & tortorem, & patibulum ipsum sub diversis modificationibus tam repugnantibus; quo quid dici potest absurdius?

17. Hoc ipsum argumentum urgebat olim Tullius contra Pythagoram Lib. I. *de nat. Deor.* cap. 10. scilicet cum dicebat, Deum *animum esse per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidisse, distractione humanorum animorum discerpi, & lacerari Deum, & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram* (Vid. etiam S. Aug. Lib. IV. *de civ. Dei* cap. 12. & seq. Tom. VII.). Hæc autem difficultas multo magis Spinozistas premit, qui contendunt, omnia hujus mundi entia nihil esse aliud, quam divinæ substantiæ modificationes.

18. Confirmatur hæc ratio. Certum est, non posse duas modificationes contrarias uni eidemque individuo subjecto convenire, ex. gr. eidem ceræ frusto figuram quadratam, & rotundam; sed si unica est in hoc universo substantia, eaque simplex, & indivisibilis, ut Spinoza prædicet (l. 1. *Ethicæ* prop. 15. in schol.) necesse est, eidem plures, ac diversas, immo plane contrarias modificationes convenire, eamdemque calidam, & frigidam, amaram, & dulcem, bonam, & malam, uno verbo omnium omnino inter se maxime pugnantium qualitatum, atque modificationum receptaculum, & subjectum, ut nulla unquam magis repugnans chimæra fingi a poetis potuerit.

19. Multa plura ἀτοπα atque absurda ex impio Spinozæ systemate consequuntur, quæ omnia persequi necessariæ brevitatis ratio nos minime sinit (*a*). Sed illud omittere non possumus plane intolerabile, quod fatalis inde, atque adamantina necessitas constituatur (*b*), qua semel posita, nec virtus erit amplius, nec laus, aut vituperium, nec præmium, aut pœna, quibus tamen totam hominum societatem colligari, communis est omnium Sapientum doctrina; ut nihil de religione dicamus, immo de Deo ipso, cujus opinionem penitus deleri necesse est, cum de ea conservanda nullo modo fuerit Spinoza sollicitus; quin potius ad utrumque evertendum impium suum systema male consarcinaverit.

20. Sed & illud festivum accedit, quod frustra Spinoza novo suo systemate ad hominum præjudicia convellenda adlaboraverit. Quid enim aliud sunt ad ipsius mentem hominum præjudicia, & errores, nisi totidem Dei modificationes? Ut proinde velle hæc hominum errata tollere, nihil sit aliud, quam velle Dei substantiam, novis in eam inductis modificationibus immutare; quod & ridicu-

(a) Hæc fuere a pluribus observata, maxime autem a Petro Baylio in Dictionn. voce *Spinoza* rem. N. Huc etiam faciunt ea, quibus a multis explosum fuit systema Lockii *materiæ cogitantis*, & quibus ostenditur, tam non posse simul in eodem subjecto conjungi extensionem, & cogitationem, quam figuram quadratam ex. gr. & rotundam. P. Thom. Vincent. Moniglia inter alios egregium ad hoc demonstrandum edidit librum, cui titulus est *La mente umana spirito immortale, non materia pensante*. Patavii 1766. in 8.

(b) *In rerum natura*, inquit Spinoza l. P. *Ethicæ* prop. 29. *nullum datur contingens, sed omnia ex necessitate divinæ naturæ ad certo modo existendum, & operandum determinantur*. Immo, vel ipsi Deo libertatem adimit, inquiens in coroll. prop. 32. *Deum non operari ex libertate voluntatis*; & prop. ipsa 33. *Res*, inquit, *nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quam productæ sunt .... Res enim omnes ex dato Dei natura necessario secutæ sunt, & ex necessitate naturæ Dei determinatæ sunt, ad certo modo existendum, & operandum.*

culum per se est, & fictitio gygantum conatui persimile.

21. Obj. 1. In sacris litteris non pauca, nec levia sunt Spinozistici systematis vestigia. Habetur enim Ecclesiastici XLIII. 29. *ipse* (Deus *est in omnibus;* & clarius græcus textus: ὁ πᾶν ἐστι αὐτός, *ipse* (Deus) *est omnes;* & S. Paulus de Deo dicit Roman. XI. vers. ult. *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia;* & Act. XVII. 28. *in ipso vivimus, movemur, & sumus:* hæc enim postrema verba esse in sensu Pantheistarum prolata liquet primo, quia Paulus versus poetæ Arati Pythagorici allegat, subdens: *sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt, ipsius enim & genus sumus* (a). Secundo quia hoc, & alia id genus Scripturæ S. testimonia Origenes explicat in sensu omnino Pantheistico; inquit enim Lib. II. *De principiis* capit. 1. *sicut corpus nostrum unum ex multis membris aptatum est, & ab una anima continetur, ita & universum mundum, vel animal quoddam immensum, atque immane opinandum puto, quod quasi ab una anima, virtute Dei, ac ratione teneatur. Quod etiam a S. Scriptura indicari arbitror per illud, quod dictum est per Prophetam Jeremiam* cap. XXIII. 25. *nonne cœlum, & terram repleo, dicit Dominus?.... Sed illud, quod ait Paulus, cum apud Athenienses concionaretur, dicens: quoniam in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Accedit tertio & Dionysius Areopagita, qui idipsum sine ulla obscuritate docens, inquit (*de cœlesti Hierarchia* cap. 4.) *esse omnium est super substantialis Divinitas.*

22. Resp. Hæc & similia S. Scripturæ loca non esse intelligenda ad Pantheistarum, vel Spinozæ mentem, infinitis propemodum ejusdem S. Scripturæ testimoniis declarari, atque evinci potest: ubique enim Deus nobis exhibetur, tanquam hujus universi creator, & gubernator, infinitus, æternus, omnipotens, ab omni materiæ concretione secretus, iisque demum perfectionibus, atque attributis cumulatus, quæ corporeæ materiæ, aut cuicumque rei limitibus circumscriptæ convenire omnino non possunt; quo fit, ut debeat Deus ab hac rerum universitate infinito intervallo distare. Illa igitur allata loca, & quæcumque id genus afferri possunt, tantum indicant vel Dei immensitatem, & intimam omnibus locis, rebusque præsentiam, vel supremum ejusdem in omnia dominium, vel providam rerum omnium gubernationem. Sed breviter explicemus singula.

23. Quod dicitur Eccl. XLIII. 29. *ipse est in omnibus*, ex antecedentibus, & consequentibus debet explicari de infinita Dei magnitudine, omnipotentia, & providentia, quibus Deus omnia complectitur, & omnia longe superexcedit: præmittitur enim: *multa dicemus* (de Deo), *& deficiemus in verbis. Consummatio autem sermonum* (idest summa omnium, quæ dici possunt de Deo) *ipse est in omnibus;* vel etiam, ut textus græcus habet: *ipse est omne*, seu omnium rerum principium, & finis; unde etiam additur vers. seq. *ipse enim omnipotens super omnia opera sua, terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc... major enim est omni laude* (b).

24. Cum vero Apostolus dicit Rom. XI. *Ex ipso &c.* significat, *omnia esse ex Deo*, tanquam prima causa per creationem: *omnia per ipsum*, tanquam supremum mundi gubernatorem administrari; ac demum *omnia in ipso*, seu potius, ut græcus textus habet *in ipsum*, scilicet ut in finem ultimum referri debere. Et hæc est hujus loci interpretatio, quam S. Basilius suppeditat in L. de *Spir. S.* cap. 5. Tom. III.

25. Et quando idem S. Paulus Act. XVII. de Deo inquit: *in ipso vivimus, movemur, & sumus*, ostendit, Deum ad omnes nostras actiones concurrere, nos conservando, nos ad agendum permovendo, ac nobiscum cooperando. Addit porro: *ipsius enim & genus sumus*, ostendens nobilem hominis originem, qui factus est *ad imaginem, & similitudinem Dei:* unde etiam S. Lucas texens Christi genealogiam secundum carnem, eam perducit usque ad Adam, & concludit: *qui fuit Adam, qui fuit Dei*, eodem pene modo appellans Adam filium Dei, quo appellaverat Seth filium Adæ.

26. Neque vero refert, quod Paulus Arati poeta hemistichion alleget. Primo enim dubium est, an ad Aratum Paulus digitum intendat, cum plurali numero utatur: *sicuti quidam vestrorum Poetarum dixerunt;* & certe non unus est Aratus, apud quem hæc sententia reperiatur (c). Secundo, etiamsi S. Paulus ad Arati versum respexerit, non est credendum, totum profani illius Poetæ sensum adoptasse; sed dumtaxat qua parte Christianæ religionis principiis consentiebat, videlicet nos esse factos ad imaginem & similitudinem Dei: unde postea sic colligebat: *genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis: & cogitationis hominis divinum esse simile.* Ceterum idem S. Paulus hoc eodem in c. X. 24. Deum ab hoc mondo ma-

(a) His testimoniis abutebatur Spinoza in epist. ad Oldemburgium inquiens: *omnia in Deo esse, & in Deo moveri cum Paulo affirmo.*

(b) Suspicantur aliqui legendum esse textum græcum Τὸ πᾶν ἐστὶν αὐτοῦ, *omne est ipsius*, quomodo Grotius legebat.

(c) P. de Magistris in Diss. III. Apologiæ sententiæ Patrum de LXX. virali versione adnexa suæ editioni *Danielis* secundum vers. LXX. putat, illud hemistichion fuisse ex Cleante desumptum. Videri etiam potest Christ. Wolfius in *Curis philologicis ad novi fœderis libros historicos.*

manifeste distinguit cum dicit, Deum *fecisse mundum*, *& omnia*, *quæ in eo sunt*; eumdem *esse cœli*, *& terræ dominum*, *& dare omnibus vitam*, *inspirationem*, *& omnia:* & cum pariter Rom. IX. 5. dicit, *Deum esse super omnia*.

27. Ad Origenis autem locum brevior est responsio, ipsum scilicet nihil aliud voluisse, quam Deum intima virtute omnia conservare, regere, atque administrare: unde subdit immediate: *quomodo enim in Deo vivimus*, *& movemur*, *& sumus*, *nisi quod virtute sua universum constringit*, *& gubernat mundum?* Addo, non tantum esse hujus operis auctoritatem, quod ab Hæreticis fœde corruptum fuisse, constat. Et quamvis illi libri latini *de principiis*, quos modo habemus (græci enim codices nulli amplius supersunt) a Rufino emendati sint, eos tamen nonnullis adhuc scatere erroribus, eruditi consentiunt. Vid. S. Rem. Ceillier *Hist. des Auteurs Eccl.* Tomo II. cap. 38. §. 11.

28. Verba demum S. Dionysii, aliaque similia quorumdam S. Patrum explicat S. Thomas Lib. I. *contra Gent.* cap. 26. quod Divinitas sit esse omnium, *quia in omnibus quædam divini esse similitudo reperitur;* non autem quod Divinitas sit *omnium esse formale*. Hinc idem Dionysius (in cap. XI. *de divinis nominibus*) *Dei*, inquit, *neque tactus*, *neque aliqua commixtio est ad res alias*, *sicuti est puncti ad lineam*, *vel figuræ sigilli ad ceram* (a).

29. Ob. secundo. Nulla esse potest substantia præter Deum; nam Deus est ens simpliciter, & omni modo infinitum; adeoque debet omnem substantiæ rationem ita absorbere, ut nihil præter, & extra ipsum sit; quemadmodum si unum esset corpus infinitum, nullum aliud esse posset corpus ab eo diversum.

30. Resp. dist. illam prop. Deus est ens simpliciter, & omni modo infinitum, quasi infinitum *realitatum* num. in se contineat, *nego:* ens, quo nihil majus esse potest, *conc.* Nullam quidem claram, distinctamque infiniti ideam nos habemus, oppido tamen ii falluntur, qui putant, ens infinitum esse quasi aggregatum partialium entium num. infinitorum; esset enim infinitum aliquod ex partibus compositum, quod omnino repugnare, bona & melior Philosophorum pars, paucis reclamantibus, existimat. Vid. Lokius *de Intell. humano* Lib. II. c. 17. Dicitur ergo Deus ens infinitum in alio sensu, quamvis a nobis parum intelligibili, scilicet quatenus primo caset omnibus imperfectionibus, quæ in aliis entibus reperiuntur; & insuper quatenus omnes aliorum entium perfectiones continet, non quidem *formaliter*, & tanquam partes, unde aggregatum entium infinitum resultet; sed *virtualiter*, *eminenter*. Si vero corpus esset infinitum, omnia loca occuparet non *virtualiter*, sed actu, & *formaliter:* unde nulla alia corpora esse possent (b).

31. Neque vero hinc inferant Spinozistæ, hoc ens infinitum, ab omnibus aliis diversum fictitium esse, atque imaginarium, cum nihil eorum sit, quæ a nobis in mundo conspiciuntur, sed ex perfectionibus a nobis confictis quasi conflatum. Non inquam; etenim potius contra dici deberet, Deum non esse ens omnium perfectissimum, & infinitum, si nihil esset aliud, quam aggregatum earum perfectionum, quæ in hac rerum universitate inveniuntur; hæ siquidem finitæ sunt, ceterisque limitibus circumscriptæ, multaque quasi scoria imperfectionum deturpatæ; necesse igitur est, ut quando volumus ideam entis perfectissimi in nobis efformare, illud concipiamus, ut ab omnibus aliis essentia, & attributis omnino diversum.

32. Inst. primo. Si aliqua esset substantia a Deo diversa, esset aliquis modus existendi, qui Deo non conveniret, atque adeo esset Deus determinatus ad certos quosdam existendi modos, nec omnes haberet; quod enti perfectissimo repugnat; quemadmodum non esset Deus immensus, si aliquis vel exiguus locus esset, quem ipse non occuparet; non ergo &c.

33. Resp. Dist. ant. Esset aliquis existendi modus, qui Deo non conveniret *formaliter*, conc. *virtualiter & eminenter*, nego, ut mox observatum est. Id potest eo ipso immensitatis exemplo declarari, quod nobis objectum est. Quemadmodum enim immensitas Dei, qua est in omnibus locis, non impedit, quin aliæ quoque res corporeæ, & incorporeæ in iisdem locis inveniantur, i-

(a) Jac. Brukerus in *Hist. Crit. Phil.* Tomo 3. p. 824. & alibi censuit, opera pseudo-Dionysiana esse fœtum alicujus impostoris, qui ex Philosophia Alexandrina plures errores, & impietates in Religionem invexerit. Sed Brukerum confutatum habes in opere, cui titulus *Hist. Crit. de l' Eclectisme* vol. II. p. 256. seq.

(b) Substantiæ nomen proprie Deo non convenit; ut enim S. Thomas 1. P. qu. 3. art. 5. ad 1. & Lib. 1. *Cont. Gent.* c. 25. observat, Deus non est in aliquo genere, & melius dicitur ens quoddam *supersubstantiale* omne genus substantiæ infinito post se intervallo relinquens. Atque in laud. lib. 1. *Cont. Gent.* c. 26. similem difficultatem expediens, *Divinum esse*, inquit, *est absque additione*, *non solum cogitatione*, *sed etiam in rerum natura; & non solum absque additione*, *sed etiam absque receptibilitate additionis*. *Unde ex hoc ipso*, *quod additionem non recipit*, *nec recipere potest*, *magis concludi potest*, *quod Deus non sit esse commune*, *sed proprium*. *Etenim ex hoc ipso suum esse ab omnibus aliis distinguitur*, *quia nihil ei addi potest*. *Unde Commentator in Lib. de causis dicit quod causa prima ex ipsa puritate suæ bonitatis ab aliis distinguitur*. Quibus verbis magis declaratur, Deum esse infinitum, non aggregatione aliorum entium finitorum, sed essentia ab aliis rebus omnino distincta, & perfectissima.

ita infinita essentia Dei non tollit aliarum rerum essentias. Id ipsum potest confirmari exemplo scientiæ Dei, quæ etsi infinita sit, non tamen exigit, ut nullus alius sit intellectus cognoscens, & sciens, sed duntaxat exigit, ut nullum objectum cognoscibile lateat Deum, & insuper, ut omni modo perfectissimo, qui a nostra intelligentia omnino diversus sit, a Deo cognoscantur.

34. Inst. secundo. Illud dicitur finitum, quod ab alia re ejusdem generis terminatur: sic finitum est corpus, quod alio corpore terminatur, & finita cogitatio, quæ alia cogitatione circumscribitur; atqui ei est alia substantia a Deo distincta, Deus ab illa terminatur; ergo &c.

35. Resp. Dist. min. Si hæc substantia esset in eadem linea, qua est Deus, *conc.* si in diversa linea elt, *nego*. Deus est ens infinitum, & perfectissimum, creaturæ autem sunt entia finita, & imperfecta; & quidquid in eis est perfectionis, id totum continetur in Deo, sed modo eminentiori, & perfectissimo, unde nulli Deo ponuntur limites; quemadmodum nulli ponuntur limites infinitæ perfectionis divinæ ex quo sint aliæ naturæ intelligentia, & cognitione donatæ.

36. Inst. tertio. Si aliquæ essent substantiæ a Dei natura distinctæ, oporteret esse aliquam differentiam, qua Deus ab hujusmodi substantiis distingueretur; atqui in Deo nulla esse potest differentia propter summam ejus simplicitatem: ergo &c.

37. Resp. Differentiam se tenere ex parte creaturarum, quæ imperfectæ sunt, certisque limitibus circumscriptæ, Deus autem actus purissimus est, & infinitus. Observat præterea acutissime S. Thomas Lib. I. *Cont. Gent.* cap. 17. aliud esse *differentiam*, aliud *diversitatem*. *Differentia* in iis est, quæ in aliquibus conveniunt, non autem in omnibus; unde in iis, quæ differunt, aliquid assignari oportet, secundum quod differant, sicuti duæ species, quæ conveniunt in genere, differentiis distinguuntur. *Diversitas* autem in iis est, quæ in nullo prorsus conveniunt, ut ex. gr. differentiæ oppositæ sunt inter se *quid diversum*, quia in nullo genere conveniunt. In his autem, quæ diversa sunt, non oportet esse aliquam differentiam; sicut ridiculum esset, quærere differentiam, qua differentiæ oppositæ *rationalis*, & *irrationalis* distinguantur. Sic etiam (concludit Angelicus, contra Davidem de Dinando, qui simili argutia evincere conabatur, Deum a materia non distingui) Deus, & materia diversa sunt, quia Deus actus purus, materia autem potentia pura, & in nullo convenientiam habent.

38. Inst. quarto. Si creaturæ essent a Deo distinctæ, vel diversæ, Deus simul cum creaturis esset aliquid perfectius, quam Deus solus; sed hoc dici nequit: ergo &c.

39. Resp. neg. maj. Quidquid enim perfectionis est in creaturis, non est nisi participatio quædam illarum perfectionum, quæ modo infinite perfectiore inveniuntur in Deo. *Si duo particularia conjungantur*, inquit S. Th. q. v. *de malo* art. 1. ad 4. *augeri potest in eis id, quod participatur; sed si participans addetur ei, quod est per essentiam tale, non facit aliquid majus.*

40. Obj. tertio. *Per substantiam illud intelligitur, quod in se est, & per se concipitur, hoc est cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo formari debeat* (Spinoza I. P. *Ethicæ* defin. 3.); atqui hujusmodi substantia nonnisi una esse potest: ergo &c. Major propositio est definitio substantiæ omnibus fere Scholasticis probata. Minor autem prob. Substantia, quæ in se est, & per se concipitur &c. est ens necessarium atque omnino independens; atqui hujusmodi ens nonnisi unum est, nempe Deus, ut fatentur omnes: ergo &c.

41. Resp. Dist. maj. Per substantiam illud intelligitur, quod in se est, quod scilicet non indiget subjecto, cui inhæreat, *conc.* quod non indiget causa effectrice, a qua producatur, *nego*. Item cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo sustentetur, *conc.* a quo producatur *nego*. Substantia dicitur *ens per se subsistens*, per exclusionem subjecti, cui inhæreat, quare ab accidentibus distinguitur, quæ per se existere nequeunt; sed subjecto indigent, a quo sustententur; non autem dicitur substantia *ens per se existens*, quasi a nulla causa effectrice dependeat (a).

42. Inst. Substantia a nulla causa productrice dependet: est ergo ens necessarium, quod nonnisi unicum esse potest. Prob. ant. primo, quia si ab aliqua causa produceretur, ab eadem ad certum quemdam existendi modum determinaretur, sine quo neque esse, neque concipi posset; atqui nullus est certus existendi modus, sine quo substantia

(a) Responsio est ed Peripateticorum mentem; quanquam non sum nescius, substantiam ab aliis Philosophis aliter definiri. Carthesius I. P. *Princ.* art. 51. substantiam definit *rem, quæ ita exsistit, ut nulla re indigeat ad existendam*. Malebranchius vero *quod cogitari potest, quin aliud cogitetur*. Quæ duæ definitiones non multum videntur a Spinozistica distare; nullatenus tamen dubito, horum auctorum sensum fuisse a Spinozæ sensu longe diversum. S. Thom. ut erat in metaphysicis admodum profundus, & acutus, Lib. I. *Cont. Gent.* c. 25. observat, *quod in definitione substantiæ non est ens per se. Ex hoc enim, quod dicitur ens, non posset esse genus, quia jam probatum est, quod ens non habet rationem generis. Similiter nec ex hoc, quod dicitur per se, quia hoc non videtur importare, nisi negationem tantum: dicitur enim ens per se ex hoc, quod non est in alio, quod est negatio pura, quæ nec potest naturam, vel rationem generis constituere, quia sic genus non diceret, quod res est, sed quod non est. Oportet igitur, quod ratio substantiæ intelligatur hoc modo, quod substantia sit res, cui conveniat esse non in subjecto.*

tia aut concipi aut esse nequeat, cum omnis modus possit a substantia separari: ergo &c. Secundo, non potest una substantia ab alia, tanquam effectus a causa produci, quin aliquod attributum sit utrique substantiæ commune; atqui non possunt duæ substantiæ unum, idemque attributum habere commune: ergo &c. Major est certa; si enim nihil uni, alterique substantiæ commune est, nec ulla est inter utramque connexio, qualis inter causam & effectum esse debet. Prob. minor. Si duæ substantiæ haberent eadem attributa communia, inter se non distinguerentur: ergo &c.

43. Resp. primæ difficultati, dist. maj. sine quo neque esse, neque concipi potest, salva ejusdem forma, & natura, *conc.* per corruptionem prioris formæ, & novæ acquisitionem, *nego*. Hæc Spinozæ æquivocatio facile tolletur, si loco definitionis ponatur definitum in aliquo exemplo. Concursu quorumdam causarum alimentum convertitur in substantiam aliti, & fit sanguis: determinatur itaque hæc substantias ad peculiarem existendi modum, & formam, ut sit sanguis; sed inde non consequitur, ut hic determinatus existendi modus absolute nequeat a substantia tolli; sanguis enim iterum convertitur in carnem, ossa &c. & sic diversas substantias produci dicimus per generationem, ope cujus materia in varias, & multiplices formas transmutatur. Mitto autem primam diversorum entium, variique generis substantiarum productionem factam per creationem ex nihilo, in qua non tantum novæ formæ substantiales, sed etiam cum iis formis materia ipsa ex nihilo extracta est.

44. Alteri difficultati resp. dist. major. Quin aliquod sit attributum causæ, & effectui commune, seu idem *specie conc.* idem *numero*, *nego*. Pater generans filium habet eamdem naturam cum filio genito *specie*, non autem *numero*: atque ita distinguitur a filio *numerice*, quamvis non *specifice*. Sed contingere etiam potest, ut causa producat effectum specie diversum, ut cum ensis pungit, aut ignis comburit manum, producitur in animo sensatio doloris, qualis certe neque in igne, neque in gladio est. Unde patet, esse falsum, quod nimis generaliter Spinoza statuit, aliquod esse debere causam inter & effectum commune attributum.

45. Dices secundo. Causa debet continere suum effectum: sed una substantia non potest continere aliam, non ergo potest una substantia aliam producere.

46. Resp. Causam continere suum effectum non *formaliter*, sicut vinum continetur in dolio, sed *virtualiter*, sicut ignis habet virtutem comburendi lignum, & alium ignem sibi similem generandi.

47. Dices postremo. Substantia est id, *quod intelligitur per se*, *& cujus conceptus non indiget conceptu alterius*, secus ac modificatio, quæ non potest intelligi, nisi intelligatur etiam subjectum aliquod, cujus est modificatio: atqui si una substantia haberet aliquod attributum commune cum alia, a qua producta esset, conceptus unius indigeret conceptu alterius, ut cognosceretur: de essentia enim effectus est, ut per suam causam cognoscatur: ergo &c. adeoque non potest una substantia ab alia produci.

48. Resp. Dist. maj. cujus conceptus alterius conceptu non indiget, tanquam subjecti, cui inhæreat, *conc.* tanquam causæ, a qua producatur, *nego*. Motum ex. g. concipere non possumus, quin simul etiam concipiamus subjectum aliquod mobile, cui hæc modificatio inhæreat; contra vero possumus subjectum ipsum concipere sine motu; atque hoc sensu verum est, substantiæ conceptum non indigere conceptu alterius. Veruntamen si substantiam consideremus, tanquam aliquod contingens, quod a se non habet esse, hoc ipso cogimur etiam aliquam causam cogitare, quæ illam produxit. Et de hac quæstione satis (a).

CAPUT III.

Ostenditur, Deum non esse corporeum.

49. Inter Gentiles non solum rudibus, atque indoctis, sed pluribus etiam non infimi subsellii Philosophis persuasum olim fuit, Deum esse corporeum; nam Vellejus apud Ciceronem Lib. I. *de nat. Deor.* cap. 12. ita contra Platonem disputabat: *Quod vero sine corpore ullo Deum vult esse, ut Græci dicunt, ἀσώματον, id quale esse possit, intelligi non potest. Careat enim sensu, necesse est, careat etiam prudentia, careat voluptate, quæ omnia una cum deorum notione* com-

(a) De qua si quis uberius edoceri cupiat, adire poterit P. Thom. Vinc. Monigliam in *Diss. contra i Materialisti* Tom. II. P. IV. c. 5. & P. Ant. Valsecchi nel Lib. I. *De' fondamenti della Religione* c. 3. utrumque Ord. Præd. tum eminent. Card. Gerdil nella *Introduzione allo studio della Religione*, P. Bonav. Luchinum in *Diss. adv. Spinozam*, P. Lami *Le nouvel athéisme renversé*, Sylvanum Regis *L'usage de la raison*, Abb. de Condillac *Traité des systémes* ch. 10. Francois *Preuves de la religion* T. I. sect. 2. c. 5. Hoockium *Religionis naturalis*, *& moralis Philosophiæ principia methodo scholastica digesta* Tom. I. aliosque innumeros. Non est tamen fides incauta omnibus iis adhibenda, qui Spinozam se confutare profitentur; fuerunt enim qui specioso hoc choragio imperitos decipere tentarunt, ut Comes Boulainvillierus, qui in libro, cui falsus est titulus *Réfutation des erreurs de Spinoza*, omnia hujus recutiti sophismata in quanta maxima potuit luce collocavit, aliis eadem confutandi curam relinquens. De hoc lib. Vid. Laur. Moshemius in nota 1. ad *Systema univ. Intellect.* Cudworthi c. 5. Sect. 4. §. 17. Similis fraudis accusatus est etiam Franc. Cuperus, de quo supra in not. ad n. 12.

comprehendimus. Aristoteles pariter Lib. XII. *Metaph.* Deum definit *ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον animal sempiternum optimum*; hoc est, ut Picus Mirandulanus Lib. IV. *de vanitate Doctr. Gent.* capit. 1. post Justinum, & Athenagoram explicat, *animal ex anima, & corpore constitutum*. Galenus etiam in Lib. *de historia Physicæ* ita Aristotelem sensisse putat.

50. Sed mirum est, potuisse tam crassum errorem etiam in iis inveniri, qui revelationis lumine collustrati verum Deum adorabant: & tamen fatendum est, non solum inter Hebræos, sed etiam inter Christianos hunc errorem diu multumque fuisse grassatum (*a*).

51. Magis etiam mirandum, nostra, Patrumque nostrorum memoria, in tanta scilicet scientiarum luce, Socinianis, & Arminianis visum esse hanc quæstionem de incorporea Dei natura, ut ad fidem nullatenus pertineat; quam tolerantiam nonnullis argumentis Beausobrius confirmare conatus est *Hist. des dogmes de Manichée* Lib. III. cap. 2. pag. 484. Uterque error refellendus est; unde sit

PROPOSITIO I.

Deus est omnis corporis expers.

52. Prob. primo ex sacris literis. Isaias cap. XL. 18. *Cui*, inquit, *similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Ut scilicet intelligamus, Deum nulla posse imagine repræsentari, quia corpus non est, cujus imago pingi, aut sculpi possit. Apostolus etiam Act. XVII. 29. *Non debemus*, inquit, *æstimare, auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ, artis, & cogitationis hominis Divinum esse simile*. Et iterum 2. ad Corinth. III. 17. *Dominus autem spiritus est*; & Joann. IV. 24. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare*.

53. Prob. secundo ex Ecclesiæ judicio; nam in Concilio Lateran. IV. sub Innocentio III. in cap. *Firmiter* ita expresse definitum est: *una est Dei essentia, substantia, sive natura, simplex omnino*. Si vero esset corporea, non posset dici *omnino simplex*. Præterea Anthropomorphitæ, ut hæretici in Ecclesia habiti sunt, quod proposit. sequ. ostendetur.

54. Prob. tertio ex sanctis Patribus. Origenes Lib. II. *de Principiis* cap. 1. *Non ergo*, ait, *aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se admixtionis habens .... ut sic ex omni parte monas, & ut ita dicam, totus mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturæ, vel mentis est*.

55. Methodius Tyrius, qui eodem Sæc. III. cum Origene floruit, *Deus*, inquit, apud Photium in *Biblioth.* cod. 234. *incorporeus est, & ideo minime adspectabilis*.

56. S. Augustinus, cum alias sæpe, tum Lib. XII. *de Trinit.* cap. 7. Tom. VIII. hunc errorem impugnat, & inquit, *turpiter vanam esse cogitationem, quæ opinatur, Deum membrorum corporalium lineamentis definiri, atque circumscribi*. Et alibi ex quo animus noster incorporeus est, recte colligit, Deum creatorem animi corpus non esse, Lib. VIII. *de civ. Dei* cap. 5. Tom. VII.

57. S. Leo Magnus Serm. IV. in Epiph. Deum appellat *sempiternæ, & incorporeæ lucis essentiam*. Et infinitus plane essem, si omnia Sanct. Patrum loca huc afferre vellem, quibus Deum esse incorporeum, & summe simplicem asseritur.

58. Sed hanc veritatem omnium uberrime exposuit, ac comprobavit S. Gregorius Nazianz. in *Orat.* XXXIV. (in nova autem edit. Paris. ann. 1778. XXVIII. num. 7. & seq.) ubi Deum esse in-

(*a*) Sadducæi, celebris Judæorum secta, satis probabiliter Deum sibi corporeum effingebant; dicebant enim, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*. Act. XIII. 8. Manichæi autem Deum lumen quoddam æternum esse crediderunt; quibus, observante P. Aug. Ant. Georgio in *Alphabeto Tibetano* P. I. n. 102. etiam Tibetani consentiunt, populi scilicet Tartariæ Sinensis septentrionalis. Eademque fuit Valentinianorum opinio apud S. Epiphanium *Hæresi* XXXIII. Sed multo celebrior in Ecclesia fuit Anthropomorphitarum secta, quæ ætate Origenis jam orta erat: memorat enim in fine Lib. I. in Ep. ad Rom. Christianorum aliquos, *qui in Ecclesia positi imaginem corpoream hominis esse Dei imaginem dicebant*. Post autem Audæus quidam, vel Audius natione Syrus Sec. IV. errorem hunc magis dilatavit, si Theodoretus vera narrat Lib. IV. *Hist. Eccl.* c. 10. unde etiam Anthropomorphitæ dicti sunt *Audiani*, & aliquando *Vadiani*. Adeo autem erratica hæc opinio brevi invaluit, præcipue apud Monachos Ægypti, ut quidam eorum, Socrate referente Libr. VI. *Hist. Eccl.* c. 7. Theophilum Alex. Patriarcham, quod Deum incorporeum prædicarét, veluti impietatis reum nedum ab Ecclesia, sed plane e mundo exterminatum vellent. Etiam Sec. V. quosdam ex monasterio montis Calamonis fuisse anthropomorphismo infectos, liquet ex epistola, quam S. Cyrillus Alex. suo operi contra Anthropomorphitas præfixit. Sed in Africa quoque ætate S. Augustini fuisse Anthropomorphitas, S. Augustinus aperte innuit *Contra ep. quam vocant fundamenti* c. 23. T. VIII. memorans aliquos *carnales, & parvulos, qui .... solebant Deum sibi libertate phantasmatis corporis humani specie figurare*. Demum in Italia anthropomorphismum olim regnasse, testis est Ratherius, qui Veronensem Ecclesiam Sæc. X. semel, & iterum administravit in Serm. I. *de Quadrages.* Tomo II. *Spicilegii* Lucæ d'Achery. Sæculo autem elapso Thomas Hobbesius impietatis accusatus est, cum ex aliis multis capitibus, tum etiam ex eo, quod haud obscure Deum corporeum ponere videatur in *Leviathan* capit. 12. & 24. ac in append. ad *Leviathan* cap. 1. Impium Spinozam prætereo, qui, ut superius vidimus, non tam Deum corporeum facere nisus est, quam eum prorsus de medio tollere.

incorporeum multis, atque invictis rationibus demonstrat; quarum præcipua hæc est.

59. Deus infinitus est, & immensus: hæc autem duo attributa substantiæ corporeæ convenire nequeunt. Non primum: substantia enim corporea quibusdam terminis circumscribitur, cum partibus necessario constet. Nec secundum; sequeretur enim, aut nullam aliam esse in hoc mundo substantiam præter Deum, quod supra contra Spinozam explosum est, aut duas substantias corporeas, & extensas simul compenetrari, quod est absurdum.

60. Præterea omne corpus, quantum quidem cognitione assequi possumus, materia, & forma constat; utraque autem hæc pars substantiæ corporeæ imperfecta est, cum altera indigeat ad totius compositionem: constabit itaque Deus ex partibus imperfectis; atque adeo erit in Deo imperfectio, quod Dei notioni repugnat (a).

61. Accedit ad mensuræ cumulum & consensus plurium illustrium Philosophorum, ut Platonis, ejusque Scholæ (apud S. Augustin. Lib. VIII. *de civ. Dei* cap. 6.), Ciceronis (apud eumdem Lib. XXII. cap. 20.), Maximi Tyrii (Dissert. III.), Sexti Empirici (Lib. VIII. *contra Dogmaticos*), quibus ex Huetio Lib. II. *Quæst. alnetan.* num. 11. Pythagoras, Xenophanes, Aristoteles, aliique plures adjunguntur.

62. Ob. primo Genes. I. 25.° dicitur Deus similis esse homini: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram .... & creavit Deus hominem ad imaginem suam;* cum ergo homo sit compositus ex anima & corpore, Deus etiam &c.

63. Resp. proprie hominem dici creatum ad imaginem Dei, quantum ad animam, quæ spiritualis est, non quantum ad corpus materiale. *Invisibilis Dei imago*, inquit S. Ambrosius in Ps. CXVIII., *non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur*, nempe in anima. Idem tradunt S. Augustinus in Ps. XLVIII. S. Gregorius Nyssenus, aliique communiter. Immo S. Paulus Coloss. III. 10. hanc similitudinem & imaginem agnoscit in homine per gratiam sanctificantem renovato: *Induentes*, inquit, *novum* (hominem), *eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

64. Dices. S. Irenæus Lib. V. *adv. Hær.* c. 5. ea verba Geneseos *ad imaginem suam* interpretatur de carne, *quæ est plasmata*, inquit, *secundum imaginem Dei*. Irenæum sequuntur Clemens Alexandrinus Lib. II. *Stromatum*, Philastrius cap. 85. & Paulinus Nolanus.

65. Resp. primo, aliquos veterum Patrum distinxisse inter imaginem, & similitudinem, ut imago esset id, quod Deum quocumque modo repræsentaret; itaque nedum homo, sed quæcumque creatura hoc sensu imago Dei dici potest. Similitudo autem ab eis sumebatur pro repræsentatione magis propria; atque hoc sensu plurimi Patres imaginem Dei esse in hominis natura dicebant, similitudinem vero in virtute, seu in statu hominis perfecto ac bonorum possessione cumulato.

66. Resp. secundo, nonnunquam a sanctis Patribus hominem, quantum ad corpus propria significatione vocari imaginem Dei, habita ratione naturæ humanæ, quam Deus assumpturus erat. Quamobrem Tertullianus Lib. *de resurrect. carnis* cap. 16. *ad imaginem*, inquit, *Dei fecit illum* (hominem) *scilicet Christi*.

67. Neque illud prætermittendum est, nonnullos veterum fuisse opinatos, Deum humana forma assumpta creasse hominem ad imaginem & similitudinem suam. Hæc sententia placuit etiam Sæculo XVI. celebri Augustino Steuchio Eugubino in *Cosmopœia*; & fortasse hoc modo explicandus est Tertullianus, dum Lib. *de resurrect. carnis* cap. 6. inquit de homine: *toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum affingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac deditum manu, sensu, opere.* Et Prudentius in *Apotheosi* ita de Deo canit:

Dignatur perpinguis humi comprendere mollem
Divinis glebam digitis; nec sordida censet
Hærentis massæ contagia.

68. Dices. In sacris literis corporum proprietates, humanique corporis membra Deo sæpe tribui videmus. Tribuitur primo magnitudo, & extensio. Job. XI. 8. *excelsior cœlo .... profundior Inferno .... longior terra mensura ejus, & latior mari.* Secundo tribuuntur Deo oculi Ps. XXXIII. *Oculi Domini super justos;* aures Ps. CXXIV. *Fiant aures tuæ intendentes;* manus, & digiti Ps. VIII. *Opera digitorum tuorum .... opera manuum tuarum*, aliaque hominis membra Deo quam sæpissime adscribuntur: ergo &c.

69. Resp. cum S. Thoma I. P. qu. 3. art. 1. ad 1. & ad 3. Hæc omnia non proprie, sed metaphorice esse dicta ad significandas quasdam Dei proprietates, & operationes, quæ ut sunt in se, aut vix aut nullatenus possunt in nostram cogitationem cadere. Ita per magnitudinem, & extensionem exprimitur Dei immensitas; per manus, & digitos potentia, & operatio; per oculos, & aures omnis scientia. Ne autem hujusmodi figuris deciperemur, duplici ratione in sacris Scripturis cautum est. Primo eodem pene modo Deus aliquando vocatur, *leo*, *petra*, *lux* &c. dicitur etiam *alas habere*, & alia id genus, quæ certe nemo adeo stultus est, ut non intelligat, esse dicta *metaphorice*. Secundo aliis in locis humana membra Deo aperte denegantur, ut Jobi X. 4. *Numquid*

(a) Aliæ plures rationes videri possunt apud S. Th. 1. p. q. 3. art. 1. & 2. Lib. 1. *Cont. Gent.* c. 20.

quid oculi carnei tibi sunt, *aut sicut videt homo, & tu videbis?* Negatur insuper Deo determinata extensio, 3. *Regum* VIII. 27. *Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi* (*a*)?

70. Idem dicatur de humanis quibusdam affectibus, ira, pœnitentia, zelo, patientia, ceteris, quibus Deus quandoque obnoxius esse dicitur; hæc enim sumi debent solum quantum ad effectum, qui in creaturis producitur, & *objective*, ut scholæ loquuntur, non autem *subjective*, quasi sint in ipso Deo; nam Samuel Propheta dicebat 1. *Regum* XV. *Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo est, ut agat pœnitentiam*; & S. Jacobus Cap. I. 17. *apud quem* (nempe Deum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Vid. S. Aug. in *Enchiridio* c. 33. n. 10. & L. II. *ad Simplicianum* q. 2. n. 2. Tomo VI.

71. Inst. Lactantius in Lib. *de ira Dei* alias quidem passiones a Deo removet, contendit tamen, in eo esse *iram*, & quidem propriam; si enim de ira minus propria, & quantum ad effectum solum loqueretur, non esset, cur eodem modo reliquas etiam passiones in Deo non poneret.

72. Resp. nomine *iræ* eo in libro a Lactantio intelligi *justitiam*, qua Deus punit impios; quæque eodem modo in Deo est, ac misericordia, & cetera ejus attributa. Audiatur ipse Lactantius c. 16. n. 30. *Sunt aliqui affectus, qui non cadunt in Deum, ut libido, avaritia.... his enim vacat, quia vitiorum affectus sunt. Eos autem, qui sunt virtutis, idest ira in malos, caritas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios, & justos, & veros habet.*

73. Ob. 2. Scriptura sacra nullibi asserit, Deum esse incorporeum. Spiritum quidem eum esse, ait; veruntamen, ut observat Origenes L. I. *de principiis* c. 1. id potius denotat, Deum esse corpus. *Scio*, inquit Origenes, *quod conabuntur quidam etiam secundum scripturas nostras dicere, Deum corpus esse, quoniam inveniunt scriptum esse apud Moysem quidem* (Deut. IV. 24.) *Deus noster ignis consumens; in Evangelio vero secundum Joannem* (Cap. IV. 24.) *Deus spiritus est.... ignis vero, & spiritus non aliud apud eos, quam corpus esse putabitur.*

74. Resp. Origenem stultam hanc aliquorum opinionem, & pravam scripturæ sacræ interpretationem referre simul, & nervose refellere, atque ostendere, nomen *spiritus* a scriptura sacra usurpari ad significandas res incorporeas, quod pluribus exemplis demonstrat. *Consuetudo*, inquit, *scripturæ sacræ est, cum aliquid contrarium corpori huic crassiori & solidiori designare vult, spiritum nominare, sicut dicit* 2. Corinth. III. 6. *litera occidit, spiritus autem vivificat. In quo sine dubio per literam corporalia significat, per spiritum intellectualia, quæ & spiritualia dicimus*. Et infra ex contextu Evangelii, & ex scopo Christi Domini Samaritanam alloquentis evincit *spiritum* Jo. IV. sumi, prout opponitur corpori; unde etiam colligit, Deum esse incorporeum.

75. Ob. tertio. Doctrina Origenis de Deo incorporeo fuit sæculo IV. desinente in duobus Conciliis proscripta, altero Alexandriæ habito sub Theophilo; altero in insula Cypro sub Epiphanio. Socrates enim Lib. VI. *Hist. Eccl.* c. 10. narrat, Theophylum simulatorem vaferrimum, quamvis Deum incorporeum esse crederet, contrarium tamen se sentire simulasse, ut posset celebres fratres Longos, aliosque suos inimicos perdere; initaque cum S. Epiphanio, & Monachis Anthropomorphitis amicitia primo curasse, a lectione librorum Origenis in Concilio Episcoporum totius insulæ Cypri homines a S. Epiphanio prohiberi; deinde plures Episcopos Alexandriæ congregasse ad eumdem Origenem condemnandum; tentasse demum, sed frustra, in eamdem impietatem etiam S. Joann. Chrysost. pertrahere. Eademque iisdem pene verbis Sozom. refert. L. V. *Hist. Eccl.* 8. 14.

76. Resp. Fuisse in his duobus Conciliis damnatum Origenem, ejusque operum lectionem vetitam propter quædam errorum monstra, quibus scatebant, non tamen expresse, & determinate propter dogma Dei incorporei (*b*). Nam primo quis credat, Theophili fautores, & approbatores, quos inter Anastasius erat Rom. Pontifex, Hieronymus, aliique magni viri, Deum corporeum esse contra Origenem definire voluisse? Hieronymum præcipue, qui epist. ad Pammachium Anthropomorphismum vocat *stultissimam hæresim*. Secundo. Inimici Theophili, atque imprimis S. Jo. Chrysostomus hanc ipsi impietatem objicere non prætermisissent, eumque non modo avaritiæ, superbiæ, & violentiæ, sed hæresis, atque impietatis accusassent, ejusque depositionem a Patriarchatu postulassent.

77.

(*a*) Ita explicant hæc S. Scripturæ loca Origenes Lib. I. *De principiis* capit. 1. Sanct. Gregorius Nazianz. Orat. supra laud. Sanct. Basilius Lib. II. *Contra Eunomium*, Sanct. Hieronymus in Ps. XCIII. Sanctus Augustinus epistol. CXLVIII. *ad Fortunat.* Sanctus Fulgentius Resp. IX. *ad Objecta Arianorum*, & S. Jo. Damascenus Lib. I. *de fide Orthodoxa* cap. 11.

(*b*) Obscurus certe; atque admodum implexus est hic ecclesiasticæ historiæ locus, secum ipsis pugnantibus nedum recentioribus, sed etiam veteribus scriptoribus. Si Socratem, Sozomenum, duosque Palladios audiamus, omnia contra fas, vi, & fraudibus a Theophilo peracta sunt, homine quidem docto, sed avaro, superbo, doloso, violento, qui prætextu Origenianæ sectæ exstirpandæ ad privatam ultionem quatuor fratres Longos innocentes, doctrina, & pietate insignes, una cum a-

77. Dices. Reipsa Socrates, & Sozomenus aperte insinuant, Theophilum saltem extrinsecus se anthropomorphitam simulasse, ut Origenis damnationem obtineret, cujus prætextu posset de fratribus Longis (scilicet Dioscoro, Ammonio, Eusebio, & Euthimio) aliisque sibi infestis Monachis ulcisci: ergo verisimile est, eo ex capite fuisse damnatum Originem, quod Deum incorporeum esse prædicabat (a).

78. Resp. nego cons. quæ certe ex verbis Socratis, ejusque exscriptoris Sozomeni erui non potest. Dicunt illi quidem, Theophilum simulasse se anthropomorphitam, ut ita cum Epiphanio, aliisque Monachis amicitiam iniret ad suos hostes perdendos, sed inde non sequitur, propterea fuisse damnatum Origenem, quod Deum incorporeum confitebatur. Hujus hæc ratio est, quia ad damnationem Origenis, uedum Epiphanii, Monachorum suffragiis indigebat Theophilus, sed etiam aliis Episcopis, quorum plerosque in Origenis damnationem minime consensuros certo noverat, si ideo damnandus fuisset, quia Deum incorporeum confitebatur. Astutus itaque Theophilus variis escis incautos cepit, ut generalem, & indistinctam Origenis damnationem obtineret, qua obtenta infestos sibi Monachos perderet. Quanquam Epiphanium in stultam anthropomorphitarum hæresim fuisse delapsum concedi nequit, ut inferius ostendetur.

79. Addo, difficile creditu esse, quod Socrates, & Sozomenus narrant, Theophilum se anthropomorphitam simulasse: ut enim Cassianus narrat *Collatione* X. cap. 2. in *epistola Paschali* directa ad Monachos *contra ineptam Anthropomorphitarum hæresim longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit;* quo rudium illorum Monachorum magnum in se odium concitavit.

PROPOSITIO II.

Deum incorporeum esse, dogma fidei est.

80. Ex superius allatis satis hæc propositio constat. Addimus tamen, constanter in Ecclesia ut hæreticos habitos fuisse, qui Deum corporeum sibi effingebant. S. Hieronymus ep. LXI. ad Pammachium eorum opinionem, qui *simplicitate rustica* Deum habere membra arbitrabantur, *stultissimam hæresim* appellat. Eam *stultam sententiam* appellat pariter Theodoretus Lib. IV. *Hæreticarum fabularum* cap. 10. S. Augustinus in Lib. *de Hæresibus* Hær. L. & Hær. LXXXVI. Anthropomorphitas inter hæreticos recenset; nec alia ratione Tertullianum ab hæresi excusari posse dicit, nisi quia *potuit putari propterea corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas*. Qui ergo Deum esse corporeum absolute sentiebant, S. Augustino judice ab hæresi excusari non poterant. Et alibi (epist. CXX. alias CCXXII. c. 2.) *quamdam idololatriam* vocat, ex consuetudine rerum visibilium Deum sibi corporeum fingere: & rursus *de fide, & symbolo* cap. 7. explicans ea verba Symboli: *Sedet ad dexteram Patris; nec ideo*, inquit, *quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem, arbitrandum est .... ne in illud incidamus sacrilegium, in quo execratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*. Cassianus autem *Collat.* X. cap. 2. & seq. Anthropomorphismum appellat *ineptam hæresim, gravem errorem, qui in perpetuæ mortis discrimen injiciat, & gentilem blasphemiam ab omnibus detestandam*. Denique S. Philastrius, S. Epiphanius, S. Jo.

liis Monachis ipsorum fautoribus crudelissime exagitavit. Ejusdem Theophili dolis S. Epiphanius deceptus est, & S. Jo. Chrysostomus, qui impiis hisce flagitiis consentire, & cooperari recusavit, variis calumniis appetitus, ac demum a Patriarchali sua sede extrusus. Ita veteres illi scriptores, quos sequitur Card. Orsius recens, gravisque historicus Lib. XXII. *Hist. Eccl.* Tomo X. Alii contra, quamvis Theophilum ab omni culpa non liberent, in iis præcipue, quæ contra S. Jo. Chrysostomum gessit, ejus tamen zelum contra Origenistas maximis extollunt laudibus. Hos inter excellit S. Hieronymus, qui publice Theophilo, quasi de insigni reportata victoria gratulatus est in ep. LXX. dicens: *Breviter scribimus, quod totus mundus exultet, & in tuis victoriis glorietur, erectumque Alexandriæ vexillum crucis, & adversus hæresim trophæa fulgentia gaudens populorum turba prospectet. Macte virtute, macte zelo fidei; ostendisti, quod hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus.* Vid. etiam ep. LXXXI. ad eumdem Theophilum. Nat. Alex. Sæc. III. c. 3. & nonnulli alii, qui Theophilum defendunt, recentiores historici, Palladios, Socratem, & Sozomenum suspectos habent, quasi partium studio abrepti in Teophilum fuerint minus æqui.

(a) Verba Socratis hæc sunt: *Amicitiam quoque redintegravit* (Theophilus) *cum Epiphanio Constantiæ Cypri Episcopo, a quo antea dissidebat. Insimulaverat enim Theophilus Epiphanium, tamquam abjecte de Deo, quem humana specie præditum esse arbitrabatur. Cum ergo Theophilus ita sentiret de Deo, eosque reprehenderat, qui Deum humana figura præditum esse censebant, præ odio tamen, quo in alios ferebatur, ea quæ sentiebat, palam denegavit; initque tunc amicitiam cum Epiphanio, quocum antea dissentiebat, perinde ac si pœnitentia ductus idem cum illo sentiret de Deo. Episcoporum quoque Synodum in Cypro ab eodem fieri curavit, quo Origenis libri condemnarentur.* Clarius adhuc Sozomenus: *Amicum sibi adjunxit* (Epiphanium) *licet antea eum reprehendisset, quod Deum humana specie præditum opinaretur: tum vero quasi resipiscens veram tandem sententiam agnovisset, idem se cum illis scripsit, & Origenis libros tanquam hujusmodi dogmatum auctoris calumniari instituit.* Contendunt aliqui vitiatam esse lectionem illam ὥσπερ ὀρθὴν δόξαν ἐπιγνοὺς *quasi veram sententiam agnovisset*, & legendum esse ἐπιγνόντι *veram sententiam agnoscenti*, ut nempe intelligamus, Theophilum Epiphanio resipiscenti ab errore fuisse reconciliatum.

Jo. Damascenus, Isidorus, Rhabanus in suis catalogis hæreticorum Audianos seu Anthropomorphitas inter hæreticos nunierant. Post tam multas, & tam apertas Ss. Patrum sententias, quis hunc errorem valeat ab hæresis nota purgare?

81. Objicit primo Beausobrius. Scriptura sacra nullibi tradit, Deum esse *incorporeum*, quemadmodum fatetur Origines in Proœmio ad Lib. *de principiis* num. 9. inquiens: *Deus quoque ipse quomodo intelligi debeat; inquirendum est, corporeus, & secundum aliquem habitum deformatus, an alterius naturæ, quam corpora sunt, quod utique in prædicatione nostra* (idest in Evangelio) *manifeste non designatur.* Præterea observante eodem Origene, appellatio ἀσώματον, idest *incorporei apud nostras Scripturas est inusitata:* nihil ergo docent Anthropomorphitæ contra sacras literas, ut proinde eorum error tolerari possit.

82. Resp. Si hanc vocem ἀσώματον requiramus, eam utique in sacris cum veteris, tum novi testamenti paginis non inveniemus; si tamen rem ipsam sub aliis vocibus designatam accipiamus, perspicue, constanterque tradi in sacris literis jam ostensum est: & Origenes ipse ea verba Joann. IV. *Deus spiritus est*, non alio modo intelligi posse demonstrat, quam per oppositionem ad corpus. Deinde cum sacræ literæ ubique nobis Deum exhibeant ut infinitum, immensum, omnique perfectionum genere cumulatissimum; satis luculenter nobis prædicant, Deum esse incorporeum.

83. Dices. Ex quo Deus vocetur *Spiritus*, non debet colligi, eum esse incorporeum. Primo, quia aliqui, apud Origenem Lib. I. *de principiis* cap. 1. inde potius colligebant, Deum esse corpus. Secundo quia nec græci, nec latini veteres auctores nomine *spiritus* id intelligebant, quod nos intelligimus; nam S. Gregorius Nazian. *Oratione* XXXIV. (nunc XXXVIII. n. 13.) ait, spiritum *sine motu, & diffusione intelligi non posse;* quæ duæ proprietates corporum sunt. Tertio Origenes ipse in Joannem dicit, *spiritum si proprie loqui velimus, esse corpus.* Deinum veteres plerique spiritus esse corporeos opinati sunt.

84. Resp. non ex eo solum, quod Deus vocetur, *spiritus*; nos colligere, eum esse incorporeum, sed ex eo potissimum, quod infinitus, immensus, & omnis compositionis expers dicatur, & sit; quæ omnia cum corporea natura pugnant. Nihil igitur interest, quænam olim fuerit apud veteres hujus vocis *spiritus* notio; nam sine ulla dubitatione apparet, ita Deo tribuendam esse, ut nulla in eo sit compositio corporea. Ii vero pauci, qui illius vocis significatu abutebantur, ut Deum esse corpus evincerent, ab Origene non sine stomacho refutati sunt, ut superius vidimus.

85. Ob. secundo Beausobrius. Nihil religio detrimenti capit, ex quo Deus corporeus esse credatur. Qui enim Deum aut lucem corpoream, aut humanæ formæ similem esse dixerunt, non minus eum, ut sanctum, omnipotentem, & maximum coluerunt. Immo Cassianus *Collat.* X. cap. 2. refert, Abbatem Serapionem, coactum ad ejurandum Anthropomorphismum, fuisse postea ita mente confusum, *ut in amarissimos fletus, crebrosque singultus repente prorumpens, in terramque prostratus cum ejulatu validissimo proclamaret: eheu me miserum! tulerunt a me Deum meum, & quem nunc teneam, non habeo, vel quem adorem, aut interpellem, jam nescio:* tolerari ergo potest innocuus error, qui ad pietatem admodum confert.

86. Respond. ideam Dei corporei nos in maximos turpissimosque alios errores sponte sua pertrahere, ut ad ipsum Deum tollendum quasi per gradus descendamus. Quod si aliqui rudiores hoc errore a pietate abducti non sunt, hoc divinæ potius providentiæ est adscribendum, quam opinionis innocentiæ. Abbas tamen Isaac, ut idem Cassianus narrare pergit, Serapionis perturbatione se a recta sententia dimoveri passus non est, dicens: *si quis fuerit catholicis dogmatibus institutus,* (Anthropomorphismum) *ut gentilem blasphemiam detestabitur, & ita ad illam orationis purissimam perveniet qualitatem, quæ non solum nullam divinitatis effigiem, nec lineamenta corporea* (*quod dictu quoque nefas est*) *in sua supplicatione miscebit, sed* &c. (a). Addo ea, quæ

(a) Hinc etiam est, quod S. Augustinus *de fide & symbolo* cap. 7. *nefas esse* putavit, simulacrum Dei Patris in templis collocare; quod nonnullos alios Patres etiam sensisse, ostendit Lud. Thomassinus Lib. XII. *de Incarnat.* c. 9. ubi tamen observat, *pingendi, sculpendique arte repræsentari posse eas apparitiones, quibus se Deus olim exhibebat: aliud est enim Deum pingi, aliud apparitionem aliquam Dei*, quia in hujusmodi apparitionibus non Deus ipse, sed illa symbola pingnntur, sub quibus Deus apparere dignatus est, & concludit; hodiernam Ecclesiæ pietatem a priscis regulis non exorbitasse, quia *non imagines proprium Dei naturam repræsentantes, sed symbola quædam ejus perfectiones mysticæ, & umbratice significantia in templis poni*, permittit. Unde etiam intelligi potest, quo sensu ab Alexandro VIII. damnata fuerit illa propositio num. 25. *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est in templo Christiano collocare;* potest enim hac imagine significari apparitio facta Danieli cap. VII. & Joanni Evangelistæ Apocal. IV. ut Jo. Molanus explicat in *Hist. SS. imaginum, & picturarum pro vero earum usu contra abusus.* Lovanii 1594. Lib. II. cap. 3. & 4. De hac re videri quoque potest Catechismus Roman. de primo præcepto Decalogi cap. 2. num. 20. Synodus Tridentin. Sess. XXV. in decreto de *sacris imaginibus* ita sapienter cautum voluit: *nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias, & narrationes sacræ scripturæ, cum id indoctæ plebi expediat, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.*

quæ de Sacrosancto Trinitatis mysterio Catholica professio habet, consistere cum ea opinione non posse, quæ Deo corpus affingit. Quis enim concipiat, aut intelligat unius naturæ tricorporem Deum? (a)

87. Obj. tertio Beausobrius. Nos, fatentibus Ecclesiæ Patribus, Theologis, atque Philosophis, nullam neque Dei, neque spiritus claram, distinctamque notitiam habemus: tolerari igitur possunt qui ipsum incorporeum esse negant.

88. Confirm. hoc argumentum primo ex Auctore *quæstionum christian. ad Græcos*, qui olim S. Justinus putabatur (b); nam quæst. 2. Deum neque corporeum, neque incorporeum esse asserit. Secundo ex S. Augustino, qui *Hæresi* L. S. Epiphanium Anthropomorphitis pepercisse dicit, ne hæreticis accenseret; & post pauca subdit: *quamvis sint, qui eos in Ægypto Ecclesiæ catholicæ communicare asseverent*. Et alibi (contra *epist. fundamenti* cap. 23. & Lib. XII. *Confess.* cap. 27.) Anthropomorphitas *Ecclesiæ catholicæ gremio contentos esse*, fatetur.

89. Primæ difficultati resp. Quamvis non latet, quid proprie sit Deus, scimus tamen quid non sit, seu omnem imperfectionem possumus, & debemus ab ejus natura removere. Cum igitur crassam corporis materiam sine multis, & magnis imperfectionibus esse non posse, satis constet, eam a Deo jure removemus. Eodemque modo quanquam ignoramus, quid proprie spiritus sit, sufficit, ut sciamus, eum substantiam esse ab omnibus corporeis imperfectionibus liberam.

90. Auctor *quæstionum Christian. ad Græcos* negat Deum posse appellari *incorporeum*, quasi sit aliquod ens definitum, & quasi certis terminis designari, aut exprimi ejus natura possit, non autem quatenus per hanc vocem corporis, & compositionis negatio exprimitur. Eodemque ferme sensu auctor *Lib. de Trinitate* (apud S. Augustinum Tom. VIII. in append.) negat, Deum *spiritum* dici posse, *quia quando Spiritus dictus est, non omne id, quod est, dictus sit*.

91. Tertia difficultas solvitur observando, simplices quosdam, rudioresque Anthropomorphitas fuisse in Ecclesia toleratos, *quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur hæretici*. Verba hæc sunt S. Augustini, quibus declarat, nonnisi ignorantia fuisse eos quodammodo excusatos, ne pro hæreticis haberentur. Eodem pariter sensu Cassianus *Collat.* X. cap. 2. absurdam hanc Monachorum quorumdam opinionem *simplicitatis errorem* nominat. Alibi autem S. Augustinus Anthromorphitas in Ecclesia contineri dicit hac tamen conditione, ut *non se in temerarias opiniones præcipitent, sed ibi studium pium quærendi nutriant, ibi petant, ut accipiant, ibi pulsent, ut eis aperiatur, incipiant spiritualiter allegorias, parabolasque scripturarum intelligere ... qua intelligentia quanto magis proficiunt, tanto magis catholici esse firmatur*. Sic etiam L. XII. *Confess.* postquam dixisset, esse aliquos, qui dum hæc verba: *in principio creavit Deus cœlum, & terram* cum iis, quæ sequuntur legunt, vel audiunt, cogitant Deum, quasi hominem, ita subdit: *in quibus adhuc parvulis animalibus, dum isto humillimo genere verborum, tamquam materno sinu eorum gestatur infirmitas; salubriter ædificatur fides, qua certum habeant; & teneant, Deum fecisse omnes naturas &c.*

92. Obj. ult. Beausobrius auctoritatem Melitonis, Tertulliani, aliorumque, qui Deum corporeum esse crediderunt (c).

93. Resp. unum, vel alterum Ecclesiæ Patrem, qui refragetur veritati dogmatis alicujus, nullum fidei præjudicium afferre. Sed præterea adhuc sub judice lis est, an Melito, Tertullianus, & Audius in Anthropomorphitarum insaniam consenserint, & multi ex recentioribus præsertim Theologis eorum verba ad catholicum sensum adducunt. Quid tamen de eorum mente dici probabilius possit, breviter indicabo.

DE MELITONE.

94. Floruit Melito Sardensis in Lydia Episcopus sæculo II. magna doctrinæ, & sanctitatis laude. Eum Polycrates *Spiritu sancto afflatum* appellabat (apud Eusebium Lib. V. *Hist. Eccl.* cap. 24.). Tertullianus etiam eum a plerisque habitum ut Prophetam testatur (apud S. Hieronymum *de viris illustribus* cap. 24.) Origenes tamen Melitoni coævus eum accusat (apud Theodoretum Quæst. XX. in Exodum) *quod scripta reliquerit de eo, quod Deus corporeus sit*. Eumdem illi errorem tribuit Gennadius in Lib. *de Ecclesiast. Dogmatibus* cap. 4.

95. Recentiores, qui Melitonem ab hoc errore purgare satagunt, Origenem hallucinatum fuisse dicunt ex titulo alicujus libri, quem Melito inscripsit περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ (apud Eusebium Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 26.), quasi de Deo corporeo in eo ageretur, cum tamen liber esset de

Deo

(a) S. Antoninus P. III. tit. 8. cap. 4. §. 11. imaginem Trinitatis, sub figura unius hominis habentis tria capita, vel tres facies, vocat *monstrum in rerum natura*. Vid. mox laud. Jo. Molanus cap. 4.

(b) Vid. nova edit. S. Justini in Append. P. I.

(c) Voltairius (Lettre XIII. sur M. Locke) solita sua temeritate quasi ex tripode pronuncians, *plurimos Patres Deum corporeum credidisse*, scribit. *Quant aux Pères de l'Eglise, plusieurs, dans les premiers siècles, plusieurs, dis-je, ont cru... Dieu corporel*. Annon in talem sycophantam ea verba quadrant, quæ habet Cicero Lib. I. *de divinat.* cap. 67. *nec cognovi quemquam, qui majori auctoritate falsa diceret*. Vid. Eminentissimus Gerdil, ubi de Dei immaterialitate novis argumentis demonstrata agit Tom. III. edit. Bononien. P. VIII. Sect. 2.

Deo incarnato. Sed infirma nimis, ut puto, hæc est conjectura ad convellendam tam claram, & apertam Origenis accusationem. Primo enim quis certo asserere audeat, Origenem nonnisi titulum illius operis vidisse, non vero legisse opus ipsum? Secundo unde scimus, hunc librum περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ fuisse *de Deo incarnato*, & non potius de *Deo corporeo*? græca enim phrasis utrumque sensum patitur: nec Ruffini auctoritas, qui ea verba latine vertit *de Deo corpore induto*, tanta est, ut illi acquiescere omnino debeamus. Res ad minus valde dubia est (*a*).

DE TERTULLIANO.

96. Major, & difficilior est inquisitio de Tertulliani mente, qui sæculis II. & III. usque ad annum 220. in Ecclesia Africana floruit. Sanctus Augustinus Lib. X. *de Genesi ad literam* cap. 25. de eo hæc habet: *corpus esse animam credidit .... nec de Deo voluit aliter sapere*; & Epist. CXC. ad Optatum mirandum non esse ait, Tertullianum somniasse animam esse corpoream, *qui etiam ipsum creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur*. Idemque repetit Lib. II. *de anima*, *& ejus origine* cap. 5.

97. Idem tamen S. Pater in Lib. *de hæresibus* cap. 86. ita de Tertulliano statuit: *animam dicit immortalem quidem, sed eam corpus esse contendit: neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum. Nec tamen hinc hereticus dicitur factus; posset enim quoquo modo putari, ipsam naturam, substantiamque divinam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant, vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ proprie dicimus corpora: quamvis de anima tale aliquod sentiat. Sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis, vel animæ qualitas, sed ubique totus &c.*

98. Tertullianum Anthropomorphitis accenset Gennadius *de dogmat. ecclesiasticis* c. 4. S. Fulgentius Lib. *de veritate prædestinationis*, *& gratiæ* cap. 21. & S. Thomas Lib. I. *Cont. Gent.* cap. 20. Et quidem sexcenta plane loca sunt, in quibus Tertullianus Deum esse corpus statuit, licet non commune, & vulgare, sed sui generis, quomodo etiam Spiritum corpus esse sui generis putat: videtur enim hic scriptor nihil nisi corpus admittere. *Omne*, *quod est*, inquit Lib. *de carne Christi* cap. 11. *corpus est sui generis: nihil est incorporabile, nisi quod non est*.

99. Qui Tertullianum a tam crasso errore liberare student, dicunt, eum nomine corporis intellexisse substantiam, prout nihilo opponitur, & magnam vim faciunt in simili prorsus loquendi modo, quem adhibuit sæculo IV. S. Phæbadius Agennensis Episcopus in Lib. contra Arianos (*b*). Sed mirabile videtur, Tertullianum latini sermonis minime ignarum nomen corporis tam sæpe, immo semper usurpasse ad divinam substantiam significandam; & si quandoque Deum spiritum appellat, ne a sacrarum Scripturarum phrasi abhorrere videatur, statim adjicere, etiam Spiritum esse corpus (*c*).

DE AUDIO.

100. Audius, vel Audæus sæculo IV. una cum pluribus asseclis se ab Ecclesia separavit, & in schismate ab Episcopo pariter schismatico Episcopus factus est. Cum autem populos ab Ecclesiæ obsequio retraheret, a Constantino Imperat. in Scythiam relegatus est. Hæc constant ex S. Epiphanio *Hæresi* LXX. utrum vero in hæresim Anthropomorphitarum inciderit, quæstio est.

101. Theodoretus Lib. IV. *Hæreticarum fabularum* cap. 10. *Audius quidem*, inquit, *ex Syria trans Euphratem ortus Deum humana forma esse docuit, & corporis illi membra tribuit, stulte intelligens, quæ per accommodationem in divina scriptura dicta sunt*. S. autem Augustinus *Hæres*. I. de *Vadianis*, seu Audianis, *Vadianos*, inquit, *quos appellat Epiphanius, & schismaticos, non hæreticos vult videri, alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali, in similitudinem corruptibilis hominis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius*. Augustino consentit Facundus Hermianeu-

(*a*) Melitonem hac in parte culpant ex recentioribus Phil. Labbeus *de Scriptor. Eccles*. Joan. Bapt. Cotelerius in not. ad *Clement. Hom*. XVIII. Henr. Valesius in not. ad Lib. IV. *Hist. Ecclesiast*. Eusebii cap. 26. Petavius Lib. II. *de Deo* cap. 1. n. 4. P. Berti Lib. II. *de theol. discipl*. cap. 2. prop. 1. ex heterodoxis autem Fabricius in *Bibliothec. græca* Tom. V. Caveus in *Hist. Litter*. Clericus ad ann. 149. & alii multi. Excusant autem Sixtus Senensis Lib. V. *Biblioth. Sanctæ* annot. 18. qui tamen, ut P. Milante ibidem adnotat, vitioso codice deceptus est, putans verba Origenis apud Theodoretum ita esse legenda: *Melito Scripta reliquit de eo, quod dicitur, Deo corpus inesse*, Card. Orsius *Hist. Ecclesiast*. Lib. IV. §. 25. ac denique plures inter scholasticos Theologos, ut Boucat, l' Herminier, Tournelius, Witassius, aliique, quibus consentit etiam P. Thomas Vinc. Moniglia *Dissert. contra i Materialisti* Tom. I. P. 2. ser. 5. osserv. 8.

(*b*) Hic liber prostat in Tom. IV. Bibliothecæ Patrum. Sulpitius autem Severus Lib. II. *Hist*. Eum vocat Fœgadium, alii autem Sœbadium.

(*c*) Ex recentioribus Tertullianum hac in parte accusant Huetius in *Origenianis* Lib. II. Qu. 1. num. 8. Petavius Lib. II. *de Deo* cap. 2. Berti Lib. II. *de theol. discip*. cap. 2. prop. 2. excusant autem Natalis Alexander Dissert. IX. in Sec. II. artic. 2. Pamelius in *Paradoxis Tertulliani* num. 25. Vasquez in 1. Part. Disput. XXI. c. 2. Witassius, l' Herminier, Tournely, Boucat, Ferrari, & P. Moniglia *Dissert. contra i materialisti* Tom. I. pag. 852. seq.

mensis Lib. VIII. cap. 7. unde constat, nec ejus sectatores posse ab Anthropomorphismo purgari.

102. Resp. tamen aliqui, Theodoretum, & Augustinum non de Audio, ejusque primis discipulis loqui, sed de aliis posterioribus. Audium enim non fuisse Anthropomorphitarum deliriis addictum, liquere dicunt ex S. Epiphanio, auctore coævo, qui Audianis schisma objicit, non hæresim: immo eos a recta fide nunquam descivisse tradit; ac de sancta Trinitate præclare, & ex Ecclesiæ præscripto sensisse; quod ut superius innuimus, cum errore Anthropomorphitarum consistere nequit.

103. Verum cum satis luculenter appareat, S. August. & Theodoretum de Audio, primisque ejus discipulis loqui, facilius erit, ut ego quidem puto, explicare S. Epiphanium, quod indulgentia quadam rusticitati, & ignorantiæ eorum pepercerit, ne eos appellaret hæreticos. Ceterum Audianos in hanc amentiam incidisse, non obscure innuit S. Epiphanius ipse, ib. n. 2. dicens: *nam quod ad imaginem Dei creatus Adamus dicitur, præfracte illi referendum ad corpus existimant*. Id ferme repetit in *Anchorato num.* 14. (a).

DE S. EPIPHANIO.

104. Hunc vero S. Patrem ab Anthropomorphismi errore immunem fuisse, facile est demonstrare; nam primo hanc a se calumniam ipse detersit, teste S. Hieronymo epist. LXI. ad Pammachium. Cum enim Joannes Jerosolymitanus in publica concione contra Anthropomorphitas habita stultissimas hujus hæreseos conspectum reddere eum voluisset, surrexit Epiphanius, & Joanni respondens, *cuncta*, inquit, *quæ locutus est collegio frater*, *ætate filius meus contra Anthropomorphitarum*, *bene*, *& fideliter locutus est*, *quæ mea quoque damnatur voce*. Secundo idem Epiphanius *Hæresi* LXX. Audianos confutat, quia imaginem Dei, ad quam homo creatus dicitur, ad corpus referendam esse existimarent, atque ita concludit: *Spiritus enim Deus est*, *qui omnem spiritum exsuperat*. Tertio summis laudibus, tanquam vir nedum pietate, sed catholicæ etiam doctrinæ puritate insignis celebratus est a S. Hieronymo pluribus in locis (*in Catalogo Script. Ecclesiast.* cap. 114. *Apologia II. contra Ruffinum*, Epist. LXI. & *in Vita S. Hilarionis*) a S. Augustino, qui epist. CCXXII. eum vocat *in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatum*; a Sozomeno, qui Lib. VII. *Hist. Eccl.* cap. 7. eum dicit, non solum vitæ conversatione, sed etiam miraculis, ante & post mortem etiam illustrem: verisimile igitur non est eum virum in tam crassum errorem fuisse lapsum.

105. Obj. Socrates Libr. VI. *Histor. Eccles.* cap. 10. & Sozomenus Lib. VIII. cap. 14. Epiphanium Anthropomorphismi manifeste accusant: ergo &c.

106. Resp. neg. cons. uterque enim historicus, ut recte suspicatur Henr. Valesius in not. ad locum laud. Socratis deceptus ab aliquo Origenista fuit; solebant enim Origenistæ, ut contra magistri sui condemnationem se tuerentur, adversarios anthropomorphismi accusare, eisque vitio vertere, quasi in damnationem Origenis propterea conspirassent, quia ille Deum esse corporeum acriter contendebat; quo nihil falsius dici poterat. Vid. Nat. Alexand. *in Hist. Eccl.* Sæc. IV. capit. 6. art. 28.

107. Atque hoc caput verbis Sancti Augustini concludamus Tract. XCVI. in Joann. n. 4. Tom. III. *Charissimi in charitate proficite .... ut spiritu ferventes*, *& spiritualia diligentes spiritualem lucem*, *spiritualemque vocem*, *quam carnales homines ferre non possunt*, *non aliquo signo corporalibus oculis apparente*, *nec aliquo sono corporalibus auribus instrepente*, *sed interiore conspectu*, *& auditu nosse possitis*; *non enim diligitur*, *quod penitus ignoratur*. *Sed cum diligitur*, *quod ex quantulacumque parte cognoscitur*, *ipsa efficitur dilectione*, *ut melius*, *& plenius agnoscatur .... ut ea ipsa*, *quæ per lectiones*, *atque sermones*, *extrinsecus adhibitos didicistis de natura Dei non corporea*, *nec loco aliquo inclusa*, *nec per infinita spatia locorum quasi mole distenta*, *sed ubique tota*, *& perfecta*, *& infinita sine nitoribus colorum*, *sine figuris lineamentorum*, *sine notis litterarum*, *sine serie syllabarum*, *ipsa mente conspicere valeatis*.

DISSERTATIO II.

DE DIVINIS ATTRIBUTIS.

1. Quemadmodum supra monuimus (Diss. I. num. 2.), quanquam in Deo, propter summam ipsius simplicitatem, quæ omnem compositionem excludit, omnia sint unum & idem, temperando tamen ejus cognitionem ad finitum nostrum concipiendi modum, Theologi quærunt, & definiunt, in quo sita sit essentia Dei; ita impræsentiarum de attributis agentes, eas divinas proprietates inquirunt, quæ ab ejus essentia dimanare concipiuntur; analogia ex rebus creatis desumpta, in quibus primo inquiritur, quænam sit earum essentia, deinde quænam proprietates, quæ essen-tiæ

(a) Gennadius *de Dogmat. Ecclesiast.* c. 4. videtur, Anthropomorphum, & Vadianum pro duobus hominibus hæreticis habuisse: inquit enim, in Deo nihil credendum esse *corporaliter effigiatum*, *ut Anthropomorphus*, *& Vadianus*.

tiæ adveniunt. Porro istæ proprietates divinæ communi Theologorum usu *attributa* vocantur, non quasi Deo sola nostra imaginandi vi tribuentur; in Deo enim reipsa sunt quamvis modo diverso, & longe nobiliore, ac nos imaginamur. Sed ne hinc oriatur erroris occasio, nonnulla caute observanda sunt.

2. Et primo hæc attributa non esse accidentia, ut proprietates rerum creatarum accidentie sunt, quæ a substantia earum non solum distinguuntur, sed & separari possunt; in Deo autem nullum est, aut esse potest accidens; cum propter summam ejus simplicitatem, qua fit, ut omnia, quæ in Deo sunt, unum, idemque sint cum ejus essentia; tum propter alias rationes, quas S. Thomas affert Lib. I. *Cont. Gent.* c. 23.

3. Secundo considerandum est cum eodem Angelico I. P. qu. 13. art. 3. nos Deo attribuere eas perfectiones, quas in creaturis ab eodem Deo procedere videmus; sed has perfectiones esse in Deo eminentiore modo, quam in creaturis sint. Et quidem, inquit S. Doctor, *in omnibus, quæ Deo attribuimus, est duo considerare, scilicet perfectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, & hujusmodi, & modum significandi. Quantum igitur ad id, quod significant hujusmodi nomina proprie competunt Deo, & magis proprie, quam ipsis creaturis, & per prius dicuntur de eo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie dicuntur de Deo; habent enim modum significandi, qui creaturis competit.*

4. Tertio observandum est, duplex perfectionum genus distingui a Theologis, quarum aliæ vocantur *absolute simplices*, vel *simpliciter simplices;* aliæ autem solum *secundum quid* tales. Primæ in sua ratione formali nullam prorsus imperfectionem involvunt, ut bonitas, justitia, omnipotentia &c., & hæ perfectiones sunt *formaliter* in Deo. Sed aliæ aliquem semper imperfectionem involvunt; ut habere animam, & corpus perfectio est in homine, comparatione facta illius cum brutis, plantis, vel lapidibus; esset autem magna in Deo imperfectio. Et hujusmodi sunt omnes creaturarum perfectiones, quæ proinde in Deo *formaliter* esse nequeunt; sunt tamen in eo *eminenter* omni dempta imperfectionis umbra. Hinc recte S. Augustinus Libro V. *de Trinit.* cap. 1. num. 2. Tomo VIII. Deum vult, ut intelligamus *sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ præsidentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum &c.*

5. Demum quamvis attributa divina plurali numero nuncientur, non tamen putandum est ea esse reipsa numero plura, quasi ab invicem distincta numerari queant; hoc enim cum summa divina simplicitate pugnat. Sed qua ratione distingui debeant, declarabit sequens

CAPUT I.

De distinctione divinorum attributorum cum ab essentia, tum a seipsis.

6. Duo hac in quæstione oppositi sibi invicem sunt errores; nonnullæ autem quasi mediæ scholarum opiniones. Primo Eunomius sæculi IV. hæreticus, & sectæ Anomæorum antesignanus, omnem prorsus distinctionem inter attributa, & essentiam divinam sustulit. Nec sine malo consilio hic error fuit; ut S. Gregorius Nyssenus *Orat.* XII. *contra Eunomium* observat; nempe hac etiam ex parte Eunomiani ad impugnandam Filii divinitatem sibi viam aperiebant: si enim *ἀγεννησία innascibilitas* idem est cum Divinitate, nec ulla potest cogitatione distingui, cum Filius nec sit, nec dici possit *ingenitus*, nec erit, aut dici poterit Deus. Id ipsum observavit S. Epiphanius de Ætio Eunomii magistro *Hæresi* LXXVI.

7. In oppositum scopulum alii lapsi sunt, *realem* distinctionem inter essentiam divinam, & attributa ponentes (*a*). Hic error Gilberto Porretano celebri Pictavorum Episcopo sæcul. XII. tribui solet; quanquam res disputatione non caret (*b*).

8.

(*a*) Prima hujus erroris vestigia sibi invenisse visus est Petavius Lib. I. *de Deo* capit. 12. in Athenagora, qui in *Legation. pro Christianis M. Aurelio, & L. Commodo* inscripta num. 24. bonitatem in Deo accidens esse, & qualitatem asserere videtur. Sed Athenagoram ab hoc nævo purgat ejus editor e Congregatione S. Mauri in not. p. 322. Verius fortesse idem Petavius hujus erroris arguit Theodorum Mopsuestenum ex Leoncio Bysantino Lib. III. *contra Nestorium* Tom. IV. *Biblioth.* SS. PP.

(*b*) Cum Gilbertus, *consuetas ex ingenii subtilis magnitudine, ac rationum acumine multa præter communem hominem morem dicere*, ut inquit Otho Frisingensis, quædam de Trinitate nova, atque inaudita protulisset, a duobus Archidiaconis suis Arnoldo, & Calone ad Eugenium III. Rom. Pont. accusatus est. Eugenius Parisiis synodum habuit ad hanc causam cognoscendam; nihil tamen in ea definitum fuit, sed res dilata ad aliam synodum Remis habitam an. 1148., in qua, agente potissimum S. Bernardo, Gilberti errores damnati sunt; ipse autem palinodia humiliter, ut par erat, recantata, cum honoris plenitudine in pristina dignitate servatus est. Quinam vero fuerint Gilberti errores, non omnino constat, dissentientibus ex una parte S. Bernardo, & Gaufredo Monacho, ex altera Othone Frisingensi. Si huic fidem habeamus, nunquam Gilbertus proprietates, & attributa Dei ab ejusdem essentia distinxit, sed solum proprietates, & essentiam a persona. Othonem sequuntur P. Vesques, qui acta Remensis Concilii ex Vaticano codice edidit, & P. Claudius Frassen Tract. I. disput. 2. art. 2. quæst. 1. n. 12. Hanc sententiam probabiliorem esse censet P. Berti. Sed alii fere communiter Othonis hac in re fidem suspectam habent, quod Gilberto addictus, & S. Bernardo iniquior fuerit; statuuntque, Gilbertum etiam in eo errasse, quod essentiam ab attributis, & attributa

8. Sed quidquid sit de Gilberto, certum est, hunc errorem Sæculo XIV. late fuisse in Ecclesia Græca a Gregorio Palama Episcopo Thessalonicensi disseminatum. Hic Dei *ἐνεργείαν virtutem*, & operationes ab ejus essentia realiter distinguebat. Operationum autem nomine non solum eas actiones intelligebat, quas Theologi *virtualiter transeuntes* vocant, ut sunt creatio, conservatio, & gubernatio rerum; sed ipsa etiam attributa divina, quæ divinæ substantiæ, seu essentiæ inferiora esse comminiscebatur, ab eademque profluere, ut splendor a sole emanat (*a*). Etiam Sociniani Dei virtutem a Deo ipso *realiter* distingui dixerunt, ut inde colligerent, Spiritum Sanctum, qui Dei virtus nuncupatur, non esse Deum. (Ita in *Catechesi Racoviensi* cap. 1.) Ac de erroribus ab Ecclesia proscriptis hactenus.

9. Nunc breviter Scholarum opiniones expono. Triplex ab aliquibus statuitur realis distinctio: alia major, quæ inter duo entia completa, ac in se subsistentia versatur, ut inter animam, & corpus: alia minor, seu *modalis*, quæ inter rem, ejusque modum intercedit, ut inter animam, ejusque cogitationem, inter corpus, ejusque figuram: alia demum minima, quæ reperitur inter duas unius & ejusdem rei perfectiones plane inseparabiles, quarum tamen una non est alia, ex. gr. inter *animalitatem, & rationalitatem*. Hæc dicitur *distinctio formalis ex natura rei*. Appellatur etiam *Scotistica* ab ejus auctore Jo. Duns Scoto, qui eam in Scholas invexit, ad distinguenda divina attributa, cum inter se, tum a divina essentia. Petavius Lib. I. *de Deo* cap. 8. hanc Scoti opinionem aut nihil, aut parum a damnato Gilberti errore distare, contendit. Id visum est nonnullis aliis. Reclamant Scotistæ, atque accusatores calumniæ postulant.

10. Alii Theologi, rejecta quacumque distinctione reali, solum mentis, & rationis distinctionem in divinis attributis admittunt, quamquam non eodem omnino sensu. Duplex enim est distinctio rationis: altera *rationis ratiocinantis*, ut inquiunt Scholastici, altera *rationis ratiocinatæ*. Prima quanta est, tota ab intellectu nostro confingitur, sine ullo fundamento in re, ut si quis arbitratu suo distinguere velit inter Petrum, Cepham, & *Barjonam*, seu filium Jonæ.

11. Altera vero est, quæ fit quidem per mentem nostram, sed cum fundamento in re; quatenus res in se una, simplexque est, virtualiter tamen multiplex; unde fundamentum sumit intellectus noster, eam in varias partes dispertiendi. Sic Deus unus est, & maxime simplex; quia tamen *eminenter*, & perfectissime continet justitiam, misericordiam, scientiam &c., quæ attributa in creaturis realiter inter se distinguuntur, ideo fundamentum præbetur intellectui nostro hæc eadem attributa in ipso distinguendi. Nascitur etiam hæc distinctionis necessitas a nostro intellectu; qui finitus cum sit, non valet has omnes perfectiones una sola cogitatione attingere.

12. Jam vero Thomistæ docent, divina attributa, tum inter se, tum ab essentia distingui hac distinctione, quam *virtualem* appellant, seu *rationis ratiocinatæ cum fundamento in re*. Thomistis subscribunt Augustiniani, qui *Ægidiani* vocantur, & multi alii Theologi.

13. Sed nominales, duce Okamo, & alii Augustiniani, qui Gregorium de Arimino celebrem eorum Instituti Theologum sequuntur, nonnisi distinctionem extrinsecam penes diversa connotata admittunt: quam sententiam illustravit cl. P. Laur. Berti Lib. II. *de theol. discip.* cap. 3. Eam Aetii, & Eunomii erroribus implicari, pronunciat Petavius Lib. I. *de Deo* cap. 8., quem refutat P. Berti loco laud. Nos errores supra expositos pro viribus refellemus; in opinionibus autem Scholarum non multam insumemus operam; præcipue cum non desint, qui credant, inter Thomistas, Scotistas, & Nominales non magnas rerum esse, sed parvas verborum controversias.

PROPOSITIO I.

Aliqua admittenda est distinctio cogitationis *inter essentiam Dei, ejusque attributa, tum inter ipsa divina attributa.*

14. Prob. primo ex sanctis Patribus. S. Basilius Lib. I. *contra Eunomium* variis rationibus, atque exemplis ostendit, aliquam nostræ mentis distinctionem inter Dei essentiam, ejusque attributa esse oportere. Idem præstat ejus frater S. Gregorius Nyssenus *Orat. XII. adv. Eunomium*, ubi S. Basilii sententiam ab Eunomii cavillationibus vindicat. Idem S. Cyrillus Alexandrinus in The-

ab invicem reipsa distinxerit. Ita Natalis Alexander in Sæc. XII. cap. 4. art. 9., Petavius Lib. 1. *de Deo* cap. 8., aliique S. Bernardo, ejusque discipulo Gaufredo inhærentes, qui totius rei gestæ pars magna fuerunt. S. Bernardus Serm. LXXX. *in Cantica* ad Gilbertum veluti digitum intendens, *recedant*, inquit, *a nobis, carissimi, recedant novelli, non dialectici, sed heretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, & item bonitatem, qua bonus; sed & sapientiam, qua sapiens, & justitiam, qua justus, postremo divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est, sed divinitas non est Deus.*

(*a*) Absurdus hic error, jam ab Ecclesia proscriptus, nedum patronos invenit, sed in quatuor plane Conciliis Constantinopoli a schismaticis celebratis confirmatus fuit, & Barlaamas, Acyndinus, aliique veri dogmatis strenui defensores damnati sunt. Quibus de rebus lata disseruit Leo Allatius Lib. II. *de perpetua consensione &c.* (in Tom. I. *Græciæ orthodoxæ*), & in *Diatriba de Simeonibus*. Vid. Nat. Alexander *Hist. Eccl. Sec. XIV.* cap. 3. art. 14., & Dion. Petavius Lib. I. *de Deo* cap. 12. & 13.

Thesauro pag. 264. Nempe solliciti erant hi, aliique Ecclesiæ catholicæ Patres de aliqua distinctione inter attributa, atque essentiam Dei statuenda, ut ita falcem veluti ad radicem Eunomianæ hæreseos ponerent, quæ Verbum non esse Deum ita colligebat: *Notio ingeniti, sicut quodcumque aliud attributum, ne cogitatione quidem a Divinitate sejungi potest; atqui Verbum non est ingenitum: ergo non est Deus:* cujus ratiocinii falsam esse majorem propositionem Sancti Patres ostendebant.

15. Prob. secundo ex S. Thoma, qui in Lib. I. *Sentent.* Diss. 2. quæst. 1. art. 2. ita ratiocinatur: *Quod est causa alicujus, habet illud excellentius, & nobilius; unde oportet, quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo, & sine aliqua imperfectione: & ideo quæ in creaturis sunt diversa, in Deo propter summam simplicitatem sunt unum. Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, & hujusmodi, quorum quodlibet est ipsa divina essentia, & ita omnia sunt unum re. Et quia unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientiæ non est ratio bonitatis inquantum hujusmodi, relinquitur, quod sint diversa ratione, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Qua doctrina posita, progreditur Angelicus, ostendens, hanc distinctionem non esse solum penes connotata in creaturis, ut quidam dicebant, quia etiam creaturis non existentibus Deus erat sapiens, bonus &c., neque tamen sapientia ipsius ex sui formali ratione erat bonitas. Vid. etiam art. 3.

16. Ob. primo ex Conciliis, & Sanctis Patribus. In Concilio Remensi adversus Gilbertum definitum fuit, *ne ratio theologica Dei naturam, & personam distinguat.* Secundo S. Athanasius in Lib. *de Synodis* n. 35. *cum has voces*, inquit, *audimus, Pater, Deus, Omnipotens, nihil aliud, quam ejus, qui est, substantiam indicari concipimus.* Tertio clarius adhuc loquitur Sanct. Basilius epist. 139. n. 5. inquiens: *omnia Deo competentia, tum cogitata, tum nomina, sunt inter se ejusdem dignitatis, eo quod nihil circa subjecti significationem habent discriminis. Non enim mentis cogitationem ad aliud quoddam subjectum perducit boni appellatio, & ad aliud sapientis, potentis, & justi: sed quæcumque protuleris nomina, unum prorsus omnia significant:* ergo &c.

17. Resp. his omnibus sive Concilii Remensis, sive Patrum testimoniis excludi distinctionem *realem*, non autem distinctionem *rationis*. Id patet imprimis de Concilio Remensi, cujus scopus erat errorem Gilberti Porretani proscribere, qui nomine distinctionis per *rationem theologicam* intelligebat distinctionem *realem*, eamque statuere conabatur, rejecta, veluti insufficiente, *abstractione mathematica*, quæ nihil erat aliud, quam distinctio rationis.

18. Id etiam luculentius apparet in Sanctis Patribus, quos incredibile omnino est, omnem inter divina attributa tollere distinctionem voluisse, cum hunc errorem in Aetio, Eunomio, eorumque asseclis fortiter & invicte impugnaverint.

19. Ob. secundo. Si aliqua in Deo admittatur distinctio, etiam solius rationis, aliqua erit in ipso compositio; nam compositio nihil est aliud, quam distinctorum unio; atqui nulla prorsus in Deo est, aut esse potest compositio, cum Deus sit eus omni modo simplicissimum: ergo &c.

20. Resp. neg. maj. nam quemadmodum distinctio non est, nisi in mente nostra, ita nonnisi in mente nostra est distinctorum unio, quæ compositio dicitur, & nihil est hujusmodi in ipso Deo, in quo est tantummodo fundamentum, quod nobis suppeditatur distinguendi, ejus nempe infinita perfectio, quæ multis, & diversis perfectionibus æquivalet. Ceterum quod dicitur, compositionem esse distinctorum unionem, verum est, quando illa distincte se mutuo excludunt; secus autem est, quando unum in alio includitur, ut in divinis attributis apparet (*a*).

21. Dices. Simplicitas omnium maxima Deo est tribuenda; atqui major est illa simplicitas, quæ omnem distinctionem etiam rationis excludit, quam quæ excludit solum distinctionem realem: ergo &c.

22. Resp. cum S. Thoma I. P. qu. 13. art. 4. ad 3. *hoc ipsum ad perfectam Dei unitatem pertinere, quod ea, quæ sunt multipliciter, & divisim in aliis, in ipso sunt simpliciter, & unite. Et ex hoc contingit, quod est unus re, & plures secundum rationem; quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentans.*

23. Ob. tertio. Distinctio quælibet, etiam cogitationis inter essentiam divinam, ejusque attributa est falsa; illud enim mentis nostræ judicium est falsum, quod rebus non convenit; atqui mentis nostræ actus, quo judicamus, Dei attributa ab essentia distingui, Deo, prout est in se, minime congruit: ergo &c.

24.

(*a*) Ita hoc argumentum solvit S. Gregorius Nyssenus adv. Eunomium Orat. XII. Parte altera p. 830. Tom. II. inquiens: *Quis ita stupidus, & attonitus, ut ignoret, quod divina quidem natura secundum essentiam quidquid est, una est, simplex, & uniformis, & incomposita, & quæ nullo modo in aliqua concretione cernatur; humana autem anima humi jacens, & in hac terrena vita obruta, quia non possit, quod quæritur, clare, & dilucide perspicere, multis notitiis ineffabilem naturam, multis modis, & multifariam expetit, non una aliqua intelligentia quod abstrusum est venans,* &c. late prosequens, quomodo ex diversis Dei attributis in ejus cognitionem perveniamus.

24. Resp. cum distinctione: si judicaremus Dei attributa reipsa ab essentia distingui, *conc.* si dumtaxat abstrahendo concipiamus essentiam sine attributis, vel unum attributum sine alio, *nego*. Aliud est affirmare, in Deo bonitatem non esse sapientiam, aliud in Deo bonitatem sine sapientia *abstractive* concipere. Primum esset omnino falsum, cum in Deo omnia sint unum, & idem. Alterum autem est verum, quia conceptus sapientiæ est a conceptu bonitatis diversus.

25. *Dices*. Conceptus ille abstractivus sapientiæ sine bonitate non est consentaneus sapientiæ divinæ: ergo est falsus; eo plane modo, quo falsum esset judicium, quo quis crederet, sapientiam Dei non esse bonitatem.

26. Resp. hunc conceptum non esse consentaneum sapientiæ divinæ adæquate consideratæ, bene vero si inadæquate consideretur. Abstractio enim proprie loquendo non est judicium, sed simplex apprehensio, quæ rem non concipit totam, qualis est, sed ex parte tantum, seu *inadæquate*. Apprehensio autem semper est vera, ut docent Logici; & hinc est etiam commune proloquium, *abstrahentium nullum esse mendacium*. Secus est de judicio, quod falsum dicitur, si rei non est omnino conforme.

27. Ob. quarto. Si Dei attributa & ab essentia, & inter se cogitatione saltem distinguerentur, deberent in mente nostra diversi esse conceptus *essentiæ*, *innascibilitatis*, *immortalitatis &c.* ita ut aliud intelligeretur cum dicimus *essentiam*, aliud, cum nominamus *ingenitum*, aliud, cum dicimus *immortale*; atqui hoc est falsum: primo quia per hæc tria nos non intelligimus nisi essentiam principio, & fine carentem: secundo, quia si possemus concipere Deum ingenitum, quin eumdem ut immortalem conciperemus, sequeretur Deum ut ingenitum esse mortalem, quod est absurdum: ergo &c.

28. Resp. neg. min. ad cujus primam probat. facilis est responsio; cum enim dicimus: *Deus est ens principii, & finis expers*, satis jam tria innuimus, & distinguimus, *essentiam*, *innascibilitatem*, *& immortalitatem*, atque unum *formaliter* non esse aliud cognoscimus, quamvis reipsa hæc tria unum, idemque sint.

29. Ad secundum prob. *nego sequelam*. Quando enim unum attributum sine alio sola abstractione concipimus, aliud attributum neque includitur, neque excluditur, neque affirmatur, neque negatur. Hinc abstractiva illa cognitio est quidem inadæquata, quatenus rem totam, & omni ex parte non attingit, non tamen falsa (*a*).

30. Colliges primo, sufficientem non videri distinctionem a Nominalibus invectam, quæ scilicet tota sit in nostro intellectu sine ullo fundamento in re: neque enim, ut puto, Eunomius ipse negaverit, posse nos nostro arbitratu plura in Deo distinguere, quorum distinguendorum nullum est fundamentum.

31. Colliges secundo, admittendam esse distinctionem *virtualem*, seu *rationis ratiocinatæ cum fundamento in re*, modo superius explicato: quæ opinio modus Thomistarum est, sed communis fere apud Theologos.

PROPOSITIO II.

Admitti non debet distinctio realis inter divinam essentiam, ejusque attributa, atque inter ipsa divina attributa.

32. Prob. primo ex sacris literis, in quibus reperimus, nomina abstracta prædicari de Deo. Proverb. VIII. 12. *Ego Sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*. Christus etiam dicit de se ipso Joann. XIV. 6. *Ego sum via, & veritas, & vita*. Atqui nomina abstracta proprie de Deo prædicari non possent, nisi essentia divina unum idemque reipsa esset cum suis attributis: ergo &c.

33. Hoc ipsum luculentius docuerunt Sancti Patres, quorum pauca sufficient testimonia, ne sine necessitate longiores simus. S. Gregorius Nyssenus *Orat. X. in Cantica: Deus*, inquit, *est ille ipse, qui prorsus est sapientia, & justitia, & ipsa veritas, & singillatim omnia*.

34. Sanctus Augustinus Lib. XV. *de Trinitate* cap. 5. Tomo VIII. ita rem uberrime declarat. *Quæ vita*, inquit, *dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus, atque natura .... Una ergo, eademque res dicitur, sive dicatur æternus Deus, sive immortalis, sive incorruptibilis, sive immutabilis; itemque cum dicitur vivens, & intelligens, quod est utique sapiens, hoc idem dicitur. Non enim percepit sapientiam, qua esset sapiens, sed ipse sapientia est .... Quæ justitia ipsa bonitas, & quæ bonitas ipsa beatitudo.... Proinde si dicamus, æternus, immortalis, incorruptibilis, vivus, sapiens, potens, speciosus, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum, quod posui, quasi tantummodo videtur significare substantiam, cetera vero hujus substantiæ qualitates: sed non ita est in illa ineffabili simplicique natura; quidquid enim secundum qualitates illic dici videtur, secundum substantiam, vel essentiam est intelligendum: absit enim ut spiritus secundum substantiam dicatur Deus, & bonus secundum qualitatem, sed utrumque secundum substantiam &c.*

35.

(a) Ita idem pene argumentum Eunomii solvit Sanct. Gregorius Nyssenus laud. Orat. XII. inquiens: *subjectum ipsum Deus, sine initio est, ac fine; quod quidem omne nomen, ac notionem superat. Hoc vero quod est, neque ex causa ipsum oriri, neque unquam esse desinere, hæ nominum istorum, ingenium, incorruptibile, commentatione declarant.*

35. Denique, ut multos alios omittam, Sanctus Bernardus contra Gilbertum disputans in Concilio Remensi dicebat: *scribatur stilo ferreo in ungue adamantino, & sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo, vere est Deus*.

36. Prob. tertio ex definitionibus Ecclesiæ. Nam primo Eugenius III. Roman. Pontif. anno 1148. habito Remis Concilio damnavit tanquam erroneam sententiam Gilberti Porretani, qui essentiam ab attributis, vel saltem divinitatem ab ipso Deo *realiter* distinguebat. Et Gallicani Episcopi in Symbolo Pontifici oblato, atque ab eodem Pontifice probato, *credimus*, inquiunt, *& confitemur, simplicem naturam deitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, & Deus divinitas*. Gilbertus autem suos agnovit, ac ejuravit errores, dicens: *si vos aliter creditis, & ego: si aliter dicitis, & ego: si aliter scribitis, & ego*. Quamvis nonnulli ejus asseclæ pertinaciter in sententia permanserint, & Gilbertum *erroris potius quam correctionis magistrum habere maluerint*, ut loquitur S. Bernardus Serm. XXX. *in Cantica*.

37. Præterea solemnius, apertiusque hic idem error damnatus fuit in Concilio Generali Lateranensi IV. anno 1215. quando Abbas Joachim illum suscitasse visus est (a). *Nos*, inquit Innocentius III, c. 2. *sacro & universali Concilio approbante credimus, & confitemur, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem, & ineffabilis; qua veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus;* quibus verbis satis declaratur, proprietates personales ab essentia *realiter* non distingui. Idem autem dicendum de reliquis divinis attributis.

38. Demum in Concilio Florentino sub Eugenio IV. an. 1439. Sess. XVIII. Joanne Theologo nomine Latinorum profitente: *Nos dicimus, substantiam, & personam, sive hypostasim, esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo*, respondit Græcorum nomine Marcus Ephesius: *hac in parte nulla est inter nos discrepantia:* unde apparet utriusque Ecclesiæ, latinæ, & græcæ consensio.

39. Prob. quarto ratione. Si divinitas Deus ipse non sit, erit aliquid minus, vel majus Deo, vel ipsi æquale: non potest autem esse quid minus Deo, cum per ipsam Deus constituatur; non quid majus, cum Deo nihil sit majus; nec denique par; duo enim tunc essent summa bona, non unum: ergo &c. Hac ratione utebatur S. Bernardus serm. XXX. *in Cantica*; eamdem tamen jam insinuaverat S. Augustinus V. *de Trinit.* cap. 10. Tom. VIII.

40. Præterea distinctio realis attributorum in Deo cum summa ejus simplicitate pugnat; hæc enim omnem compositionem excludit; quomodo enim summa simplicitas esse potest, ubi plures sunt formæ? *Tam non est simplex*, inquit S. Bernardus Lib. V. *de Consideratione* cap. 7. *quod vel ubi obnoxium fuerit formæ, quam nec virgo vel uni conjuncta viro*.

41. Corollarium. Si Scotistæ nomine *distinctionis formalis ex natura rei* distinctionem vere *realem* intelligunt, certe aut vix, aut nullatenus a damnato Gilberti errore distare videntur, ut re ipsa non paucis eruditis visum est. Neque enim eos juvat, quod etiam posita sua distinctione *formali* Deum unum esse, & simplicissimum fateantur; etenim etiam Gilbertus id fatebatur. *Audacter fateor*, inquiebat in Concilio Remensi, *Patrem alio esse Patrem, alio Deum, non tamen esse hoc, & hoc*. Absit tamen, ut sententiæ, quam celebris inter catholicos Schola tanto studio, tantaque contentione defendit, notam ullam inuram (b).

42.

(a) Joachimus Abbas, natione Apulus, & Cisterciensis Instituti magna doctrinæ & sanctitatis laude clarus obiit 1202. ut videre est apud Bollandistas Tom. IV. Maij. ad diem 29. Edidit inter alios librum *de unitate & essentia sanctæ Trinitatis*, ubi Petrum Lombardum *Magistrum Sententiarum* dictum hæreseos accusavit, quod in Libr. I. *Sentent.* docuerit, unam supremam rem esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eamque nec genitam esse, nec gignere, nec procedere; inde enim Joachimus consequi putabat, non Trinitatem solum, sed quaternitatem in Deo esse, nempe tres Personas, & istam quartam rem tribus Personis communem. Ut hunc errorem (a quo tamen Petrus Lombardus longe aberat) Joachimus exploderet, disputationis æstu abreptus in oppositum delabi visus est, docens, nihil esse in Deo, quod simul sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quasi Personæ divinæ ab essentia realiter distinguerentur, nec essentia una esset in tribus Personis, nisi unitate morali. Alibi tamen se orthodoxe explicat, ac præcipue in *Psalterio decem chordarum*, quod opus postremo vitæ suæ tempore elucubravit; ac propterea Innocentius III. Joachimum non condemnavit, sed tantum ejus librum, in quo orthodoxa Petri Lombardi doctrina ut hæretica sugillabatur. Sed ulterius omnem a se hæreseos suspicionem Joachimus removit, cum suam doctrinam Apostolicæ Sedis judicio humiliter subjecit in epistola, quæ extat in *Directorio Inquisitorum* Part. I. cap. 2. Confer. Natal. Alexander in *Histor. Ecclesiast.* Sæculi XIII. cap. 3. §. 5. & Hieronym. Tiraboschi in *Histor. Litter. Italiæ* Tom. IV. Lib. 2.

(b) Nonnulli post Gersonium in epist. ad quemdam Fratrem Minorem Tom. II. Scotisticam distinctionem fuisse a Facultate Sorbonica anno 1426. damnatam affirmant. Vid. Card. Duplessis Argentræus in *Collectione judiciorum de novis erroribus* Tom. II. Part. I. pag. 10. Fictitiam esse hanc censuram contendit Pat. Anton. Ferrari Tom. I. *Theolog.* disput. 2. quæst. 5. Illud certum est, distinctionem Scotisticam palam doceri; & præter Nicol. l'Herminier supra laud. Anton. Genuensis, cum prius eam impugnasset, postea palinodia recantata eamdem probavit Part. prima *Element. Metaph.* cap. 4. num. 37.

42. Ob. primo ex S. Aug. Lib. VII. *de Trin.* cap. 4. ubi expresse docet, quod *aliud sit Deo esse*, *aliud Patrem esse*, *vel Dominum esse*; *quod enim est*, *ad se dicitur*, *Patrem autem ad Filium*, *Dominus ad servientem creaturam dicitur*. Et antea cap. 2. hæc præmiserat: *non eo Verbum*, *quo Sapientia*, *quia Verbum non ad se dicitur*, *sed tantum relative ad eum*, *cujus Verbum est*, *sicuti Filius ad Patrem*. *Sapientia vero eo*, *quo essentia .... Sed non eo*, *Verbum enim relative*, *Sapientia essentialiter intelligitur*. Multa hujus generis testimonia suppeditant etiam S. Basilius Lib. I. *contra Eunomium*, S. Cyrillus Alexandrinus Lib. II. *Thesauri* cap. 11. S. Gregorius Nyssenus *Orat.* XII. *contra Eunomium*, Sanctus Gregorius Nazianzenus *Orat.* XXXV., & S. Hilarius Lib. VIII. *de Trinitate*, quæ affert Nicol. L' Herminier, magnus Scotisticæ distinctionis propugnator.

43. Resp. Hæc, & similia Sanct. Patrum dicta de distinctione *virtuali* explicanda esse. Quod enim S. Augustinus dicit, *Deo aliud esse*, *quod Deus sit*, *aliud*, *quod Pater*; & similiter Filium non *esse Verbum*, *quo Sapientia*, verissimum est; quia licet reipsa idem in Patre sit *divinitas* & *paternitas*, idemque in Filio *Verbum & Sapientia*; virtualiter tamen idem non est. Eodemque modo bonitas, sapientia, potentia, & attributa reliqua sunt quidem *realiter* idem cum essentia Dei, *virtualiter* tamen distinguuntur. Unde idem S. Augustinus Lib. V. *de Trinit.* cap. 8. jam dixerat: *non aliud est Deo esse*, *& aliud magnum esse*; *sed hoc illi est esse*, *quod magnum esse*; & rursus Lib. VII. c. 6. *non aliud est Deo esse*, *aliud personam esse*, *sed omnino idem*. Et hac ratione poterunt alia cum S. Augustini, tum aliorum Patrum testimonia commode explicari.

44. Sed præstat etiam audire S. Bernardum, qui Serm. XC. in *Cantica* vestigia premens magistri sui Augustini, *magnitudine*, inquit, *dico magnum*, *sed quæ ipsa est*, *ne majus aliquid Deo ponam*, *& bonitate fateor bonum*, *sed non alia*, *quam quæ ipse est*, *ne melius ipso aliquid mihi videar invenisse*. *Et de ceteris in hunc modum securus & liber pergo inoffenso*, *ut ajunt*, *pede in ejus sententiam*, *qui dicebat: Deus nonnisi ea magnitudine magnus est*, *quæ est*, *quod ipse: alioquin illa erit major magnitudo*, *quam Deus*. *Augustinus hic est*, *validissimus hæreticorum malleus*. Digitum autem intendebat Sanctus Bernardus ad libros Sancti Augustini *de Trinitate*, in quibus sæpius hæc repetit.

45. Dices. S. Aug. L. II. *contra Maximinum Episcop. Arianum* c. 10. probat, Trinitatem Personarum non obstare divinæ simplicitati, quia nec illi obstant plures, & infinitæ ejus perfectiones; atqui hoc argumentum esset prorsus ineptum, si perfectiones divinæ dumtaxat ratione, & *virtualiter* ab essentia distinguerentur: tale enim esset S. Doct. ratiocinium: *attributa nostro concipiendi modo ab essentia distincta divinam non tollunt simplicitatem: ergo neque tres Personæ realiter inter se distinctæ divinam simplicitatem tollunt*; quod certe argumentum merito irrisissent Ariani.

46. Resp. argumentum S. Aug. contra Maximinum, si bene accipiatur, esse fortissimum, & invictum: est autem hujusmodi: *Licet in Deo*, *te fatente*, *sint bonitas*, *sapientia*, *clementia*, *& potestas*, *nihil tamen ejus simplicitati derogatur*, *quia hæ quatuor virtutes in Deo non sunt*, *nisi una*, *simplexque virtus: ergo etiam licet tres distinguantur Personæ*, *Pater*, *Filius*, *Spiritus Sanctus*, *quia tamen Personæ istæ cum divina essentia unum*, *& idem sunt*, *divinæ simplicitati minime obsunt*. Ita nempe ut tota vis paritatis, & argumenti in eo sit, ut ideo tres personæ divinam non tollant simplicitatem, quia unum idemque sunt cum divina essentia, quemadmodum plures perfectiones divinæ non officiunt simplicitati, quia non sunt in Deo, nisi una, simplexque virtus. Non autem paritas est in eo, ut quemadmodum tres Personæ, ita etiam singula attributa invicem distinguantur (*a*).

47. Ob. secundo. S. Chrys. *Hom.* LXXIII. in Joan. *Videamus*, inquit, *quidnam Philippus intueri velit? an sapientiam Patris*, *an vero bonitatem? Minime: sed hoc ipsum*, *quid tandem sit Pater*, *ipsam*, *inquam*, *essentiam:* censet ergo, essentiam esse ab attributis distinctam.

48. Resp. dist. conseq. Censet, essentiam Dei esse ab attributis distinctam, prout attributa in rebus creatis relucent, *conc.* prout sunt in se, *nego*. Id unum S. Jo. Chrysostom. significare vult, desiderasse Philippum Apost. videre Deum non *abstractive*, prout per sapientiam, bonitatem, aliaque attributa in creaturis manifestatur, sed *intuitive*, & ut est in se.

49. Ob. tertio. Dionysius, vulgo Areopagita (quo auctore, & patrono maxime gloriantur Palamitæ) cap. 2. *de divinis nominibus* hoc tit. inscri-

(*a*) Verba S. Augustini hæc sunt: *Numquid bonitas*, *& sapientia*, *& clementia*, *& potentia partes sunt unius virtutis*, *quam simplicem esse dixisti? ... Non dico*, *inquis*. *Non sunt ergo partes*, *& tamen quatuor sunt*, *& una virtus est*, *eademque simplex est*. *Si ergo* (en vis ratiocinii Sanct. Augustini) *in una Patris persona & plura invenis*, *& partes non invenis; quanto magis Pater*, *& Filius*, *& Spiritus Sanctus*, *& propter individuam Deitatem unus est Deus*, *& propter uniuscujusque proprietatem tres sunt personæ*, *& propter singulorum perfectionem partes unius Dei non sunt?* Miror autem, acutissimos Scoti discipulos non vidisse, hoc Augustini testimonio, quo potissimum ad suam distinctionem *formalem* confirmandam utuntur, suspicionem præbere de eorum cum Gilberti erroribus consensione. Si quid enim hoc testimonium valet, id valet etiam, ut distinctionem adstruat realem, qualis nempe inter divinas Personas intercedit.

scribit: *De copulata, distinctaque Theologia: & quæ sit divina unio, & distinctio:* nomine autem *Theologiæ unitæ* intelligit substantiam divinam, & per *distinctam Theologiam* operationes, & attributa a seipsis, & ab essentia distincta: ergo &c.

50. Resp. Dionysium nomine *Theologiæ unitæ* intelligere divinam essentiam, omnesque proprietates *absolutas*, & *per distinctam Theologiam* proprietates *relativas*, quæ inter divinas Personas intercedunt, quæque reali utique distinctione discriminantur. Cæterum de summa Dei simplicitate omnem distinctionem realem excludente præclare disserit Dionysius cap. 5. ubi de divina essentia ita diserte concludit: *in se habet omnia secundum unicam simplicitatis excellentiam, duplicitatem omnem respuens. Omnia porro eodem modo complectitur ratione supersimplicis infinitatis suæ; atque ab omnibus singulariter participatur, quemadmodum vox, cum una sit, & eadem, a multis auribus tamquam una participatur.*

51. Dices. Dionysius eodem cap. 2. satis clare duo in Deo distinguit, scilicet divinitatem ipsam, & quasdam ab ea promanantes virtutes, increatas, æternas, quæ creatis rebus vitam, ac divinitatem impertiant: ergo saltem *operationes* a Deo realiter distinguuntur.

52. Resp. Dionysium imitatione Platonicorum, in quorum scholis erat enutritus, admisisse in Deo quasdam ideas rerum universales, seu rerum omnium formas, quorum participatione omnia rerum genera efformarentur. Has autem generales rerum omnium species, & formas a divinitate distingui dicit Dionysius, non reipsa, sed ratione tantum, & mente nostra, seu distinctione *virtuali*. De hoc Dionysii placito consuli potest Petavius Lib. IV., *de Deo* c. 10.

53. Ob. quarto ex ratione. In Deo reipsa ante omnem mentis nostræ operationem vera sunt prædicata contradictoria, ex. gr. quod Pater communicet Filio suam essentiam, non autem paternitatem; quod intellectus generet, non voluntas, & alia id genus: ergo debet esse in Deo distinctio realis ante omnem mentis nostræ operationem.

54. Resp. ad hoc virtualem sufficere distinctionem; hac enim posita, omnis tollitur contradictio, quod ita explico. Cum Deus, utpote ens a se, & infinitum, omnes in se perfectiones complectatur, omnibus etiam distincte æquivalet; quo fit, ut plura de eo enunciari queant, quæ contradictoria quidem in se videntur, reipsa autem contradictoria non sunt; nam contradictio, ut Logici definiunt, *est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, secundum idem*. Sic, ut ad exemplum objectum veniamus, natura divina in se infinita complectitur prædicata absoluta, & relativa, simplicissime quidem, & sine ulla distinctione *reali*, sed non sine aliqua distinctione *rationis*. Hinc fit, ut possit esse in tribus Personis sub ratione diversa: nimirum secundum prædicata absoluta est in omnibus eadem; non autem secundum id, quod habet *relativi*, quia mutua relativorum oppositio prohibet, quin unum idemque sint.

55. Audiatur Angelicus Præceptor, qui *Quæst.* VII. *de potentia* art. 1. ad 5. ita, simili argumento respondet: *de eo, quod est idem re, & differens ratione, nihil prohibet contradictoria prædicari*, ut dicit *Philosophus III. Physic. text.* 21. *sicut patet, quod idem punctum re, differens autem ratione, est principium, & finis; & secundum quod est principium, non est finis, & e contrario. Unde cum essentia, & proprietas sint idem re, & differant ratione, nihil prohibet, quin unum sit communicabile, & aliud incommunicabile*. Vid. totus ille articulus. Hæc doctrina probe attendenda est; ea enim plures enodantur difficultates, quæ ab auctoribus Scotiatis excogitatæ sunt, quæque etiam a Gilberti asseclis possunt contra nos urgeri; & de quibus consolantur Scholastici Tractatores.

CAPUT II.

De divinis attributis, & primo de unitate Dei.

56. Solent divina attributa in tres classes dispertiri, nam alia absoluta sunt, quæ a S. Gregor. Naziam. *Orat.* XXXVI. (in nova edit. XXX. n. 19.) *potestatis nomina* appellantur, a S. autem Gregorio Nysseno Orat. II. *cont. Eunomium majestatis demonstrativa*; & hæc sunt potissimum unitas, simplicitas, immensitas, infinitudo, æternitas, immutabilitas &c. Alia sunt relativa ad res creatas, ut visibilitas Dei, quæ dicitur respectu Beatorum, scientia, voluntas, providentia, prædestinatio, ac reprobatio. Alia demum sunt relativa ad divinas Personas, ut *Paternitas*, *Filiatio*, & *Spiratio*, quæ ad tractatum de Trinitate spectant. Nunc de primis agemus, ac statim de unitate.

57. Qui plures Deos colunt, græco vocabulo *Polytheistæ* vocari solent; & mirum quam longe lateque olim polytheismus grassatus sit ante Christi adventum. Non una tamen erat apud veteres idololatras Deorum classis; nonnulli enim homines ob præclara eorum gesta in Divorum numerum apotheosi referebantur, quos Græci ἥρωας *heroas* appellabant: fortasse ab ἀρετῇ *virtute*, qua excellebant (a).

58. Alii postea erant Dii *majorum gentium*, in-

(a) Vid. Scapula in *Lexico*, & Dan. Georgius Morhosius in duabus Dissert. *de Divinit. Princip.* Cicero Lib. II. *de nat. Deor.* cap. 24. de iis hæc habet: *Suscepit autem vita hominum, consuetudoque communis ut bene-*

inter quos divisum esse rerum omnium imperium rudi præsertim populo persuasum erat. Jupiter cœlum, & terram, Neptunus mare, Pluto tristes inferni regiones regere credebantur.

59. Præter hos infinita propemodum erat aliorum Deorum turba, qui certis negotiis præerant, quibusque proinde multa superstitione honores, ac preces adhibebantur. Hesiodus, teste Eusebio Lib. V. *Præpar. Evang.* cap. 15. triginta, & amplius Deorum millia numerabat,

60. Unus tamen erat κατ' ἐξοχὴν Deus, Jupiter, nempe, quem *Patrem hominumque, Deorumque* nominabant; reliqua autem Deorum turba huic supremo Numini subjecta credebatur. Hoc olim observavit S. Thomas, atque inter recentiores plurimam in hoc ipso demonstrando insumpsit operam Radulphus Cudworthus in *Systemate mundi intellectuali* cap. 4. (*a*).

61. Multi inter Christianos accusantur, quod pejus cæca gentilitate delirantes Deorum pluralitatem invexerint (vid. Jo. Launus *de recta Patrum Nicæn. fide* c. ult.) Sed nulla major, atque Ecclesiæ perniciosior pestis fuit, quam eorum, qui duos effinxerunt Deos, alterum bonum, bonique auctorem, & principium, alterum malum, unde tot malorum, quibus mundus obruitur, origo repetenda sit (*b*).

62. Hunc veterum Ethnicorum errorem adoptavit Cerdo hæreticus Sæc. II. quem postea secuti sunt Marcion, & Apelles (*c*): hic postremus Deum malum a Deo bono factum fuisse dicebat. Hanc vero de duobus Diis absurdissimam opinionem longe celebriorem reddiderunt Manichæi Sæc. III. de quibus legi debet S. August. præsertim in multis operibus, quæ data opera contra eosdem conscripsit, & qui eo majori fide dignus est, quo summæ eruditioni, & diligentiæ etiam experientiam conjunxit; fuit enim non exiguo tempore eorum erroribus implicitus (d).

63. Demum in Polytheistarum censum veniunt Tritheitæ, qui tres divinas Personas totidem esse Deos natura diversos blasphemabant (*e*). Contra quos omnes sacris litteris & ratione Dei unitatem vindicabimus: ubi etiam apparebit, quantum a vero exorbitaverit Caramuel, dum plures esse Deos, ratione defendi posse, incaute pronunciavit in *Apologia Casuistarum*.

CA-

ficiis excellentes viros in cœlum fama, & voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor, & Pollux, hinc Esculapius, hinc Liber etiam .... Hinc etiam Romulus, quem quidam eumdem esse Quirinum putant, quorum cum remanerent animi, atque æternitate fruerentur, dii rite sunt habiti, cum & optimi essent, & æterni. Euemerus Messenius, eodem Cicerone teste Lib. I. *de nat. Deor.* historiam scripsit Deorum gentilium, in qua ostendit, eos fuisse homines fortes, potentes, & claros; immo eorum mortem, & sepulcra monstravit. Vid. Eusebius Lib. II. *Præparat. Evang.* cap. 2.

(*a*) S. Thomas Lib. I. *Contra Gentes* cap. 2. postquam Dei unitatem pluribus rationibus demonstravit, ita in fine concludit: *Hac autem veritate refelluntur Gentiles, Deorum multitudinem confitentes; quamvis plures eorum unum Deum summum esse dicerent, a quo omnes alios, quos Deos nominabant, creatos esse asserebant, omnibus substantiis sempiternis divinitatis nomen adscribentes, & præcipue ratione sapientiæ, & felicitatis, & rerum omnium gubernationis. Quæ quidem consuetudo loquendi etiam in sacra scriptura invenitur, dum sancti Angeli, aut etiam homines vel judices Dii nominantur, sicut illud Psalmi* LXXXV. 8. *non est similis tui in Diis, Domine; & alibi Psalm.* LXXXI. 6. *ego dixi, Dii estis: & multa hujusmodi per varia scripturæ loca inveniuntur. Unde magis huic veritati videntur contrarii Manichæi, duo prima principia ponentes, quorum alterum alterius causa non sit. Hanc etiam veritatem Ariani suis erroribus impugnaverunt, dum confitentur, Patrem, & Filium non unum, sed plures Deos esse; cum tamen Filium verum Deum auctoritatibus Scripturæ credere cogamur.*

(*b*) Vetus est hic error ab orientali Philosophia proveniens. Audiatur Plutarchus in Lib. *de Iside & Osiride* pag. 369. Tom. II. Opp. *Vetustissima a sacrarum litterarum professionibus, & legumlatoribus derivata est ad Poetas, & Philosophos opinio, auctore quidem ignoto, & fide tum certo, & indelebili, ut non in sermonibus tantum, & rumoribus versata sit hominum, verum etiam in mysteria, & sacrificia, tam græca, quam barbara sese insinuaverit .... quam permulta e bonis juxta, malisque sint confusa ... non esse unum aliquem promum, qui e duobus doliis res nobis veluti aliquem liquorem cauponis more distribuat, atque misceat . . . Si enim nihil sine causa fit, & mali causam bonum non præbet, necesse, in natura ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suumque principium extare. Atque hæc quidem sententia plerisque, & iisdem sapientissimis probatur. Existimant enim alii duos Deos, quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala conficiat &c.* quam opinionem Pythagoræ, Empedocli, Heraclito, Anaxagoræ, Aristoteli, maxime autem Platoni arrisisse scribit Vossius Lib. I. *de origine idolol.* ab hoc de duobus principiis errore idololatriam ortam esse contendit.

(c) Vid. Tertullianus Lib. I. *adv. Marcionem* cap. 1., Eusebius Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 11. S. Augustinus *de Hæresibus* c. 22. Theodoretus Lib. I. *Hæret. fabularum* cap. 24. ac Epiphanius Hæresi 41.

(*d*) Beausobrius *Hist. des dogmes du Manichée* Lib. III. cap. 3. omnem movet lapidem, ut istos hæreticos a polytheismi nota liberet. Quis tamen majorem illi fidem habendam esse dicat, quam Augustino, Epiphanio, Theodoreto, Tertulliano, aliisque Ecclesiæ Patribus, qui cum Cerdonianis, Marcionitis, Apellitis, & Manichæis cominus manus conseruerunt? Adeasis perdoctum Beausobrii castigatorem P. August. Ant. Georgium in *Alphabeto Tibetano* pag. 169. Beausobrium hac in parte confutavit etiam Jo. Laur. Moshemius in amplo suo *Comment. de rebus Christian. ante Constantinum* Secul. III. §. 41.

(*e*) Hujus sectæ auctor communiter dicitur Jo. quidam genere Alexandrinus, arte grammaticus, a studiorum autem assiduitate *Philoponus* dictus, hoc est *laboriosus*, qui Caveo observante, vitam ultra annum 608. nostræ æræ produxit. Hic cum in Aristotelis, ac Platonis Philosophia admodum versatus esset, in Theologia autem plane rudis, voluit de religione, illotis

PROPOSITIO

Deus unus est.

64. Prob. primo contra hæreticos ex sacris literis. Deut. XXXII. 39. *Videte*, inquit Deus, *quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*. Psalmo LXXXII. 19. *Tu solus altissimus in omni terra*. 1. Corinth. VIII. 4. *scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus*. Demum, ne longus sim, *Ephes*. IV. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes*. Et totus utriusque Testamenti scopus eo collimare videtur, ut eliminato polytheismo unius veri Dei cultus statuatur.

65. Prob. secundo rationibus veterum Sanct. Patrum, ac præcipue Tertulliani, qui vel ipso Beausobrio teste (*Hist. des dogmes de Manichée* pag. 86.) in vindicanda Dei unitate, evertendisque duobus principiis maxime excelluit. Deus est ens perfectissimum, quo majus nec esse, nec cogitari potest; hoc ipso autem repugnat, plures esse Deos: vel enim unus id habet omne, quod habet alter, vel non: si non habet, minor iste Deus aliqua perfectione carebit, nec proinde erit Deus: si autem par uterque, & æqualis est, neuter erit Deus, quia neuter erit summum, & perfectissimum ens (*a*).

66. Huic rationi altera est affinis, quam ex Sanctis Patribus haustam ita Angelicus Doctor proponit I. P. quæst. 11. art. 3. *Si essent plures Dii, oporteret eos differre: aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri. Si autem hoc esset, perfectio alteri deesset; & sic ille, in quo esset privatio, non esset simpliciter perfectus: impossibile est ergo esse plures Deos: unde & antiqui Philosophi, quasi ab ipsa veritate coacti ponentes principium infinitum posuerunt unum tantum principium* (*b*).

67. Deinde, ut recte ratiocinatur Lactantius in *Epitome divin. Institut.* cap. 2. si plures sint Dii, *cum singuli sua officia, suas obtineant potestates, nullus eorum poterit omnipotens nuncupari, quod est verum cognomentum Dei, quoniam id solum poterit, quod in ipso est; quod autem in aliis, nec audebit attingere*.

68. Accedit ultimo etiam veterum Philosophorum consensus; qui etiamsi ut plebis multitudini morem gererent, pluribus Diis sacrificia, & preces offerebant, nimia tamen rei evidentia convicti unum esse supremum Numen confitebantur, cui Dii omnes parerent. Hoc multis Poetarum, ac Philosophorum exemplis demonstrant Athenagoras in *Legatione pro Christianis* Marc. Aurelio, & L. Commodo Imperatoribus oblata num. 5. & 6. Minutius Felix in *Octavio* n. 19. & Paulus Orosius Lib. VI. *Historiar.* cap. 1. S. etiam Augustinus Lib. IV. *de civ. Dei* c. 11. magna eruditione ostendit, multos Deos, quos variis nominibus veteres Gentiles appellabant, non esse nisi unum, eumdemque Jovem multis titulis insignitum; unde concludit: *quid perderent, si unum Deum colerent prudentiore compendio?*

69. Atque, ut alia omittam, quæ recensere nimis longum foret, unum sufficiat Maximi Tyrii Philosophi Platonici, qui Sæc. II. floruit, testimonium *Orat.* 1. *In hac tanta pugna*, inquit, *contentione, atque opinionum varietate in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum, regem omnium, & patrem. Huic multos esse additos Deos alios, qui supremi illius filii sunt, & quasi in imperio collegæ. In eo Græcus cum Barbaro, mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto* (*c*).

70.

ut ajunt, manibus disputare. Hinc in varios errores infeliciter lapsus est; ac primo quidem labe Eutychiane aspersus naturam, & hypostasim in Christo confundebat; cumque eum Catholici premerent, eo tandem devenit, ut quemadmodum tres hypostases, ita tres naturas in Deo admitteret, unde consequebatur, tres esse Deos. Vid. Leontius *de sectis πρᾶξει* V. Photius in *Bibliotheca* codd. 24. & 75. ac Niceph. Callixtus Lib. XVIII. *Hist. Eccl.* cap. 48. Alii tamen credunt, Jo. Philoponum non auctorem, sed asseclam tantum fuisse sectæ Tritheitarum, qua de re consuli potest Joseph Simonius Assemanai in *Biblioth. Orientali* Tom. II. pag. 328. Nec desunt, qui hanc hæresim nunquam extitisse censeant. Jo. Philoponi Lib. VII. *Comment. in Genesim* sive *Hist. Hexametri* ex vetustissimo Biblioth. Cæsareæ codice primus omnium græce, & latine edidit P. Balthesar Corderius Vindobonæ 1630. Observat tamen Lambecius, eum *nonnullis locis a vero lectione, & versione græca aberrasse* Lib. I. *Comment.* pag. 249. edit. secundæ ab Adamo Franc. Kullario elaboratæ anno 1767.

(*a*) Hoc ipso Tertulliani argumento etiam alii Fratres usi sunt. S. Cyprianus in Lib. *de idolorum vanitate* ita paucis totum hoc ratiocinium exponit: *Unus igitur omnium teneat potestatem*. S. Athanasius in celebri *Oratione contra Gentes* hec fere ratione demonstrat, polytheismum ab atheismo non differre, & *multiplicitatem Deorum esse nullitatem Deorum*. Non absimiliter S. Greg. Nazianz. Orat. XXIV. Gentilium superstitionem vocat πολυθεΐαν ἀθεΐαν, S. Hilarius Lib. I. *de Trinit.* cap. 4. S. Jo. Damascenus Lib. I. *de fide orthod.* cap. 5. & S. Th. Lib. I. *Cont. Gent.* cap. 42. eadem ratione ad polytheismum convellendum usi sunt.

(*b*) Desumpta est hæc ratio ex Tertulliano L. I. *Contra Marcionem* cap. 5. eamdemque adhibet Lactantius *de ira Dei* cap. 11. inquiens: *si multi sint Dii, dum habent singuli potestatis aliquid, ac numinis, summa ipso decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus: unicuique tantum deerit, quantum singuli possidebunt*. Consul. etiam Boetius in Lib. *de Trinitate* & S. Joan. Damascenus Lib. I. *de fide orthodoxa* c. 5. Multæ aliæ rationes legi possunt apud mox laud. Lactantium, & Thomam; tum apud Nat. Alex. Dissert. XIV. in Sæc. II. & F. Thom. Vinc. Monigliam in *Dissert. contro i Materialisti* Tom. I. P. II. Sez. 4.

(*c*) Hoc argumentum fusius tractant Jo. Ger. Vossius Lib. I. de *idololatria* cap. 2. Dan. Huetius in *Concor-*

70. Corollarium. Cum Deum unum esse propugnamus, declinare debemus a veteri Pantheistarum errore, quem impius Spinoza suscitare nisus est. Illi enim dicentes ἓν τὸ πᾶν *unum omne* Deum intelligebant per omnia ita diffusum, ut ab iis non distingueretur; unde illud Catonis apud Lucanum Lib. IX. *Pharsaliæ: Jupiter est quodcumque vides, quodcumque moretur*. Spinoza vero unum Deum esse eo sensu dicebat, quod unica sit in toto universo substantia, quam Deum abusu nominis appellabat. Propterea argumentum ex veterum Philosophorum consensu de unitate Dei caute, & hoc tantum sensu usurpandum est, quod illi vel traditione antiqua, vel rei evidentia convicti nonnisi unum Deum esse posse agnoscebant, quanquam in hujus unius Dei natura definienda enormiter a vero aberrabant.

71. Ob. primo. Nihil frequentius in sacris litteris, quam plurium Deorum mentio. Neque vero responderi potest, nomen Dei in falsa, atque aliena verbi significatione usurpari; nam Christus Dominus Jo. X. 34. seq. ex iis Ps. LXXXI. verbis: *ego dixi, Dii estis*, argumentum desumpsit ad veram suam divinitatem comprobandam; quæ Christi argumentatio nullius plane roboris fuisset, si de falsa divinitate ibi sermo haberetur; ita enim collegisset Christus: *in sacris litteris commemorantur dii falsi: ergo blasphemiæ ego reus non sum, si me filium Dei veri, & verum Deum appello*, quo nihil dici posset ineptius. Contra vero recte fluit Christi argumentum, si de vera divinitate intelligens illum Psalmi locum ita concludat: *si illi, de quibus loquitur Propheta, veri sunt Dii, quanto magis ego, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, verus Deus sum?* Accedit & testimonium Apostoli Pauli dicentis 1. Corinth. VIII. 5. *etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra* (*siquidem sunt dii multi, & domini multi*), *nobis tamen unus Deus &c.* quasi diceret, nos ex multis diis nonnisi unum colere, ut si quis inter multos Sanctos nonnisi uni cultum exhibeat.

72. Resp. in omnibus iis sacræ Scripturæ locis, in quibus plurium Deorum sermo fit, nomen Dei sumi vel ad mentem cæcorum Gentilium, qui vanis idolis nomen Dei tribuebant, vel in latissimo sensu ad designandos viros virtute, aut dignitate excellentes; ut in laud. Psal. LXXXI. deorum nomine intelliguntur Judices, qui etiam *Exodi* XXI. 6. & sæpe alias *dii* vocantur, quia, ut dicitur *Paralip.* XIX. 6. *non hominis exercent judicium, sed Domini*. Quamobrem Psalmista e vestigio subdit: *in medio autem deos* (seu potius *in medio deorum*) *dijudicat: usquequo judicatis iniquitatém?* De ceteris autem Gentium diis idem Psalmista ait Psalmo XCV. 5. *Omnes dii gentium dæmonia*, seu ut habet fons hæbraicus ך פול אלחו חצטוס אלולום, *nam omnes dii populorum vani sunt*.

73. Christus autem Dominus ex Ps. LXXXI. argumentum sumpsit ad probandam suam divinitatem *a minore ad majus*, ut dici solet, inquiens: *si illos dicit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?* Ubi, observante Estio, aliisque interpretibus, non tam instituit Christus hoc argumentum ad probandam suam divinitatem, quam ut ostendat, se reum blasphemiæ non esse, quod se filium Dei appellaverit, cum esset a Deo Patre missus in mundum, & sanctificatus, seu cum esset verus Deus; quandoquidem etiam Judices, qui tantummodo Dei vice fungebantur, fuerunt in Scriptura Dii appellati. *Ut si homines*, inquit Tertullianus *adversus Praxeam* cap. 13. *Deos Scriptura pronunciare non timuit, scias illam multo magis vero, & unico Dei filio Dei nomen jure contulisse*. Vid. Catechismus Rom. de primo symb. art. cap. 2. n. 7. & 8.

74. Apostolum vero de falsis, atque inanibus Gentilium diis loqui, ex contextu luculenter apparet, cum dicit: *nobis tamen*, idest recte de divinitate sentientibus, *unus Deus, Pater, ex quo omnia*. Porro si ab hoc uno Deo sunt omnia, inutiles, & supervacanei, adeoque inanes, & falsi sunt Gentilium dii.

75. Ob. secundo. S. Basilius epist. olim CXLI. nunc VIII. aperte, & conceptis verbis negat, *Deum esse numero unum*.

76. Resp. a S. Basilio nomine *unitatis* intelligi *unionem* & ex partibus compositionem, qualis certe in Deo non est. En ejus verba: *Ceterum ad eos, qui tres Deos nobis exprobrant, illud dicatur, unum nos Deum, non numero, sed natura confiteri: quidquid enim unum numero dicitur, id unum vere non est, neque natura simplex. Deum autem simplicem, & incompositum fatentur omnes: non igitur unus numero, est Deus*.

77. Ob. tertio contra primam, & secundam rationem, quæ præcipuæ sunt. Christiana religio tres esse confitetur divinas Personas, quamvis quælibet earum sit infinite perfecta: ergo plures etiam potuerunt esse Dii, quamvis quilibet eorum sit omni perfectionum genere cumulatus. Rursus quanquam tres divinæ Personæ sunt infinite perfectæ, inter se tamen *realiter* distinguuntur: ergo etiam plures dii realiter distingui poterunt.

78.

dia rationis, & fidei Lib. II. cap. 2. n. 13. & potissimum Rad. Cudworthus in *system. mundi intellectuali* cap. 4. Sed legi meretur elegantissimus Lactantius Lib. I. *divin. Instit.* cap. 5. ubi postquam multis Poetarum, & Philosophorum testimoniis Dei unitatem probasset, concludit, eos veritatem *pene* tenuisse, *nisi eos retrorsum infatuata pravis opinionibus consuetudo rapuisset: qua & Deos alias esse opinabantur, & ea, quæ in usum hominis Deus fecit, tanquam sensu prædita essent, pro Diis habenda & colenda credebant*.

78. Resp. primæ difficultati neg. cons. tres enim divinæ Personæ unam, eamdemque numero habent essentiam, unumque propterea Deum constituunt: tres autem dii diversam haberent naturam, eamque infinite perfectam, quod fieri non posse rationibus supra demonstratum est. *Cum tres illæ personæ*, inquit Sanctus Bernardus Libro V. *de Consideratione* cap. 7. *illa substantia sint, & illa una substantia tres personæ, quis numerum neget? nam vere tres sunt. Quis numeret tamen? nam vere unum sunt.*

79. Quomodo autem tres Personæ infinitæ sint in omni genere, & nihilominus inter se distinguantur, non uno modo explicant Theologi in Tract. *de Trinitat.* Nostra autem, & communior sententia est, unam personam ab aliis distingui prædicatis, & proprietatibus relativis; quas proprietates aliæ personæ non habent quidem *immediate*, *& ratione personæ*, habent tamen *mediate*, *& ratione naturæ*, quæ eadem est in omnibus. Sic Pater, ut Pater est, non habet filiationem, nec Filius, ut Filius est, habet paternitatem; quia tamen uterque unam, eamdemque naturam habet, quæ a paternitate, filiatione, ceterisque proprietatibus relativis non distinguitur, sequitur, Patrem, mediante natura, qua Deus est, habere etiam perfectiones Filii, & Spiritus Sancti, quæ a natura dimanant, & cum ea unum, idemque sunt. Idem de Filio, & de Spiritu Sancto dicatur. Contra vero plures dii, naturam habentes diversam, neque *immediate*, neque *mediate* possent easdem perfectiones habere: unde fieret, ut nemo illorum esset omni perfectionum genere donatus.

80. Ob. quarto. Esse aliquod æternum, & summum omnium malorum principium & Deum malum sacræ litteræ haud obscure indicant. Ecclesiastici XXXIII. 15. *Contra malum bonum est... duo, & duo, & unum contra unum;* & XLII. 25. *Omnia duplicia, unum contra unum* (*a*). Similiter Amos III. 6. dicitur: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, & 2. Corinth. IV. 4. *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*. Ac demum Joann. XII. 31. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*.

81. Resp. primo testim. ex Eccles. XXXIII. & XLII. ibi non esse sermonem de principio malo, quod Manichæi, aliique commenti sunt, sed de illis malis, quæ unicuique bono opponuntur, sive ex hominum perversitate, sive juxta Dei punitionem, unde ibidem dicitur: *contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic & contra virum justum peccator: duo, & duo, & unum contra unum*.

82. Verba Amos explicat S. Augustinus Lib. *contra Adimantum Manicheum* cap. 26. de malo pœnæ, quam de Judæis propter eorum culpas Deus merito sumebat, non minus bonus, quam justus, scelerumque vindex. Hinc Isaiæ XLV. 7. dicit Deus: *ego dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, creans malum* (*b*).

83. Alia duo N. T. loca ad diabolum referuntur, qui, ut inquit S. Thomas I. P. quæst. 65. art. 1., *dicitur Deus hujus sæculi, non creatione, sed quia sæculariter viventes ei serviunt eo modo, quo Apostolus loquitur ad Philipp. III. 19. quorum Deus venter est*. Non desunt tamen, qui Apostoli verba 2. Corinth. IV. de vero Deo explicanda censeant, qui dicitur excæcare mentes aliquorum, cum gratiæ suæ auxilia eis denegat. Quamobrem S. Irenæus Lib. III. cap. 7. opinatur, eo loco S. Pauli esse μετάθεσιν, transpositionem verborum, & ita legi oportere: *Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi*. Quod etiam observatum postea fuit a S. Augustino Lib. XXI. *contra Faustum* cap. 2.; quæ quidem excæcatio, ut alibi docet idem S. Pater, non fit immissione malitiæ, sed subtractione gratiæ, atque hæc interpretatio ab aliis quoque sanctis Patribus fuit adoptata (*c*).

84. Ob. quinto. Quidquid sit de malis physicis, saltem intelligi non potest, undenam tot mala culpæ oriantur, si unus est Deus bonus, atque omnipotens, qui ea non vult, atque impedire potest: id vero facile intelligitur, si alter sit Deus malus, cujus malitia vincatur Deus bonus (*d*).

85. Resp. hunc nodum esse vere gordiom, cujus solutio veteribus juxta, ac modernis semper difficillima visa fuit. Divinum oraculum ad hoc exposcebat Maximus Tyrius *Orat. XXV.* Origenes autem Lib. IV. *contra Celsum n.* 65. *Si qua*, inquiebat, *quæstio inter homines opus habeat longa*

(*a*) Hoc testimonio maxime abutebantur Cathari apud venerab. P. Monetam Lib. I. adv. Catharos, & Valdenses cap. 2. §. 1.

(*b*) S. Augustinus in libro *de Hæresibus* num. 65. & 66. observat, errasse Colluthum, qui dicebat, Deum non facere mala, contra illud, quod scriptum est Isaiæ XLV. *Deus creans mala:* & pariter errasse Florinum e contrario dicentem, Deum creasse mala contra id, quod scriptum est Geneseos I. *Fecit Deus omnia, & erant valde bona, ac per hoc quamvis contraria inter se dicentes, tamen ambos divinis eloquiis restitisse, &c.*

(*c*) Verba S. Doctoris hæc sunt: *quam quidem sententiam S. Pauli* 2. Corinth. IV. *plerique nostrum ita distinguunt, ut Deum verum dicant obcæcasse infidelium mentes... Quod non facit malitia, sed justitia, sicut idem Paulus alibi dicit Roman. III. 5. numquid iniquus Deus, qui infert iram?... Ecce quomodo verus Deus, & justus excæcat mentes infidelium.* Idem docent S. Jo. Chrysostomus *Hom.* in hunc locum, Theodoretus in hunc loc., Theophilactus in hunc loc., ac Photius apud Œcumenium in hunc locum. Has omnes interpretationes si bene perpendisset Erasmus, haud ita facile S. Augustini explicationem respuisset, velut *affectatam, & violentam* in Comment. ad hunc locum Tom. VI. Opp. edit. Lugd. Batav. anno 1705.

(*d*) Hoc argumentum a veteribus Dualistis mutuatum eo, quo pollebat ingenii acumine Petrus Bayle propo-

ga inquisitione, & scrutatu nobis sit difficilis, certe hæc est, quæ ad malorum originem spectat. Quæcumque tamen sit in hac re difficultas, nos conturbare non debet, primo quia nimia evidentia Dei unitas firmata est: evidens autem ab obscuro, sicuti etiam certum ab incerto tolli, aut labefactari non debet; secundo, quia Dualistæ in difficultates multo majores delabuntur; dum enim duos statuunt Deos, seu duo principia finita, & secum invicem pugnantia, ac minime beata, utrumque Deum tollunt; neuter enim erit ens summe perfectum, cujusmodi esse debet Deus. Præterea cum mala in hoc mundo longe superant bona, Deus malus erit Deo bono longe potentior, illumque tandem solio exturbabit, ac destruet. Accedit, homini non posse imputari peccata, quæ ex mali principii, vel Dei vi, & impulsione necessario patrare compellitur, ut Manichæi docebant: si autem homini non imputantur peccata, jam nullum amplius erit malum morale, cujus origo inquiritur: quamobrem, ut recte Simplicius observavit in cap. XXXIV. Epicteti, Dualistæ *festive suo ipsi (quod ajunt) gladio jugulantur: nam inde colligitur, si mali principium sit, nullum omnino esse malum; si vero malum non est, ne principium quidem mali esse.* Denique, ne omnia persequar, recte concludit Arnobius Lib. VII. *Adv. Gentes*, posito duorum principiorum systemate omnem sublatum iri religionem. Ut quid enim Deo bono preces, & sacrificia offeramus, ut prosit, cum ille nonnisi prodesse possit? Et quid postea placemus Deum malum, ne noceat, cum natura sua malus & inexorabilis non possit non nocere? Nonnullæ aliæ rationes ex profundiore metaphysica desumptæ ad ostendendum, *esse non posse unum summum malum, quod sit causa omnis mali*, videri possunt apud S. Thomam I. P. quæst. 49. art. 3.

86. Resp. secundo. Malum culpæ non a Deo, sed ab homine originem trahere, qui libero arbitrio sibi concesso male utens divinam violat legem. *Malum*, inquit Angelicus laud. quæst. 49., *quod in defectu actionis contingit, semper causatur ex defectu agentis; in Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio. Unde malum, quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum, sicut in causam.* Et ante ipsum S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 23. *Nequaquam*, inquit, *dubitare debemus, rerum, quæ ad nos pertinent, bonarum causam non esse, nisi bonitatem Dei; malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem, prius Angeli, hominis postea.*

87. Instat Bælius. Deus prævidens, hominem libero arbitrio in sui perniciem abusurum, cum infinite bonus, & potens sit, vel arbitrium ipsum tanto cum detrimento homini concedere non debuisset, vel saltem (quod certe poterat) talibus, ac tantis eum fulcire præsidiis, ut hoc dono non abuteretur: quod si non fecit, aut id facere non potuit propter alterius Dei mali oppositam resistentiam, & sic summe potens non est; aut facere noluit, & tunc infinite bonus non est, quemadmodum bona mater non esset, quæ filio id concederet, quod ei nociturum certo præviderét (*b*).

88. Resp. dist. illam propositionem: vel liberum arbitrium homini tribuere non debuisset, vel saltem &c., si ex malorum permissione non possit majora bona elicere, conc.; si mala ista permittens majora inde bona eliciat, *nego*. Deus provisor est universalis, qui non unius tantum, vel alterius individui, aut etiam speciei, vel generis, sed omnium omnino rerum curam habet, quas ad altissimos, & inscrutabiles suæ providentiæ fines dirigit. Permisit igitur, aliqua esse mala singulorum, quæ ad bonum totius referuntur. Præclare pro more suo S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 11. *Neque enim Deus omnipotens, quod etiam infideles fatentur verum, cui summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut benefaceret & de malo.* Et infra cap. 27. Deus *melius judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* Sane si hominum sapientia eo sæpius pervenit, ut de malis plurima bona eliceret, dubitandum ne erit, an idipsum faciat omnipotens, & sapientissimus Deus? Vid. S. Augustinus de *corrept. & grat.* cap. 10.

89. Exemplum autem matris, & quæcumque alia hujus generis non sunt ad rem; ut enim obser-

suit, atque exornavit in suo Dictionario art. *Manicheens, & Pauliciens*, tum in *Dial.* inter Maximum, & Themistium, in *respons. ad Provinc.*; & aliis in locis impiorum suorum operum. Contra eum tamen integra prodiit scriptorum phalanx; inter quos fuit etiam P. Nic. Malebranche in Compendio tract. gallici *de natura & gratia*, qui antea iisdem pene difficultatibus a P. Bouhours in vita S. Francisci Xaverii sub nomine cujusdam Bonzi propositis responderat, editis libris *Conversations Chrétiennes*, *Traité de la nature, & de la grace*, & *Reflexions sur la prémotion physique*; in quibus tamen operibus nonnulla scripsit, quæ ab Antonio Arnaldo refutata sunt in opusculo *Reflexions philosophiques, & theolog. sur le Traité de la nature, & de la grace.* Sed nimis longus esset integer Catalogus eorum, tam qui ex Catholicis, quam ex heterodoxis contra Bælium in hoc certamine inclaruerunt.

(*b*) Hanc difficultatem eleganter exponit Cicero Lib. III. *de nat. Deor.* cap. 27., multis vero illustrat exemplia Bælius loc. cit. .... Ex pressi Sociniani certam Deo futurorum præscientiam denegarunt; neque tamen ab illa hoc effugio se liberare potuerunt; urget enim Bælius, vel sola probabili mali conjectura, quam Deo denegare non audent, debuisse eum moveri, ne hominem liberum conderet, quemadmodum provida mater filio ensem non concedit, quo eum sibi nociturum, sin minus certe, probabiliter saltem prævidet.

servat S. Thomas I. P. quæst. 22. art. 2., *aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, & de provisore universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius*. Et alibi (Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 17.) *bonum totius præeminet bono partis. Ad prudentem igitur gubernatorem pertinet negligere aliquem defectum bonitatis in parte, ut fiat augmentum bonitatis in toto; sicut artifex abscondit fundamentum sub terra, ut tota domus habeat firmitatem. Sed si malum a quibusdam partibus universi subtraheretur, multum deperiret perfectionis universi &c.* Legatur totum illud caput.

90. Inst. secundo. Non apparet, quibusnam bonis possit Deus tot, tantaque, quibus obruimur, mala compensare; ergo &c.

91. Resp. etiam dato antec. neg. cons. Quanquam enim nos latent inscrutabilia consilia Dei, certo tamen scimus, nihil ab eo temere, & inconsiderate fieri, aut permitti posse. Quamobrem permissio mali nullo pacto cum Dei bonitate pugnare potest; & qui opera Dei carpere, & accusare præsumunt, quia altissimos ejus providentiæ fines caligantibus suis oculis non attingunt, non minus insipienter faciunt, inquit alicubi S. Augustinus, ac si quis imperitus homo artificis officinam ingressus inutilia, vel mala crederet aliqua instrumenta, quorum usum ignorat: aut si quis pictorem accusaret, quod umbras sæpe permiscens, renidentes ubique colores in suis tabulis non adhiberet; vel Poetam redargueret, quod in tragœdia non omnes heroes fecerit. Vid. Theodoretus *de curandis Græcorum affectionibus* Lib. IV. *de providentia*.

92. Inst. tertio. Malum culpæ Dei sanctitati repugnat: *opponitur enim proprie bono increato*, ut inquit S. Thomas I. P. quæst. 48. art. 6.: Deus autem permittens malum, in ipsum saltem moraliter influere censetur: ejusdem quippe culpæ reus communiter habetur, & qui hominem jugulat, & qui eum jugulari permittit, impedire cum possit: si ergo unus est Deus omnipotens, & bonus, nullum esse malum permitteret.

93. Resp. dist. illam proposit., permittens malum, in ipsum saltem moraliter influere censetur, quando quis & potest, & tenetur malum impedire, *conc.*; si non teneatur, *nego*. Audiatur S. Thomas, qui similem difficultatem expendens, ita probat, Deum, dum permittit malum, nec directe, neque indirecte ejus causam esse 1. 2. quæst. 79. art. 1. *Contingit, quod Deus aliquibus non præbet auxilium ad evitandum peccata, quod si præberet, non peccarent; sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ, & justitiæ, unde non imputatur ei, quod alius peccet, sicut causa peccati: sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc, quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem suam potens, & debens gubernare*. Et sane nec propter se tenetur Deus impedire mala, nec propter homines. Non propter se; certissimum est enim, mala quæcunque divinæ sanctitati opponi quidem, sed nihil prorsus obesse; immo ex iis majora bona a Deo elici ad altissimos divinæ providentiæ fines implendos; nec propter homines, quibus Deus nihil omnino debet.

94. Inst. quarto. Quamquam hominibus nihil absolute Deus debet, ex hypothesi tamen quod illos propter beatitudinem creaverit, omnesque salvos velit, tenetur etiam illos ita regere, ne ab illa excidant propter peccata: non ergo potest permittere mala.

95. Resp. Si hominum beatitudo esset ultimus divinæ providentiæ, & bonitatis finis, *conc.*; aliter, *nego*. Næ illi vehementer errant, qui sibi persuadent, finem ultimum Dei in hominum creatione esse eorumdem beatitudinem; omnia enim vult Deus propter semetipsum, cum sit ipse *alpha*, & *omega*, *principium*, & finis omnium rerum. Audiatur iterum S. Thomas I. P. quæst. 19. art. 2. ad 2. *in his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis ... Unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua*. Quod ergo dicitur, Deum velle omnes homines esse beatos, eosque propter æternam felicitatem creasse, intelligi debet solum de voluntate antecedenti, & conditionata, hoc est nisi hoc sapientissimæ ipsius providentiæ finibus repugnet. In hoc apparet ulterios infinita Dei bonitas erga nos, quod neminem esse miserum velit, nisi sua culpa ipse sibi suam infelicitatem operetur, quamvis hanc hominum perversitatem justis de causis impedire nolit. Sed hæc uberius explanabuntur, ubi de Dei voluntate salvandi omnes homines data opera agemus. Vid. etiam quæ de permissione mali dicta sunt, ubi de providentia disputavimus.

96. Ob. sexto. Est in natura summum bonum, quod est causa omnis boni: ergo debet esse etiam summum malum, quod sit causa omnis mali; contrariorum enim eadem est ratio. Præterea sicut in rebus invenitur bonum, & melius, ita invenitur malum, & pejus; sed bonum, & melius dicuntur relate ad optimum, quod est Deus bonus: ergo etiam malum, & pejus dicuntur relate ad pessimum, quod est Deus malus. Tertio omne, quod est per participationem, reducitur ad illud, quod est per essentiam; sed res, quæ sunt mala apud nos, non sunt malæ, nisi per participationem; ergo debent reduci ad aliquod principium, quod sit per se malum. Quarto omne, quod est per accidens, reducitur ad illud, quod est per se; sed bonum est causa mali tantum per accidens: ergo oportet ponere aliquod summum malum, quod sit causa malorum per se. Neque potest dici, malum non habere causam per se, sed per accidens tantum:

tum: si enim ita se res haberet, malum non in pluribus, sed in paucioribus inveniretur, quod experientiæ repugnat. Demum malum effectus debet reduci in malum causæ, quia effectus deficiens est a causa deficiente; sed non potest in hoc procedi in infinitum: ergo oportet aliquod primum malum statuere, quod sit causa omnis mali. Has difficultates objicit sibi S. Thomas I. P. quæst. 49. art. 3., quæ si aliquid valerent, certe evincerent, præter Deum bonum esse alium admittendum Deum natura sua malum.

97. Resp. primæ difficult. cum S. Thoma, cum malum non sit, nisi mera privatio boni, non exigere nisi causam, quæ possit deficere, cujusmodi est quæcumque causa creata, quæ utpote finita, & imperfecta deficere potest. Eorum autem, quæ opponuntur *contrarie*, eadem est ratio, non autem earum, quæ opponuntur *privative*; quemadmodum ex quo necessarius sit sol ad aerem illuminandum, non efficitur, aliquam similem, & oppositam causam requiri ad tenebras, quæ sola absentia, & privatione solis effunditur. Et ulterius, cum subjectum privationis sit ens in potentia, malum, quod, ut dictum est, nonnisi in privatione boni consistit, illi soli bono opponitur, cui potentia adjungitur, non autem summo bono, quod est actus purus.

98. Alteram sic solvit Angelicus: *Omnis forma, & perfectio, & bonum per accessum ad terminum perfectum attenditur, privatio autem, & malum per recessum a termino, unde non dicitur malum, & pejus per accessum ad summum malum, sicut dicitur bonum, & melius per accessum ad summum bonum.*

99. Tertiam sic breviter expedit idem S. Doctor: *nullum ens dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis. Unde non oportet fieri reductionem ad aliquid, quod sit per essentiam malum.*

100. Quartæ vero sic respondet: *malum non potest habere causam, nisi per accidens; unde impossibile est fieri reductionem ad aliquid, quod sit per se causa mali. Quod autem dicitur, quod malum est in pluribus, simpliciter falsum est: nam generabilia, & corruptibilia, in quibus solum contingit esse malum naturæ, sunt modica pars totius universi. Et iterum in unaquaque specie defectus naturæ accidit in paucioribus. In solis autem hominibus malum videtur esse ut in pluribus, quia bonum hominis secundum sensum corporis non est bonum hominis in quantum homo, sed secundum rationem. Plures autem sequuntur sensum, quam rationem.*

101. Postremam difficultatem sic explicat Angelicus. *In causis mali non est procedere in infinitum, sed est reducere omnia mala in aliquam causam bonam, ex qua sequitur malum per accidens* (a).

APPENDIX

De superstitioso plurium Deorum cultu.

102. Definiente S. Aug. Lib. II. *de Doctr. Christ.* c. 20. T. III. *superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus ad facienda, & colenda idola, pertinens vel ad colendam sicut Deum creaturam, partemve ullam creaturæ, vel ad consultationes, & pacta quædam significationum cum dæmonibus.* Brevius autem S. Th. 2. 2. qu. 92. art. 1. superstitionem definit *vitium religioni oppositum, quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet:* unde postea art. 2. infert, idololatriam esse primam superstitionis speciem, *quia divinam reverentiam indebite exhibet creaturæ.*

103. Quænam autem fuerit prima polytheismi, atque idololatriæ origo, & quænam prima ejus epocha, haud facile dictu est. Minime tamen dubito, quin absurdissima omnibus videri debeat quorumdam recentiorum opinio, qui voluut, *theismum*, veramque unius Dei religionem, esse polytheismo, & superstitione posteriorem; quod paradoxum hoc nituntur fallaci ratiocinio confirmare; quia non est verisimile, ajunt, populos plus sapuisse, cum adhuc barbari, & inculti essent, quam cum exuta barbarie litteris, & artibus operam navare cœperunt; quemadmodum verisimile non est, prius magnificas domos, atque ornatissima templa, quam vilia tuguria fuisse extructa, aut geometriæ scientiam ante agriculturam floruisse. At vero constat ex historiis antiquioribus, omnes populos fuisse idololatriæ addictos; unde pronum est credere (sic illi colligunt), multo magis primos homines fuisse cognitione unius veri Dei, verique ejusdem cultus privatos (b).

104. Sed hæc, aliaque id genus momenta velut levissimus fumus evanescunt, quando consideramus, religionem veram non esse inventum humanum, primosque homines non ex terra, fun-

(a) Supersunt cavillationes Manichæorum, quibus probare nituntur, auctorem Vet. Testamenti fuisse Deum malum, a Deo bono auctore novi Testam. natura diversum. Sed iis diluendis opportunior videtur locus in Tract. *de Legib.* Interim videri possunt, si lubet, Natalis Alexander Dissert. XIV. in Sec. II., Lud. Thomassinus Lib. II. *Theol. Dogm.* cap. 9. & seq., & passim Scholastici.

(b) Ita Humius in *Hist. Natur. Relig.* §. 1. post Bolingbrokium Tom. III. Opp. p. 256. & Jo. Jac. Rousseavius in suo *Emile* T. II. Contra quos videri possunt Censura Theol. Facultatis Paris. p. 26., *Examen de l'Hist. naturelle de la Religion*, quod laud. Humii Opus. adnexum fuit in edit. Amstelod. 1759., & Leland. *Nouv. Demonstration evangelique* T. I. P. I. cap. 2. Pluquet *dans le Discours prelim. au Diction. des hæresies* c. 1., Bergier *Examen du materialisme* Tom. II. P. II. cap. 1, & alii.

gorum instar natos, sed a Deo creatos, eosque superna revelatione de vero unius divinitatis cultu edoctos, quem filiis, & nepotibus traditione communicarunt, tametsi postea hominum perversitate, diabolique dolis fœda superstitione vitiatus fuerit. Hinc Lactantius hunc ipsum errorem nostro ævo suscitatum, jam suo tempore confutans Lib. II. *divin. Instit.* cap. 14. ita concludebat: *errant igitur, qui Deorum cultum ab exordio rerum fuisse contendunt, & priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem, quam putant posterius inventum, atque originem veritatis ignorant.*

105. Missa itaque hac paradoxa opinione, in qua non tam idololatriæ veræ religionis epocha inquirenda esset, putant nonnulli, idololatriam primo fuisse ab Enos ante diluvium invectam, de quo scriptum est *Genes. IV.* 26. *iste cœpit invocare nomen Domini*, quæ verba sic possunt intelligi textu hebraico אהחך חלל לואבצסורות *tunc cœpit profanari nomen Domini*, vel ut vertit P. Houbigant: *tum primum cœpere homines Dei nomen appellare*. Huic tamen interpretationi, quæ multorum Rabbinorum est, repugnat S. Augustinus L. XV. *de Civit. Dei* cap. 18. ita hunc textum de Enos legens: *hic speravit invocare nomen Domini*.

106. Sed quidquid sit de temporibus antediluvianis, illud certe mirabile est, veram Dei religionem, quam Noe filiis ac nepotibus puram sine dubio tradidit, fuisse non multo post, scilicet ipso Noe adhuc vivente, fœda superstitione corruptam. Noe siquidem vita functus est anno post diluvium 350. *Genes.* IX. 28., hoc est circa tempus nativitatis Abrahæ, cujus Pater Thare jam serviebat diis alienis *Josue XXIV.* 2. (*a*). Immo si Josepho fides est Lib. I. *antiq. Judaic.* cap. 7. adeo tunc temporis vetus ac pura religio deformata erat, ut Abraham *primus ausus sit declarare, unum esse Deum, rerum omnium opificem*. Fortasse autem Abraham patrem suum Thare ad cultum veri Dei convertit, ut proinde vere dicere potuerit S. Augustinus Lib. XVI. *de Civit. Dei* c. 13. *domum Thare persecutionem passam fuisse a Chaldæis pro vera pietate, qua unus & verus ab eis colebatur Deus*.

107. Post autem ita toto terrarum orbe dilatatus est vanus idolorum cultus, ut Cicero vere dicere potuerit Lib. II. *de divinat.* cap. 72. *superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit*. Et quanquam aliquibus ope sanioris philosophiæ de unitate Dei plane ad veritatem persuasum esset, iidem tamen ipsi, quasi torrentis impetu rapti pluribus hominibus divinum cultum adhibere non verebantur, donec tandem Deus diabolicam superstitionem, ut S. Aug. ait L. IV. *de civ. Dei* c. 36. *per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum prædicationem, per fidem Martyrum pro veritate morientium, & cum veritate viventium, non solum in cordibus religiosis, verum etiam in ædibus superstitiosis libera suorum servitute subvertit* (*b*).

108. Non uno tamen modo cæca gentilitas idololatriæ superstitione peccabat, ut S. Th. observat 2. 2. q. 94. art. 1. Quidam enim simulacra manufacta, ut Deos colebant, putantes scilicet ea a diis inexplicabili quadam ratione animari; quod adeo multis sacræ scripturæ locis declaratur, ut mirabile videri debeat, potuisse id ab Œcolampadio, Calvino, aliisque hæterodoxis negari. Id luculenter asserit Jeremias cap. II. 27. *dicentes ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti*. Isaias autem idololatrarum insaniam ita pulchre describit c. XLIV. 13. & seq. *Artifex lignarius ... sumpsit ex eis* (lignis) *& calefactus est, & succendit, & coxit panes: de reliquo operatus est Deum, & adoravit: fecit sculptile, & curvatus est ante illud: medium ejus combussit igni, & de medio ejus carnem comedit ... reliquum autem ejus Deum fecit, & sculpti-*

(*a*) Ita quidem omnes fere interpretes sentiunt propter illa verba Josue XXIV. 2. *trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor, servieruntque diis alienis*. Sed huic communi interpretum opinioni se se opposuit vir nostro ævo doctissimus Alexius Symmachus Mazochius in suo *Spicilegio biblico* T. II. p. 121. ostendens, illam pugnare cum iis, quæ leguntur Judith. V. 7. scilicet populum Israeliticum originem traxisse ex terra Chaldæorum, exisse autem inde, & habitasse in Mesopotamia, *quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum &c.* quod de Thare patre Abraham dictum fuisse ex *Gen.* XI. 31. colligitur. Unde etiam S. Augustinus Lib. XVI. *de Civ. Dei* c. 13. tradit, *domum Thare persecutionem passam fuisse a Chaldæis pro vera pietate qua unus & verus ab eis colebatur Deus*. Itaque versiculum illum Josue XXIV. ita Mazochius intelligendum putat: *trans fluvium habitaverant Patres vestri a sæcula* (*Thare pater Abraham, & Nachor*) *servieruntque Diis alienis*, ut ea verba *servieruntque Diis alienis* sint conjungenda cum iis *trans fluvium habitaverunt patres vestri*, quos solos fuisse idololatras Scriptura S. innuit; non autem extendenda ad Thare, & Nachor, quorum solummodo intra parenthesim fit, ut indicaretur, genus Hebræorum fuisse transamnicum, non solum ex parte patris, sed etiam ex parte matris; quia Thare non solum fuit pater Abraham, unde Hebræi paternum genus trahebant, sed etiam fuit pater Nachor, unde maternum.

(*b*) De origine idololatriæ agunt ex Catholicis Eusebius Lib. I. *Præpar. Evang.* c. 6. contendens, eam ab Ægyptiis primo ortam esse, deinde in Phœnices, Græcos, ac in barbaros populos commigrasse, P. August. Calmet *Diss. de Origine idololatriæ*, P. Tournemine *de l' Origine des fables* Mem. de Trevoux 1703. Banier *explication hist. des fables* Tomo I. Pluquet *Diction. des heresies disc. prelim.* aliique. Ex heterodoxis autem Jo. Ger. Vossius Lib. I. *de origine idololatriæ*, Frid. Spanhemius in *Hist. Eccles. Vet. test.* Jo. Seldenus *Proleg. de Diis Syris*, Grotius in *Explic. Decalogi*, Franc. Buddeus in *Hist. Vet. test.* pluribus in locis, ac Jo. Clericus *Proleg. in Histor. Eccl.* Sect. II.

ptile sibi: curvatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens: libera me, quia Deus meus es tu. Idem habetur Sapient. XIII. 11. Quod postea etiam Horatius, quanquam paganus, ita versibus eleganter, ac lepide irrisit:

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum, Deus inde ego (a).

109. Alii autem ex idololatris adeo absurda sibi effingebant numina, ut stomachum moverint vel ipsis Gentilibus emunctioris naris. Audiatur tantisper Juvenalis, qui ita satyra XV. Ægyptiorum Deos describit:

Quis nescit ... qualia demens
Ægyptus portenta colit? Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibin.
Effigies sacri hic nitet aurea Cercopitheci ...
Porrum & cæpe nefas violare, & tangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina ...

110. Minus quidem absurdi erant, qui statuis, & imaginibus dumtaxat utebantur ad divinitatem repræsentandam (b). Sed in eo gravissime peccabant, quod divinos honores Saturno, Jovi, Apollini, Marti, Junoni, Veneri, Baccho, aliisque hujuscemodi mendacibus tribuebant, qui homines mortales fuerant, quidem multis, magnisque sceleribus polluti: qua de re dignus est, qui legatur Lactantius Lib. I. *divin. Institutionum*, & in *Epitome* cap. 7. *Mutaverunt*, inquit Apostolus Rom. I. 23. *gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis honoris, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum ... commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen.*

111. Scholion. Catholicæ religionis dogmata aut ignorant prorsus, aut potius ignorare se fingunt, qui nos similis idololatriæ accusant, quando Sanctos, aut eorum reliquias, aut imagines colimus. Nam primo hos Sanctos non colimus ut Deos, sed ut servos, & amicos Dei. *Devotio*, inquit Angelicus 2. 2. qu. 82. art. 2. ad 3. *quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur*. Secundo fuerunt omnes singulari pietate, atque heroicis virtutibus insignes, non in vitiis, ac sceleribus infames, ut Dii Gentilium. Tertio quantum ad eorum imagines spectat, non in iis fiduciam ponimus, ac multo minus iis inesse Sanctorum animas putamus, quemadmodum a Gentilibus fiebat, sed totus, qui eis exhibetur honos, refertur ad prototypa. Quod si qui hac in parte sunt abusus, eos detestatur Ecclesia, atque extirpandos præcepit in Synodo Trident. Sess. XXV. ubi vult, *ut omnis superstitio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur*.

CAPUT III.

Ostenditur, Deum esse immensum.

112. Immensum, seu, ut Græci dicunt, ἀμέτρον, illud proprie est, quod præ magnitudine mensurari non potest. Quando autem Deum immensum esse dicimus, intelligimus illud divinum attributum, quod *ubiquitas* appellari solet, ratione cujus Deus omnia loca occupat, unde dicit ore Jeremiæ c. XXIII. 24. *cælum & terram ego impleo*, non excludendo alias res, sive corporeas, sive spirituales; seu ut Doctor Angelicus observat I. P. 8. art. 3. *Deus est in omnibus per potentiam, inquantum omnia ejus potestati subduntur; est per præsentiam, inquantum omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus; est in omnibus per essentiam, inquantum adest omnibus ut causa essendi*. Et antea art. 2. ad 1. idem Sanctus Doct. observavit, Deum utpote incorporeum, *non esse in loco per contactum quantitatis dimensivæ, sicut corpora, sed per contactum virtutis*.

113. Hanc Dei immensitatem non pauci, cum veteres, tum recentiores inficiati sunt, nedum inter ethnicos, sed etiam inter eos, qui lumine divinæ revelationis illustrati erant. Et primo ii omnes

(a) Adi-sis eruditam *Deorum gentilium historiam* Lilii Gregorii Gyraldi, tum P. Baltum *Dans la suite de la reponse à l'histoire des Oracles &c.* p. 101. Ceterum id solum sufficere posset, quod de Stilpone Megarensi celebri inter Pythagoricos philosophos Diogenes Laertius narrat Lib. III. ipsum nempe fuisse ad Areopagitas delatum, quod statuam Minervæ a Phidis sculptam Deum esse negaret, neque alia ratione potuisse pœnam effugere, quam dicendo, negasse se statuam esse *Deum*, quoniam esset *Dea*. Vid. etiam Minutius Felix in *Octavio* n. 21. & seq. Arnobius Lib. VI. *adv. Gentes*, S. Aug. Lib. VIII. *de Civ. Dei* c. 23. & Lactantius, qui Lib. III. *Div. Inst.* c. 2. iis idololatrarum insaniam insectatur: *adorant ergo insensibilia, qui sentiunt; irrationabilia, qui sapiunt; exanima, qui vivunt; terrena, qui oriuntur e cælo. Juvat ergo, veluti in aliqua sublimi specula constitutum, unde universi exaudire possint, Persianum illud exclamare: o curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!*

(b) Origenes Lib. I. contra *Celsum* n. 5. Celso objicienti hæc Heracliti verba: *Qui ad res inanimes, tamquam Dii essent, accedit, eum perinde facere, ac si quis cum parietibus confabuletur*, non solum non repugnat, sed aliud ipse exemplum addit Zenonis Citticensis, qui in libro *de republica* ait: *nihil opus erit sacella construi; nihil enim sacrum, nihil alicujus pretii, nihil sanctum existimandum est, quod a fabris, operisve construitur*. Sed hi perpauci erant, habita ratione aliorum, qui simulacris divinam inesse virtutem stulte opinabantur.

mnes, qui Deum corporeum sibi effingebant, eum etiam certis locorum spatiis circumscribere cogebantur; ut nempe aliis corporibus suus esset locus. Vid. S. August. *contr. epist. fundamenti* cap. 16. Tom. VIII.

114. Praeterea rudiores quidam inter Judaeos Deum in templo concludi putarunt, ut asserunt Origenes *Hom.* XII. in *Gen.* S. Cyrillus Lib. II. *contra Julianum*, & L. V. in Joann. & S. Hieron. ad Cap. LXVI. Isaiae; quibus S. Hilarius L. II. *de Trinit.* n. 31. addit Samaritanos, stulte credentes, aut *collis edito, aut extructae domus concavo* Deum contineri. Non tamen fides adhibenda est Spinozae, qui Adam, atque Abrahamum ignorasse, Deum ubique esse commentus est in *Tract. Theol. politic. cap.* 2.

115. Tertio Manichaei, omnesque Dualistae ad negandam Dei immensitatem adigebantur, ut scilicet Deo malo regnum concederent: *illic enim esse mala incipiunt, ubi bonorum est finis*, ajebat Faustus apud S. Augustinum Lib. XXVII. contra ipsum; in quem errorem se quoque imprudenter delapsum fuisse Sanct. Pater confitetur Lib. VIII. *Confess.* capit. 1. & 5.

116. Quarto ex recentioribus heterodoxis Deum esse ubique essentia, & substantia sua negarunt Phil. de Marnix Calvinianus in epist. ad Theodorum Bezam, & Conr. Votilius pariter Calvinianus, & Socinianismi suspectus in not. ad Dissert. III. *de natura Dei*. Sociniani autem, quique ab eorum sententiis non multum abhorrent. Arminiani, sit necne Deus ubique locorum essentia, & natura sua, in dubio relinquunt. (*a*) Ac demum Beausobrius, quanquam Deum esse immensum fatetur, ea tamen, qua libenter utitur, tolerantia hunc errorem nec magnum esse, nec religioni perniciosum, fidenter definit *Hist. des dogmes des Manichéens* L. III. cap. 4. n. 4.

117. Ex Catholicis demum de Dei immensitate dubitasse dicitur Erasmus, eamdem autem aperte negasse Steuchum Eugubinum in Comment. in Psal. 138. & in Lib. *de perenni Philosophia* (*b*).

PROPOSITIO.

Deus est immensus, seu omnibus locis, rebusque omnibus spiritualibus & corporeis sua essentia intime praesens.

118. Prob. I. ex sacris litteris. Ps. CXXXVIII. 7. dicit regius Psaltes: *Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Et *Actor. XVII.* 27. Paulus de Deo inquiebat: *non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Quae verba expendens S. Jo. Chrysostomus *Homil.* XXXVIII. in *Acta Apostol. vide*, inquit, *quomodo illos refellit, qui Deum in aliqua parte collocant*. Accedunt & alia testimonia, quibus ad probandam Dei immensitatem dicitur Deus major caelo, & terra. Job. XI. 8. *excelsior caelo ... profundior inferno ... longior terra mensura ejus, & latior mari*. Et 2. *Paralip.* VI. 18. *si caelum & caeli caelorum non te capiunt, quanto magis domus ista quam aedificavi?*

119. Non sum nescius, haec, aliaque id genus Scripturarum loca a Socinianis perverse explicari de virtute Dei, quae ubique diffunditur, non de essentia, quam in uno loco constitutam volunt; quae tamen res etiam distantes sola sua voluntate regere, atque administrare: non secus ac Rex, qui cum in uno loco resideat, omnia tamen etiam in remotis provinciis administrat.

120. Verum laudata sacr. Script. loca intelligenda esse in obvio literali sensu de immensitate nedum virtutis, sed etiam divinae substantiae cum ex unanimi sanct. Patrum interpretatione, tum etiam ex ipsa ratione luculenter evincitur. Nam Theophilus Antiochenus Lib. I. *ad Autolicum: Dei altissimi*, inquit, *qui omnia regit, hoc quasi proprium est, ut non solum ubique sit, verum omnia praesens inspiciat, & audiat*; quibus verbis non tantum operationum, sed etiam essentiae ubique praesentia indicatur.

121. Clemens Alexand. L. VII. *Stromatum* eum bonum virum esse definit, *cui est persuasum, Deum ubique adesse, non autem certis ac definitis locis esse conclusum*, ut sibi falso persuadent, qui divinae essentiae immensitatem denegant.

122. S. Hilarius autem L. I. adv. Constantium *Deum ubique esse, & totum ubique esse*, pronunciat, quod minus recte dictum foret si alicubi esset potentia tantum & virtute, non autem essentia.

123. S. Athanas. ep. ad Serapionem ex eo probat Sp. Sanct. esse Deum, quia de eo scriptum est *Sap. I. Spiritus Domini replevit orbem terrarum;* quo argumento contra Pneumatomachos etiam usi sunt S. Hilar. L. II. *de Trin.* Ambros. L. I. *de Spiritu S.* c. 7. & Basilius L. *de Sp. S.* c. 22. Duo vero Gregorii, Nazianz. *Orat.* XXXIV. &

(*a*) Vid. *Apologia Confessionis Christ.* ann. 1650. Sam. Crellius *de Deo* cap. 27. & Episcopius L. IV. *Inst. Theol.* II. c. 8.

(*b*) Erasmus fortasse a tam crasso errore excusari potest, quod non tam ad tollendam Dei immensitatem, quam potius ad irridendas futiles quorumdam Theologorum quaestiones, sit necne Deus in antro scarabaei, aliisque obscoenioribus locis, vel in spatiis imaginariis, aliquid minus caute, & orthodoxe protulerit. Sed difficilius mihi videtur, excusare Steuchum Eugubinum, qui in Psalmum 138. ita scribit: *Ut igitur sol est in caelo corpore, ac situ, & statione sua, terras autem luminibus lustrat, omnia prospiciens, talem necesse est nos cogitare Deum; qui quidem essentia, ac praesentia sit in caelo, spiritus ejus, & cognitio, & scientia usquequaque pertineat.* Confer Petavium L. III. *de Deo* c. 7. numer. 7.

& Nyssenus in *magna Catechesi* cap. 25. inde probant, Deum non esse corporeum, quia immensus est, quæ ratio esset prorsus inepta, si solam immensitatem virtutis Deo tribuerent.

124. S. Jo. Chrysost. explicans illa verba Ps. CXII. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo, & in terra?* inquit, *ostendens illum ubique esse, illic, & hic; non enim tanquam aliquis in cœlo conclusus eminus videt, quæ sunt in terra, sed ubique præsens, & omnibus assistens.*

125. Demum, ne infinitus sim, si omnes sanctos Patres afferre velim, S. Aug. ep. 187. ad Dardanum cap. 4. n. 14. Tom. II. *Sic est Deus*, inquit, *per cuncta diffusus ... non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius; atque ita per totum totus: sed est in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus.*

126. Suffragatur etiam evidentissima ratio, quam Sociniani, ceterique divinæ immensitatis hostes libentius se audire profiteantur, quam Sanct. Patrum doctrinas. Deus est ens summe, & omnino necessarium, quod a seipso absoluta, & omnimoda necessitate existit: ita ut nullam prorsus sui esse causam habere possit: ergo nullo definiri, & circumscribi potest, sed ubique debet esse tota sua essentia diffusus. *Si* enim alicubi ejus essentia conclusus esset, aliquam esse oporteret causam, cur potius in uno, quam in alio loco consisteret, & cur certum occuparet spatium, & non omnia: nulla autem fingi potest hujusmodi causa, ut hic potius sit, quam alibi, sicuti nulla fingi potest causa, cur Deus sit: Deus igitur est nedum virtute, sed etiam essentia immensus, & ubique.

127. Accedit, omnium consensione Deum esse ens in omni genere perfectissimum, quo nihil majus meliusve cogitari potest: hujusmodi autem non esset, si certo quodam loco, vel spatio contineretur, esset enim certis quoque limitibus, ac terminis circumscriptus: quod solo rationis lumine vidit etiam Plotinus Philosophus Platonicus *Enneade* VI. L. V. c. 4. unde dicebat, *id omni humanæ insitum esse naturæ, ut simul esse Deum existimet etiam ubique esse totum arbitretur* (a).

128. Corollarium. Cum eorum error, qui Dei immensitatem negant, tot sacr. Script., sanct. Patrum testimoniis, imo & ratione ipsa tam evidenter condemnetur, apparet, quam absurde Beausobrius, & Sociniani pronuncient, eum tolerari in Ecclesia posse. Multo verius Anastasius Sinaita eos, qui hoc Dei attributum tollere, aut minuere præsumunt, *impudentes*, *& blasphemos* appellat in Orat. I. *de incircumscripto*.

129. Ob. 1. In sacris literis certa quædam, ac determinata habitatio Deo tribuitur. Et quidem primo in summo cœlo Psal. CXIII. *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum;* ubi fit antithesis Deum inter & homines, ut quemadmodum isti terram, ita ille cœlum inhabitet; unde etiam sæpius dicitur de cœlo descendere, Gen. XI. 5. descendit *Dominus, ut videret civitatem, & turrim &c.* & Ephes. IV. 10. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos*. 2. dicitur Deus habitare in Christo, Coloss. II. 9. *in ipso* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. 3. dicitur habitare in justis, Jo. XIV. 23. *si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. 4. dicitur Deus inhabitare in templis. Psal. X. 5. *Dominus in templo sancto suo:* non ergo est ubique.

130. Resp. Deum certis quibusdam in locis habitare peculiari ratione, quæ non excludit substantialem illam præsentiam, qua ubique est. Sic primo specialiter dicitur esse in cœlo, quia ibi visibiliter sedet, ut divitias gloriæ, & majestatis suæ beatis ostendat. *Licet Deum*, inquit S. Bernardus (Serm. I. in Psalm. *Qui habitat*) *ubique esse non dubitem; sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris, propter quod & orantes dicimus: Pater noster, qui es in cœlis. Sicut enim anima cum in toto quoque sit corpore, excellentius tamen, & singularius est in capite, in quo omnes sunt sensus; ita &c.* Et ipsæ litteræ ita Deum in cœlis esse dicunt, ut etiam sit in terra. Isaiæ cap. ult. *Hæc dicit Dominus: cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, & Deuteron. IV. 39. *Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum*.

131.

(a) Efficacissima etiam est illa ratio S. Thomæ I. P. Quæst. 8. art. 1. qua Deum esse in omnibus rebus ex ejus operatione evincitur. Sed eam omittere consultius duximus, ne nova cum Scotistis controversia oriatur. Illi enim, etsi Deum ubique præsentem esse, nedum virtute, sed etiam substantia fatentur, contendunt tamen, hoc fidei dogma non satis allata S. Thomæ ratione probari. Obiter nihilominus notamus, hanc S. Thomæ rationem cum ex laud. superius Apostoli Pauli testimonio Actor. XVII. tum ex pluribus sanctis Patribus desumtam esse. S. Basilius Lib. V. *adv. Eunomium* ex quo divina virtus sit in immensum diffusa, etiam substantiam Dei immensam esse colligit, *cum in simplici, & corporis experte natura eadem sit ratio substantiæ, & actionis*. S. Anselmus de *Incarn.* c. 4. *idem est*, inquit, *esse Dei, & potestas ejus; sicut itaque potestas Dei est semper, & ubique, ita quidquid est Deus ubique, & semper est*. Eodem argumento usus est Anastasius Sinaita Patriarcha Antioch. contra quosdam, qui Deum ubique esse operatione confitebantur, natura negabant. Atque ut ceteros omittam, Sanctus Damascenus Libro I. *de fide orthodoxa* capit. 13. *Deus*, inquit, *in loco esse dicitur, Deique appellatur locus, ubi ejus virtus, & operatio manifesta sunt*. Sed qui his controversiis delectantur, latina hæc disputata apud omnes fere Scholasticos invenient.

131. Antithesis autem, quæ ibi fit, ut S. Athanasius docet in fine *Orat. contra Sabellium*, ostendit excellentiam, & magnificentiam Dei habitantis in cœlo, & hominum humilitatem, qui in terris versantur; vel ut S. Jo. Chrysostomus exponit Hom. in Ps. CXII. 5., ut Judæorum animi assurgerent ad Deum colendum, qui in cœlis est, atque idola contemnerent, quæ in terris habitant.

132. Descendere autem dicitur Deus in terram *metaphorice*, non vere, & *proprie*. *Non loco movetur Deus*, inquit S. August. Lib. XVI. *de civit. Dei* c. 5., *qui semper ubique est totus, sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodammodo ejus ostendat*. Locus autem Apostoli *Ephes.* IV. significat Christi gloriam, qua ejus humilitas in cœlo, unde descenderat, coronata est.

133. Quod dicitur ab eodem Apostolo ad *Col.* II. de plenitudine divinitatis habitante in Christo, communiter a sanctis Patribus intelligitur de unione hypostatica divinæ, humanæque naturæ. *Tribus enim modis*, inquit S. Thomas hunc locum explicans in *Comment.* Lect. II., *est Deus in rebus. Unus est communis per potentiam, præsentiam, & essentiam. Alius per gratiam in Sanctis. Tertius modus est singularis in Christo per unionem* (scilicet hypostaticam,) *Corpus autem tres dimensiones habet. Et plenitudo divinitatis his modis in Christo superabundat; ideo corporaliter dicitur in eo esse*. Vide reliqua, quibus Angelicus mentem S. Pauli latius explicans alios etiam modos recenset, quibus Deus in diversis rebus diversimode inhabitare dicitur.

134. Ad tertium. Deus est in justis non solum ea ratione, qua est in aliis rebus omnibus, sed peculiariter etiam, gratia sua sanctificante. In peccatoribus autem, *ubi non est per gratiam*, inquit S. Gregorius Magnus Lib. I. *in Ezechielem Hom. VIII. adest per vindictam*; & S. Augustinus in epist. 187. cap. 5. *fatendum est*, inquit, *ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam*.

135. Ad postremum, dicitur Deus habitare in templis, non ratione suæ immensitatis, qua cœlum, & terram implet, sed peculiari præsentia, quia ibi veluti in propria domo cultum, honorem, & preces sibi exhiberi vult, ibique nostra vota excipit, atque exaudit.

136. Dices. Si Deus ubique esset, illud intelligi non posset, quod dicitur *Gen. III*, 8. de nostris protoparentibus, *cum audissent vocem Domini Dei deambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & uxor a facie Domini Dei* &c.: tum illud ibid. IV. 16. *egressusque Cain a facie Domini habitavit profugus* &c. cui simile est illud Jobi I. 12. *egressusque est Satan a facie Domini*; & Jonæ I. 3. *ut fugeret in Tharsis a facie Domini*. Rebecca etiam Genes. XXV. 22. dicitur *perrexisse*, ut *consuleret Dominum*; quod iter frustra instituisset, si Deus esset ubique. Et Jacob Patriarcha Gen. XXVIII. 16. dicebat: *vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*: ac demum Abraham, si Deum ubique esse credidisset, atque omnia nosse, eum non rogasset, ut si descendens in Sodomam quinquaginta justos invenisset, toti parceret civitati. Ita impius Spinoza in *Tract. theol. polit.* c. 2.

137. Resp. cum S. Jo. Damasceno Lib. I. *de fide orthod.* cap. 14., per faciem Dei quandoque in sacris litteris denotari ejusdem Dei *manifestationem, apparitionem, quia nostra ipsorum manifestatio per faciem fit*, unde facile est explicare eas Scripturæ sacræ phrases *abscondere se*, vel *egredi*, vel *descendere a facie Domini*: idest a loco, ubi Deus sub visibili forma se videndum præbuit. Ceterum neminem posse a facie Domini, hoc est a præsentia Dei recedere, luculenter declarat David dicens: *quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam?* Unde S. Gregorius magnus explicans illud Jobi *egressusque est Satan a facie Domini*: *quo igitur*, inquit Lib. II. *Moralium* cap. 8., *ab eo exitur, qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest?*

138. Neque nos movet subtilis observatio Spinozæ, frustra Adam quæsivisse latebras, si credidisset, Deum ubique esse. Adam enim in illa mentis perturbatione, conscientiæ remorsibus agitatus de Dei immensitate non cogitavit; quod in passionibus vehementibus sæpe contingit.

139. Rebecca autem vel ad domesticum sacrarium secessit, ut ibi a consortio hominum sejuncta ferventius Deum adoraret, vel, ut alii putant, perrexit ad consulendum Dominum, non per se ipsam, sed per aliquem Prophetam, Israelitarum more, qui describitur 1. *Regum IX.* 9., *olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: venite, & eamus ad videntem* (a).

140. Quod superest de Jacob, faciliorem habet explicationem, scilicet fuisse illum locum ex Dei apparitione peculiari sanctificatum. *Quomodo*, inquit S. Bernardus *Serm. IV. in Dedicat.*, *tantus*

(a) Quis hic Propheta fuerit, certo definiri nequit. Alii Melchisedechum, alii Abrahamum fuisse censent. Origenes Hom. XII. in Genesim de Rebecca loquens, *quo abiit?* inquit, *ex eo loco, in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum in quo erat? ... nonne ubique est Deus? nonne ipse dixit: cælum, & terram repleo, dicit Dominus? Absurdum est, si ita imperitam fuisse putemus Rebeccam, & indoctam, quæ in domo sapientis Abrahæ, sub viro eruditissimo Isaaco fuerat instituta, ut intra aliquem locum Dominum putaverit esse conclusum* &c. Cons. S. Augustinus Quæst. LXXII. in Genesim. Tomo III.

tus Patriarcha nescire potuerat, quod non esset locus, ubi non esset Deus? Et postea explicat S. Pater, quomodo Deus sit sua immensitate ubique, peculiariter verò sua majestate in templis.

141. Quæ postremo ex Genes. XVIII. objecta sunt, probant quidem, Deum misericordem paratum esse ad parcendum peccatoribus propter justos, non autem Deum ignorasse, quot essent Sodomæ justi, aut Abraham de hac Dei scientia, atque omnipræsentia dubitasse.

142. Dices adhuc. Deus in sacris litteris dicitur potius super omnes res, quam in omnibus rebus. Psal. CXII. 4. *excelsus super omnes gentes Dominus;* & Job. XI. *excelsior cœlo* &c.

143. Resp. cum S. Thoma I. P. quæst. 2. art. 1. ad 1. Deum esse super omnia per excellentiam suæ naturæ, esse tamen in omnibus rebus sua operatione, & essentia.

144. Ob. secundo. Sancti Patres Deum ubique esse docent, non essentia sua, sed virtute tantum. Nam primo Tatianus (*Orat. contra Græcos*) *Deus*, inquit, *est spiritus non insinuans se materiæ, sed spirituum materialium, & formarum in materia quasi opifex invisibilis*. Secundo Clemens Alexandrinus Lib. V. *Stromatum* Stoicos reprehendens, ait: *illi quidem dicunt, Deum universam pervadere essentiam, nos autem eum solum dicimus effectorem, & verbo effectorem*. Tertio Lactantius *de Opificio Dei* cap. 16. postquam dixisset, animum hominis esse in capite, sicut in arce locatum, subdit: *sicut ipse mundi Dominus, & rector in summo est;* qui hoc verbo Dei sedem in cœlo figere videtur. Quarto S. Augustinus Lib. 83. *quæstionum* quæst. 10. Deum *nuspiam* esse, dicit; sicuti antea S. Jo. Chrysostomus *Hom.* V. in ep. est ad Colossens., Deum *nullibi* esse, docuerat.

145. Resp. primæ, & secundæ difficultati, Tatianum, & Clementem Stoicos refutare, qui Deum instar animæ omnia pervadere sensu pantheistico delirabant; non autem negasse, Deum omnia pervadere virtute, & essentia sua, sensu a nobis explicato. Sane Clemens Alexandrinus Lib. II. *Stromatum* ita Dei immensitatem explicat: *Deus non est in caligine, aut in loco, sed supra locum, & tempus, & proprietatem eorum, quæ facta sunt; quare nunquam est in parte, nec ut continens, nec ut contentus, aut per circumscriptionem, aut perfectionem*.

146. Quantum ad Lactantium, putant aliqui, hunc inter ceteros non paucos ejus doctrinæ nævum esse. Vid. Petavius Lib. III. *de Deo* cap. 7. n. 6. Non desunt tamen, qui Lactantium ab hoc errore purgent, dicentes, eum non in propria, sed in aliena sententia fuisse locutum. Ita enim habet contextus: *Alii sedem ejus (animæ) in cerebro esse dixerunt .... sicut ipse mundi Dominus* &c.; atque addunt, Lactantium, nisi ita explicetur, intra paucas lineas sibi turpiter repugnare; ita enim ibidem subdit: *Divina mens Dei per universas mundi partes intenta discurrit, & omnia regit, & omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa*.

147. Quod postremo loco ex sanctis Augustino, & Chrysostomo objectum est, facilem habet solutionem; ut nempe intelligatur, Deum *nullibi*, aut *nuspiam esse*, corporea extensione, ut circumscribatur a loco, non autem *absolute;* alias laudati Patres Deum omnino tollerent. Eodemque sensu Dionysius, vulgo Areopagita *de Divin. nominibus* cap. 5. ait, *Deum non esse in aliqua eorum, quæ sunt*. Præclare pro more suo S. Thomas I. P. quæst. 8. art. 1. ad 2. simili difficultati occurrens inquit: *licet corporalia dicantur esse in aliquo, sicut in continente, tamen spiritualia continent ea, in quibus sunt, sicut animam continet corpus. Unde & Deus est in rebus, sicut continens res: tamen per quamdam similitudinem corporalium dicuntur omnia esse in Deo, in quantum continentur ab ipso*.

148. Ob. tertio. Absurdum, & indecorum est, Deum vel in sordibus, vel in peccatoribus, aut etiam in dæmonibus habitare; non enim est ulla *societas lucis ad tenebras*, ut dicitur 2. *Corinth. VI.* 14.

149. Resp., hanc objectionem ita levem visam fuisse Hugoni Victorino, ut eam nec responsione dignam judicaverit Lib. I. *de Sacram.* P. 3. cap. 17. Nec sordibus inquinatur Deus, neque a peccatoribus, vel dæmonibus aliquid mali contrahit, dum in illis tanquam in suis creaturis inhabitat. Sic etiam sol nullam contrahit maculam, dum radios suos ad immunda loca diffundit. Observat tamen S. Thomas I. P. quæst. 8. art. 1. ad 4., *absolute concedendum non esse, quod Deus sit in dæmonibus, sed cum hac additione, inquantum sunt res quædam. In rebus autem, quæ nominant naturam non deformatam, absolute dicendum est, Deum esse*.

150. Ob. quarto. Deus, utpote summopere simplex, & omnino indivisibilis, non potest esse in pluribus locis: sicuti unum indivisibile actionis, vel motus non potest esse in pluribus temporibus, vel spatiis.

151. Resp. hoc esse verum de indivisibili continui, non autem de infinita substantia spirituali, & indivisibili. *Indivisibile est duplex*, inquit S. Thomas in sæpius cit. qu. 8. art. 2. ad 2., *unum, quod est terminus continui, ut punctum in permanentibus, & momentum in successivis: & hujusmodi indivisibile in permanentibus, quia habet determinatum situm, non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis; & similiter indivisibile actionis, vel motus, quia habet determinatum ordinem in motu, vel actione, non potest esse in pluribus partibus temporis. Aliud autem indivisibile est extra totum genus continui, & hoc modo substantiæ incorporeæ, ut Deus, Angelus, & anima, dicuntur esse indivisibiles. Tale igitur indivisibile non ap-*

plicatur ad continuum, sicut aliquid ejus, sed inquantum contingit illud sua virtute: unde secundum quod virtus sua se potest extendere ad unum, vel multa, ad parvum, vel magnum, secundum hoc est in uno, vel pluribus locis, & in loco parvo, vel magno.

152. Ob. sexto. Si Deus omnia loca sua immensitate occupat, erit cum illis extensus; debet enim variis locorum partibus respondere: immo erit finitus, quia loca finita sunt, utrumque autem absurdum est.

153. Resp. cum S. Thoma in I. *Sentent.* dist. 37. quæst. 2. art. neg. maj.; *esse enim in aliquo loco diversimode convenit spiritualibus, & corporalibus; quia corpus in aliquo est ut contentum, sicut vinum in vase; sed spiritualis substantia est in aliquo, ut continens, & conservans.* Observat etiam idem Angelicus cit. quæst. 8. I. P. art. 2. ad 3., quod est totum in aliquo loco *totalitate quantitatis*, esse non posse extra locum illum, quia quantitas locati commensuratur quantitati loci; *sed totalitas essentiæ non commensuratur totalitati loci; unde non oportet, quod illud, quod est totum totalitate essentiæ in aliquo, nullo modo sit extra illud; sicut apparet in formis accidentalibus, quæ secundum accidens quantitatem habent; albedo enim est tota in qualibet parte superficiei, si accipiatur totalitas essentiæ.... Si autem accipiatur totalitas secundum quantitatem, quam habet per accidens, sic non est tota in qualibet parte superficiei. In substantiis autem incorporeis non est totalitas nec per se, nec per accidens, nisi secundum perfectam rationem essentiæ. Et ideo, sicut anima est tota in qualibet parte corporis, ita Deus totus est in omnibus, & singulis* (a).

154. Similiter etiam facile solvitur illa nonnullorum difficultas, quod Dei immensitas, seu ubiquitas deberet augeri in hypothesi, quod nova crearentur spatia; unde aliqua mutatio in Deo fieret. Respondeo enim, in hac hypothesi totam mutationem in spatiis creatis futuram, non autem in Dei immensitate, qua Deus ubique esset, sicut prius. Sicut nulla mutatio fieret in Dei virtute, quæ etiam in sententia adversariorum ad nova spatia extenderetur, sic pariter non augetur Dei dominium, cum novæ a nihilo extrahuntur creaturæ, quarum Deus est dominus. Id potest apta, ni fallor, similitudine explicari earum veritatum, quæ *æternæ* dicuntur, ut hæc, *totum est majus sua parte*; hæc enim veritas invenitur ubique locorum, in Asia non minus, quam in Europa, nec minus in cœlo, quam in terra. Est ubique eadem, ubique tota, & indivisibilis, non temporibus, aut locis coarctata, ac coextensa: & si tempora, aut spatia tollerentur, ipsa tamen non tolleretur, utpote quæ erat etiam ante tempus, & spatium. Ita Deus, qui est ipsa æterna veritas, semper fuit ubique, est, & erit; ubique totus, & indivisibilis; spatia omnia replet, sed iis non coextenditur; & spatiis sublatis, in seipso æternum subsisteret.

Quæres, ubinam Deus sit extra mundum? Anne in spatiis *imaginariis?*

155. Resp. Deum esse in seipso, quemadmodum erat, antequam mundum conderet. *Ante omnia*, inquit Tertullianus *contra Praxeam* c. 5. *Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia*. Et August. *in Psal. CXXII.* n. 4. proposita quæstione, *antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat?* respondet: *in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus*. Atque ut ceteros mittam, S. Bernardus Lib. V. *de considerat.* c. 6. *Quæris*, inquit, *si in ipso omnia, ipse ubi? nihil minus invenio.... Quæris, ubi non sit? ne hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quod nusquam sit, qui non excluditur loco; suo autem illo sublimi, atque incomprehensibili modo sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est.... Ubi erat, antequam mun-*

(a) Etiam S. Augustinus eodem fere modo hanc difficultatem expedit, Ep. 187. ad Dardanum c. 4. inquiens: *In eo ipso, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens a corporis sensu avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur (omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quam in tota); sed ita potius, sicuti est magna sapientia etiam in homine, cujus est corpus parvum.* Et infra n. 14. *Sic est Deus per cuncta diffusus .... non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo cœlo totus, & in sola terra totus, & nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus.* Ex hac doctrina liquet, quantum a vero aberraverit Bælius, dum T. III. suorum Operum P. 3. c. 15. quasi ex tripode suo more pronunciat, non posse Dei immensitatem cum ipsius simplicitate, atque immaterialitate componi. Putarunt aliqui Deum dici posse *extensum*, non obstante ejusdem simplicitate, quos ex principiis S. Thomæ refutavit Ant. Arnaldus in opere, cui titulus *Défense contre la reponse au livre des vraies, & fausses idées*. Reprehenditur etiam Henr. Morus, quod in *Enchiridio Metaph.*, cum sibi demonstrasse visus esset, existere spatium reale, æternum, immensum, inde colligat, hoc spatium esse ipsam Dei immensitatem: unde consequens esset, Deum simul cum spatio esse extensum. Hac de re fuit etiam acriter disputatum inter Sam. Clarckium, qui spatium infinitum admittens, ipsum ab infinita Dei immensitate non distinguebat, & Leibnitium, qui jure, meritoque hanc absurdam opinionem ex eo potissimum rejiciebat, quod Deo extensionem tribueret.

mundus fieret, ibi est. Non est, quod quæras ultra, ubi erat: præter ipsum, nihil erat: ergo in seipso erat.

156. Quæstionem, sit nec ne Deus in spatiis imaginariis, celebrem, & difficilem reddiderunt Scholasticorum argutæ subtilitates; in qua tamen, ut ego quidem puto, operæ pretium non est, multum studium, operamque ponere. Thomistæ, quibus bona, meliorque Theologorum pars hoc ævo consentit, docent, Deum *positive*, *& actu* minime esse in istis spatiis, quæ ultra universi confinia mens nostra imaginatur. Ratio hujus est, quia hujusmodi spatia nihil reipsa sunt, seu ut S. August. videtur innuere Lib. XI. *de Civ. Dei* c. 5. *inanes sunt hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum* (a).

CAPUT IV.

Breviter explicantur infinitas, æternitas, atque immutabilitas Dei.

157. Infinitas, seu, ut Græci dicunt, *ἀπειρία* quamvis ex vi nominis videatur esse attributum negativum, quo significetur carentia finis, seu termini, hoc tamen loco sumitur sensu *positivo*, & significat summam, & absolutam Dei perfectionem, quæ nullis limitibus circumscribitur, nempe illud attributum, quo Deus, ut verbis utar S. Maximi in c. 2. *de cœlesti hierarchia* S. Dionysii Areopagitæ, *nulli termino subjectus est, sed ipse terminus omnium extitit: & cuncta in seipso terminat, termino autem non est subjectus.*

158. Multipliciter autem Deus potest dici infinitus, nempe & secundum potentiam, unde attributum omnipotentiæ resultat, & secundum scientiam, unde dicitur omniscius, & secundum bonitatem &c. Sed hic magis proprie sumitur infinitas ipsius essentiæ, quæ cum simplicissima in se sit, infinitas tamen complectitur perfectiones: atque hoc sensu intelliguntur ea verba Psalmi CXLIV. 3. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Hæc enim magnitudo, quæ spiritualis est, non corporea, ut bene observat S. Thomas Lib. I. *Cont. Gent.* c. 43. *attenditur, quantum ad duo, scilicet quantum ad potentiam, & quantum ad propriæ naturæ bonitatem, sive completionem ... & sic relinquitur, res spirituales magnas dici secundum modum suæ completionis. Nam & Augustinus dicit Lib. VI. de Trin.* c. 9. *quod in his, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.*

159. Porro vel ipsa naturalis ratio luculenter evincit, Deum esse oportere in sua essentia perfectissimum, & infinitum; cum enim Deus sit *ens a se*, a nulla causa circumscribi potuit, ut certos perfectionis gradus haberet, majores non haberet: non a se, quia sibi non dedit esse, non ab alia causa, quia a nulla existendo dependet: debet ergo in se habere omnem plenitudinem entis. Audiatur S. Thomas laud. loco *Contr. Gent. Si alicujus esse sit finitum, oportet, quod limitetur esse illud per aliquid aliud, quod sit æqualiter causa illius esse, vel receptivum ejus. Sed esse divini non potest esse aliqua causa, quia ipse est necesse esse per se ipsum, nec esse ejus est receptivum, cum ipse sit suum esse: ergo esse suum est infinitum, & ipse infinitus* (b).

ÆTERNITAS DEI.

160. Pervulgata est illa æternitatis definitio, quam Boetius tradit Libro V. T. *de consolat. Philosophiæ* prosa 6. & Sanctus Thomas amplexus est I. P. qu. 10. art. 1. quod sit *interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Ad quam definitionem probe intelligendam observat Angelicus, *quod sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus, quod nihil aliud est, quam numerus motus secundum prius, ac posterius. Cum enim in quolibet motu sit successio, & una pars post alteram, ex hoc, quod numeramus prius, ac posterius in motu, apprehendimus tempus, quod nihil aliud est, quam numerus prioris, & posterioris in motu; in eo autem, quod caret motu, & semper eodem modo se habet, non est accipere prius, ac posterius. Sicut igitur ratio temporis consistit in numeratione prioris, & posterioris in motu, ita in apprehensione uniformitatis ejus, quod est omnino extra motum, consistit ratio æternitatis.*

161. Prosequitur Angelicus: *Item ea dicuntur tempore mensurari, quæ principium, & finem habent in tempore, ut dicitur in IV. Physic.; & hoc ideo, quia in omni eo, quod movetur, est accipere aliquod principium, & aliquem finem. Quod vero est omnino immutabile, sicut nec successionem, ita nec principium, aut finem*

(a) Pro sententia, quæ vult, Deum esse *positive* in spatiis imaginariis, videri possunt Theophilus Rainaudus *Theol. Natur.* disput. 7. Suarezius in *Metaphysica* Disput. 30. aliique non multi. Pro nostra præter omnes Thomistas Vid. Petavius Lib. III. *de Deo* c. 10. Lud. Thomassinus Lib. V. *de Deo* c. 4. & Ant. Arnaldus Epist. 8. & 9. ad P. Malebranchium Tomo XXXIX. Opp. Edit. Laus. ann. 1782.

(b) Ex his patet, quantum a vero aberraverit Hobbesius, dum in *Leviathan* P. 1. c. 3. aliisque suorum impiorum Operum locis veram, & absolutam infinitatem Deo denegat; quem absurdum ipsius errorem confutarunt præter alios Rad. Cudworthus in *systemate mundi intellectuali* cap. V. Sect. I. §. 23. Laur. Moshemius ibid. in notis, & Franc. Buddeus in Tract. *de Atheismo, & superstitione.*

nem habere potest. Sic ergo ex duobus notificatur æternitas. Primo ex hoc, quod id, quod est in æternitate, est interminabile, idest principio, & fine carens, ut terminus ad utrumque referatur. Secundo per hoc, quod ipsa æternitas successione caret tota simul existens. Quibus verbis nihil aptius dici potest, ad exponendum aliquo modo, quod mentem nostram superat, scilicet æternitatem.

162. Cum igitur dicimus, Deum esse æternum, concipimus eum sine ulla prorsus successione, aut mutatione. Cum enim, inquit Angelicus laud. qu. 10. art. 2., Deus sit maxime immutabilis, ei maxime convenit esse æternum. *Nec solum Deus est æternus, sed est sua æternitas, cui tamen nulla alia res sit sua duratio, quia non est suum esse, Deus autem est suum esse uniforme; unde sicuti est sua essentia, ita sua æternitas.*

163. Cum hæc difficilia captu sint, quia remota sunt e communibus ideis aliarum rerum; hinc nonnulli æternitatem nihil aliud esse voluerunt, quam durationem successivam, seu tempus infinitum, vel infinitam momentorum sibi succedentium seriem. Sed hæc æternitatis explicatio, quæ clarior primo adspectu videtur, multis, magnisque est obnoxia difficultatibus. Si enim hoc esset, jam modo infinita effluxissent sæcula, & multo plores anni, dies, horæ, & momenta: quibus cum nova semper addantur, infinita posset fieri additio; quæ omnia ideæ infiniti repugnant. Ulterius fingi nequit, usque ad præsens infinita effluxisse momenta, quin etiam fingamus, æternitatem, quæ *a parte ante*, ut dici solet, jam præcessit, finem habuisse, quod est impossibile; quemadmodum impossibile est, æternitatem, quæ dicitur *a parte post*, ita evolvi, ut ultimum ejus momentum adveniat. Impossibile est pariter æternitatem concipere, quæ modo incipiat; cum æternitas ex suo conceptu, sicuti finem, ita principium excludat. Restat igitur, ut primæ, communique æternitatis notioni adhæreamus, utut obscura sit, & intellectu difficilis. Quis enim in rebus hujusmodi claras, distinctasque ideas requirat (*a*)?

164. Jam vero Deum esse æternum, hoc est semper fuisse, semper esse, semperque futurum, nemo est, qui dubitet. Athei ipsi, qui Deum tollere vano conatu nituntur, aliquid ab æterno fuisse concedunt: vident enim, mundum modo existere non posse, si nihil omnino aliquando fuisset.

165. Sed nec ullum dubium esse debet veram æternitatem uni Deo convenire; solus enim principio, & fine caret; creaturæ autem, etiamsi æternum sint duraturæ, quia tamen principium habuerunt, proprie æternæ dici non possunt, nisi æternitate quadam *participata*, ut loquitur S. Thomas in art. 5. Quamobrem S. Augustinus Tract. XXIII. in Joannem explicans ea verba Apostoli 1. ad Timoth. VI. 16.: *qui solus habet immortalitatem, solus*, inquit, *habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem*.

166. Hinc patet, eos vehementer errasse, qui materiam æternam, Deoque coævam, atque increatam commenti sunt, quemadmodum deliravit Hermogenes, confutatus a Tertulliano Lib. adv. ipsum conscripto. Sed & Manichæi, aliique plures Hæretici, atque etiam ethnici Philosophi in hanc amentiam delapsi sunt, partim ut mali originem invenirent, partim quia creationem ex nihilo animo informare non poterant.

167. Qui etiam spatium aliquid positivum, infinitum, increatum, atque æternum esse dixerunt, merito reprehenduntur, quod aliquod præter Deum æternum esse docuerint (*b*). Multo autem intolerabilius errant, qui mundum hunc, qualem intuemur, atque incolimus, æternum esse fabulati sunt; innumeris enim argumentis in falsum esse evincitur.

DEI IMMUTABILITAS.

168. Dei immutabilitatem mirifice prædicavit S. Jacobus in sua ep. cap. I. 17. de Deo inquiens: *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Sed & in Vet. Test. Num. XXIII. 19. dicitur: *non est Deus, quasi homo, ut mentiatur*, nec ut *filius hominis, ut mutetur*. Et Malachiæ III. 6. *Ego Dominus, & non mutor*.

169. Summam hanc Dei perfectionem tribus rationibus S. Thomas ostendit I. P. qu. art. 1. Prima hæc est: Deus est actus purissimus sine ulla potentiæ admixtione; omne autem, quod mutatur, est aliquo modo in potentia ad illud quod in mutatione acquirit. Secundo, omne quod mutatur, quantum ad aliquid manet; & movetur ad aliquid acquirendum, quod non habet: sicut paries manet quidem secundum substantiam, sed quantum ad colorem mutatur, puta dum ex albo fit ruber, aut niger: quamobrem in omni eo, quod mutatur, aliqua debet esse compositio, quæ Deo repugnat. Tertio omnis motatio fit per aliquam novæ formæ acquisitionem, vel amissionem; atqui nulla nova perfectio Deo accedere potest, & nulla demi, cum Deus sit omnium perfectionum infinita complexio: ergo &c.

170. Sequenti articulo S. Thomas probat, uni Deo summam immutabilitatem convenire. Nam omnis

(*a*) Socinus in *Prælect*. c. 8. ita confidenter statuit: *tempus æternum est, quidquid Theologi nostri contra disputent, semperque & fuit, & futurum est*. In eamdem sententiam Episcopius, Vorstius, Limborchius, aliique Arminiani descenderunt.

(*b*) Videri possunt P. Vinc. Thomas Moniglia *Diss. contro i Materialisti* Tomo II. Sez. I. & seq. Ant. Genuensis Elem. Metaph. P. I. prop. 86. Edit. Ven. 1751. Hooks *Religionis naturalis principia methodo scholastica digesta* P. I. Sect. 2. art. 2.

mnis creatura, quamtumvis perfecta, triplici mutationi obnoxia est: ac primo quidem mutabilis est, quantum ad esse, saltem ratione divinæ potentiæ, a qua in nihilum redigi potest, eo modo, quo fuit olim ex nihilo extracta. Secundo creaturæ sunt mutabiles, quantum ad finem, ad quem sunt ordinatæ, & a quo vel deficere possunt per se ipsas, si libero arbitrio polleant, vel a superiore agente detorqueri possunt. Demum creaturæ sunt mutabiles, quantum ad locum, & cetera alia accidentia.

171. Dei immutabilitatem soli fere Sociniani negarunt, putantes, posse Deum suà decreta mutare. Sed Petrus Jurius hunc eumdem errorem etiam in antiquis Patribus Ecclesiæ sibi adinvenisse visus est: quem pro meritis castigavit Bossuetus VI. *Avertissement aux Protestans* art. 2. Nonnullæ tamen hac in re difficultates sunt breviter explicandæ.

172. Et primo obstare videntur quædam scripturæ sacræ loca, quibus Deo tribuuntur pœnitentia, ira, tristitia, aliæque id genus homanæ affectiones, quæ sine mutatione intelligi nequeunt. Verumtamen hæc omnia metaphorice explicari debent ratione effectuum, non autem proprie, quasi reipsa, seu, ut Scholastici loquuntur, *subjective* in Deo sint.

173. Gravior videtor alia difficultas, quæ ex rerum creatione desumitur. Si enim ab æterno Deus mundum non condidit, necesse est, ut de non creante factus sit creator, quasi procedendo de potentia ad actum; quod sine mutatione intelligi nequit (*a*).

174. Verum præterquam quod, ut recte monet S. Augustinus, hanc eamdem difficultatem expendens Lib. XII. *de civit. Dei* cap. 17. *has argumentationes ... si ratio refutare non posset, fides irridere deberet*, haud difficile est intellectu, Deum creando mundo nullo modo fuisse mutatum; neque enim imaginari debemus, Deum aliquam aliam actionem creando exercuisse, quam actum suæ voluntatis: *Dixit & facta sunt* Psalmo 148. Hunc vero suæ voluntatis actum Deus habuit a tota æternitate; quamquam non voluit, ut mundus ab æterno existeret, sed in tempore, vel simul cum tempore: mundus itaque in tempore extitit, sed sine ulla Dei mutatione, quia Deus nihil de novo voluit, quod a tota æternitate non voluerit; & sic mundus mutatus est, quando ex nihilo repente productus fuit, non autem Deus. Deus, inquit laud. S. Pater, *una, eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse cœperunt*.

175. Idem porro dicendum de mysterio Incarnationis, in quo tota mutatio fuit in natura humana assumpta, nulla vero in Persona divina Verbi, cui nulla facta est perfectionis accessio, unde mutata dici possit.

DISSERTATIO III.

De visione Dei.

Quia in superioribus consideravimus, qualiter Deus sit secundum seipsum, restat considerandum, qualiter sit in cognitione nostra, id est, quomodo cognoscatur a creaturis. Ita S. Thomas exorditur Quæst. XII. primæ Partis *Summæ theol.* quæ est de visione Dei; cujus methodum etiam nos consectabimur. *Visionis* autem nomen, ut recte observavit idem Angelicus I. P. qu. 67. art. 1. *primo impositum est ad significandum actum sensus visus; sed propter dignitatem, & certitudinem hujus sensus extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum: dicimus enim, vide, quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum. Et ulterius etiam ad cognitionem intellectus, secundum illud Matth. V. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Similia habet S. Augustinus Lib. X. *Confess.* c. 35. Hoc breviter explicato faustissimam beatificæ visionis Dei materiam auspicamor.

CAPUT I.

Exploditur eorum error, qui naturali intellectus vi Deum videri posse dixerunt.

2. Triplex a Scholasticis distinguitur visio, scilicet *abstractiva*, quæ ex aliena specie oritur; ut cum ex cognitione effectus ad causæ cognitionem mens nostra assurgit: *intuitiva*, qua res in se, & per seipsam immediate cognoscitur; & *comprehensiva*, qua res cognoscitur, quantum in seipsa cognoscibilis est, ut nihil prorsus lateat videntem.

3. Deum cognosci posse in hac vita *abstractive*, atque eo magis, quo majori quis pollet intelligendi acumine, aperta res est, & ex superius disputatis luculenter colligitur. At sæc. IV. Aerius, ejusque discipulus Eunomius, atque utriusque asseclæ Anomæi (sic dicti, quia Filium Dei Patris ἀνόμοιον dissimilem esse blasphemabant) stultissima arrogantia Deum se clare, & aperte vi-

(*a*) Tantum fuit hujus difficultatis pondus, ut veteres non pauci hac potissimum de causa mundum ab æterno conditum esse putaverint, *ne videlicet*, ut S. Augustinus refert Lib. XII. *de Civit. Dei* c. 17. *si aliquando primum Dei opera cœpta dicuntur, priorem suam sine initio vacationem, eamqua inertem, ac desidiosam, & ideo sibi displicentem damnasse quodammodo, atque ob hoc mutasse credatur:* In hunc eumdem errorem lapsum fuisse Origenem, testis est Methodius apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 235. Immo eumdem aperte profitetur Origenes ipse Libro I. περὶ ἀρχῶν c. 2.

videre, immo ita perfecte comprehendere gloriabantur, ut nec Deus seipsum perfectius comprehendat. Mirabile certe videtur, potuisse tam absurdum errorem in animos hominum cadere; sed adhuc mirabilius, fuisse eum postea sæc. XIV. a Beguinis, & Beguardis iterum suscitatum (a).

4. Exploditur autem vanissima hæc præsumptio primo ex sacris litteris, quæ nonnisi imperfectam Dei cognitionem, scilicet *abstractivam* in hac mortali vita nobis concedunt. 1. Corint. XIII. 9. *Ex parte cognoscimus*, inquit Apostolus, *& ex parte prophetamus. Cum ergo venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Et iterum versu 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Item 1. ad Timoth. VI. 16. de Deo dicitur: *quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest:* nempe viribus suis. Quæ omnia stultitiam Anomæorum apertissime condemnant.

5. Accedit, in sacris paginis visionem Dei, in qua sita est Beatorum gloria, vita, & felicitas, vocari gratiam, & donum Dei peculiare, quod solis naturæ viribus obtineri nequit. Psalm. LXXXIII. 12. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Rom. VI. 23. *Gratia Dei vita æterna*, & Matth. XI. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

6. Exploditur secundo ex sanctis Patribus, qui data opera incredibile hoc Anomæorum delirium confutarunt. Inter hos autem potissimi sunt S. Epiphanius *Hæresi* LXVI. Sanct. Basilius ep. olim CLXVIII. nunc XVI. Sanct. Gregorius Nyss. Lib. XII. *adv. Eunonium*, S. Jo. Chrysostom. quam sæpissime, ac præcipue in Homiliis *de incomprehensibili*, Sanct. Ambrosius in Lucam c. 1. & S. Augustinus Lib. XIX. *de Civ. Dei* cap. 25. Immo S. Irenæus hunc errorem, antequam oriretur, aperte condemnavit Lib. V. c. 29. alias 37. & Clemens etiam Alexandrinus Lib. V. *Stromatum: Perspicuum est*, inquit, *nullum unquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* Ubi etiam Basilidem hæreticum reprehendit, qui *naturaliter* Deum sciri docebat.

7. Exploditur tertio auctoritate Concilii Viennensis in Gallia, in quo sub Clemente V. hic inter alios Beguinorum error proscriptus est anno 1311. *Quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum & eo beate fruendum.*

8. Exploditur demum ratione theologica. Nam Scriptura sacra, & sancti Patres perpetuo docent, nos pervenire ad Dei visionem non posse, nisi per bona opera salutaria: *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam* (in symbolo *Quicumque*): *& qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* Matth. X. 22.; atqui opera bona, salutaria, & quæ ad salutem perducunt, fieri non possunt solis naturæ viribus, & sine speciali gratia; quemadmodum contra Pelagianos, & Semipelagianos sæpius definivit Ecclesia: ergo &c. Hinc est, quod vita æterna, quæ in Dei visione sita est, vocatur ab Apostolo *gratia* Roman. VI. 23. *gratia Dei vita æterna*; quia, ut inquit S. Thomas Lib. III. *cont. Gent.* c. 52. *non est possibile ad eam pervenire, nisi divino munere; quæ autem sic adveniunt creaturæ, Dei gratiæ deputantur.* Unde Joann. XIV. 21. Christus Dominus ei, qui servat ipsius mandata, promittit sui visionem, dicens: *ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.*

9. Præterea ut S. Thomas ratiocinatur 1. 2. quæst. 5. artic. 5. *Videre Deum per essentiam est supra naturam non solum hominis, sed etiam omnis creaturæ; naturalis enim cognitio cujuslibet creaturæ est secundum modum substantiæ ejus, sicut de intelligentia dicitur in Lib. de causis, quod cognoscit ea, quæ sunt supra se, & ea, quæ sunt infra se, secundum modum substantiæ suæ: omnis autem cognitio, quæ est secundum modum substantiæ creatæ, deficit a visione divinæ essentiæ, quæ in infinitum excedit omnem substantiam creatam: unde nec homo, nec aliqua creatura potest consequi beatitudinem ultimam* (quæ est visio Dei) *per sua naturalia.* Quam rationem fusius exponit I. P. quæst. 12. art. 4.

10. Ob. primo. S. Augustinus docet, nonnisi peccatum esse causam, cur Deum non videamus: ait enim Lib. X. *de civit. Dei* c. 22. *Nonnisi peccatis homines separantur a Deo* (b): justi ergo nulla re impediuntur, quin naturaliter videant Deum. Unde etiam Matth. V. 8. dicitur: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

11. Resp. id esse verum, non quia peccata tollant naturalem vim cognoscendi Deum, sed quia nobis adimunt gratiam, qua sumus filii Dei adoptivi, & jus habemus ad Dei visionem, dicente Paulo Roman. VIII. 17. *Si autem filii, & hæredes*; nempe, ut idem S. Augustinus dicit Lib. XXI. *de Civ. Dei* cap. ult. *peccata impediunt perventionem ad regnum Dei*; ad quod sine dubio pervenient, qui sunt mundo corde, & Deum facie ad faciem videbunt, non viribus naturæ, sed viribus gratiæ, & lumine gloriæ confortati.

12.

(a) Id patet ex Lib. V. *Clementinarum* Tit. 3. c. *ad nostrum*. Videri etiam possunt Dupinius Siecle XIV. Car. du Plessis d'Argentré in *Collect. judiciorum de novis erroribus &c.* T. I. p. 276. Natal. Alex. in *Hist. Eccl.* Sæc. XIV. c. 3. art. 11. & Petrus Coens *de origine Beguardorum*.

(b) Nonnulli hunc S. Augustini locum ita legunt: *Solum peccatum in causa est, cur Deum non videamus.*

12. Illud autem, *beati mundo corde* &c. ita explicat idem S. Augustinus Lib. I. *de Trinit.* cap. 13. *Visio formæ Dei nonnisi mundis corde*,... *idest solis piis exhibetur*, *quorum dilectioni hoc ipsum promittit*, *quia seipsum ostendit illis*.

13. Obj. secundo. Si Dei cognitio naturaliter nobis in hac vita non inest, sequitur, nos Deum ignotum colere; atqui hæc erat Atheniensium superstitio, quam S. Paulus *Act. XVII.* reprehendit quod aram *ignoto Deo* erexissent. Immo etiam a Moyse Israelitis exprobratum fuisse legimus, quod immolassent *Diis*, *quos ignorabant*. Deut. XXXII. 17. ergo &c. (*a*).

14. Resp. nos colere Deum, nec omnino ignotum, nec omnino notum: *ex parte cognoscimus*, inquit Apostolus, *& ex parte prophetamus*. Cognoscimus, Deum existere, eumque esse unum, & multa insuper ejus attributa, cognitione abstractiva, & obscura; ignoramus ejus essentiam, quia lucem inhabitat inaccessibilem. Apostolus autem reprehendebat Athenienses vel quia, ut S. Joan. Chrysostomus credit Hom. XXXVIII. in hunc locum, cum omnes extraneos Deos recepissent, *timentes*, *ne forsan & alius quispiam esset*, *quem ignorarent*, *ipsis quidem nondum cognitus*, *qui tamen alibi colatur*, *propter majorem securitatem etiam illi altare erexerunt*; *& quoniam non erat manifestus Deus*, *inscriptum est*: *ignoto Deo*. Vel quia si verum Deum ignorantes colebant, ut multorum opinio est, in eo tamen reprehensibiles erant, quod una simul falsorum deorum simulacra venerarentur; & quia, ut S. Augustinus observat Lib. I. *contra Cresconium* cap. 29. T. IX. *verum Deum præter Ecclesiam ignoranter atque inutiliter colebant*; unde hoc illis Apostolus præstare cupiebat, ut eumdem verum Deum *in Ecclesia sapienter*, *& salubriter colerent* (*b*).

15. Moyses autem Israelitas recte objurgabat, quod immolaverint Diis alienis, quos antea ignorabant, cum essent unius veri Dei cultui addicti; unde subdit: *novi*, *recentesque venerunt*, *quos non coluerunt patres eorum*.

16. Instant hic acriter Anomæi. Dei natura est simplicissima; atqui rerum simplicium, teste Aristotile Lib. IX. *Metaph.* cap. 7. ea est conditio, ut vel totæ, & omnino sciantur, vel totæ ignorentur: ergo &c. Quod etiam manifesta ratio suadet; ideo enim res aliqua cognosci potest ex parte, & non omnino, quia composita cum sit, potest una pars latere, dum altera cognoscitur; id autem in re simplicissima, cujusmodi est Deus, locum habere nequit.

17. Resp. Dei naturam esse quidem in se simplicissimam, in ea tamen, prout a nobis cognoscitur, plures distingui conceptus, prout supra expositum fuit, ubi de distinctione divinorum attributorum egimus; quo fit, ut aliquas ejusdem Dei proprietates cognoscamus, alias ignoremus; & quas proprietates cognoscimus, imperfecte etiam cognoscamus, ut nunquam infinitam illam perfectionum plenitudinem possimus cogitando comprehendere. *Per effectus*, inquit Sanct. Thomas Lib. III. *cont. Gen.* c. 49. *de Deo cognoscimus*, *quia est*, *& quod causa aliorum est*, *& aliis supereminens*, *& ab omnibus remotus*, *& hoc est ultimum*, *& perfectissimum nostræ cognitionis in hac vita*: *unde Dionysius dicit de myst. Theol.* c. 1. *quod Deo quasi ignoto conjungimur*: *quod quidem contingit*, *dum de Deo*, *quid non sit cognoscimus*, *quid vero sit*, *penitus manet ignotum*, *unde & ad hujus sublimissimæ cognitionis ignorantiam demonstrandam de Moyse dicitur Exodi XX. quod accessit ad caliginem*, *in qua erat Deus*.

18. Ob. tertio. Quælibet facultas potest suis viribus id totum attingere, quod intra sphæram ejus objecti continetur; sic ex. gr. visus attingit omne coloratum, auris omnem sonum &c. atqui Deus continetur in sphæra objecti intellectus humani. Nam primo Deus est prima, & summa veritas, veritas autem est objectum nostri intellectus. Secundo, nisi Deus contineretur intra objectum intellectus, homo per gratiam, & lumen gloriæ elevari non posset ad Deum intuitive videndum; siquidem nulla potentia potest limites propriæ sphæræ prætergredi, ut auris nullo modo videre potest, nec oculus audire.

19. Resp. Disting. major. Si objectum sit ejusdem ordinis cum viribus, quas potentia habet, *conc.*; si potentiæ vires superet, *nego*. Duplex est modus cognoscendi Deum, scilicet naturalis, cognitione abstractiva ex creaturis hausta, & Deus hoc modo est objectum intellectus nostri; quamvis propter infinitam ejus distantiam nonnisi imperfectissime possit a nobis cognosci: sicuti objecta quælibet plene, & distincte videri nequeunt, cum nimis sunt ab oculis nostris remota. Alter mo-

Ego vero hæc verba invenire non potui.

(*a*) Lucanus L. II. apud S. Aug. Lib. I. *de Consensu Evangelistarum* c. 30. T. III. P. II. Judæos irridebat, quod Deum incertum, & ignotum colerent, inquiens: *& dedita sacri incerti Judæa Dei*; quia nempe, ut equidem puto, Deus Judæorum sine nomine erat; contra ac Dii Gentilium, quorum alius Jupiter, alius Saturnus &c. appellabatur.

(*b*) Non consentiunt Interpretes, tum veteres, tum recentiores, quis esset ignotus ille Deus Atheniensium. Doctissimus P. Thomas Maria Mamachius Tomo I. *Originum*, *& antiquitatum Christian.* Lib. II. c. 6. §. 11. in nota ad p. 329. multis gravibusque momentis probat, verum Deum fuisse, ubi etiam multos auctores de hac materia tractantes, solita sua eruditione recenset. Contra vero P. Aug. Calmet, illustris saer. liter. Commentator, in peculiari Diss. de *Epigraphe Aræ Atheniensis*, præmissa *Actibus Apostolorum*, postquam varias aliorum sententias attulisset, contendit, aram illam, non vero Deo cœli, sed alteri ignoto erectam fuisse.

modus cognoscendi Deum est prorsus supernaturalis, cum scilicet Deus non per creaturas, sed per seipsum sit intime præsens intellectui Beatorum; & Deus ita consideratus, est quidem objectum intellectus, sed altioris ordinis, cui proinde attingendo non sufficiunt illius nativæ vires, sed requiritur lumen gloriæ, quo supernaturaliter confortatus, par sit infinitæ illi lucis copiæ recipiendæ. Utroque autem modo dicitur Deus objectum *specificativum*, *adæquatum*, *terminativum* intellectus creati; quia utroque modo est a nobis intelligibilis, quamvis diversis auxiliis, & viribus. Rem ita esse Scriptura sacra, & traditione Sanct. Patrum demonstratum est, quod nobis abunde sufficere debet, licet fortasse id evidenti ratione ostendi nequeat, ut aliqui opinantur (a).

20. Ob. quarto. Potest quælibet creatura nativis suis viribus proprium finem assequi; atqui finis hominum est beatitudo, quæ in Dei visione posita est: ergo &c. Accedit, quod homo hanc beatitudinem in visione Dei intuitiva positam naturaliter appetit; unde etiam S. Thom. Lib. III. *cont. Gent.* cap. 50. docet, desiderium animæ separatæ videndi Deum non quiescere in cognitione, quam habet, abstractiva: frustra autem hoc ei esset desiderium ab auctore naturæ inditum, nisi visionem Dei naturaliter assequi posset.

21. Resp. hominem, prout a Deo in gratia creatus fuerat, utique potuisse proprium finem assequi, nempe beatitudinem, quæ in Dei visione est sita; sed peccando & jus, & vires amisisse hunc finem assequendi. Quanquam nec sola gratia habitualis sufficit ad Deum *intuitive* videndum, sed requiritur lumen gloriæ, quo intellectui justorum superadditur aliqua supernaturalis dispositio ipsum elevans ad essentiam Dei *intuitive* videndum; quod proximo cap. ostendetur.

22. Alterum sic solvit Angelicus in Lib. Boetii *de Trinit.* quæst. ult. *Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum, non potest tamen naturaliter ipsum consequi, sed solum per gratiam; & hoc est propter eminentiam illius finis.*

23. Neque vero quis opponat, hinc sequi, hominem esse deterioris conditionis, quam cetera animalia, si finem, ad quem naturaliter inclinatur, non potest suis viribus consequi. Huic enim objectioni ita occurrit Angelicus 1. 2. quæst. 5. art. 5. ad 2. *Nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi perfectum bonum, licet indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quam natura, quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licet ad consecutionem ejus non indigeat exteriori auxilio. Sicut melius est dispositus ad sanitatem, qui potest consequi perfectam sanitatem, licet hoc sit per auxilium medicinæ, quam qui solum potest consequi quandam imperfectam sanitatem sine medicinæ auxilio. Et ideo creatura rationalis, quæ potest consequi perfectum beatitudinis bonum, indigens ad hoc divino auxilio, est perfectior, quam creatura irrationalis, quæ hujusmodi boni non est capax, sed quoddam bonum imperfectum consequitur virtute suæ naturæ.*

24. Obj. ult. Sententia est S. Augustini, omnia a nobis cognosci, & videri in Deo, seu in ideis, vel rationibus æternis in mente Dei existentibus. *Si ambo*, inquit, Lib. II. *Confessionum* n. 35., *videmus verum esse, quod dicis, & ambo videmus verum esse, quod dico, ubi quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate* (b). At vero fieri nullatenus potest, ut omnia videamus in Deo, quin ipsum Deum clare videamus, adeoque &c.

25. Resp. cum S. Thoma I. quæst. 84. art. 5., du-

(a) Cl. P. Berti Libro III. *de theol. discipl.* cap. 1. num. 4. hanc rationem reddi posse autumat. Debemus, ait, objectum supernaturale metiri etiam ex spontanea, & nullatenus necessaria manifestatione sui ipsius: Deus autem pro libitu se manifestat, & abscondit; quamobrem licet sit objectum nostri intellectus, non sequitur, posse eum naturæ viribus a nobis cognosci. Quemadmodum licet secreta cordis sint objectum intellectus humani, & angelici, non sequitur tamen, ea ab homine, vel ab Angelo cognosci, quia in abscondito latent. Verum hæc ratio, quæ est etiam Scotistarum, id valet tantum, ut probet, Deum ab homine naturaliter non videri, non autem videri non posse, si Deus ipse se se ostendat, quod exemplum ipsum secretorum cordis satis declaret. Nos vero si aliquam hujus rei rationem afferre cogamur, ab Angelico Doctore nostro non recedemus, qui profunde pro more suo ita rem conficit Lib. III. *Cont. Gent.* c. 52. *Quidquid excedit limites alicujus naturæ, non potest sibi advenire, nisi per actionem alterius, sicut aqua non tendit sursum, nisi ab aliquo alio mota. Videre autem Dei substantiam, transcendit limites omnis naturæ creatæ; nam cuilibet naturæ intellectuali proprium est, ut intelligat secundum modum suæ substantiæ, substantia autem Divina non potest sic intelligi, ut supra c. 49. ostensum est: impossibile est igitur, pervenire ab aliquo intellectu creato ad visionem divinæ substantiæ, nisi per actionem Dei, qui omnem creaturam transcendit.* Et infra c. 54. hanc ipsam difficultatem solvens, *divina substantia*, inquit, *non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omnino extraneum ab ipso, sicuti est sonus a visu, vel substantia immaterialis a sensu (nam ipsa divina substantia est primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium); sed est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilium sunt extra facultatem sensuum; unde & Philosophus in II. Metaph. dicit, quod intellectus noster se habet ad verum manifestissime, sicut oculus noctuæ ad lucem solis: indiget igitur confortari intellectus creatus aliquo divino lumine ad hoc, quod divinam essentiam videre possit.* Consul. etiam I. P. Quæst. XII. art. 4., ubi profundiorem affert hujus rei rationem, & contraria argumenta dissolvit; item ratio superius n. 9. ex eodem S. Thoma allata.

(b) Hæc celebris est P. Malebranchii sententia, quam

duplicitier intelligi posse, nos omnia in rationibus æternis, & divinis videre „ uno modo, sicut a- „ liquis videt in speculo ea, quorum imagines in „ speculo resultant; & hoc modo anima in sta- „ tu præsentis vitæ non potest videre omnia in „ rationibus æternis, sed sic in rationibus æter- „ nis cognoscunt omnia Beati, qui Deum vident, „ & omnia in ipso. Alio modo, sicut in cogni- „ tionis principio, sicut si dicamus, quod in so- „ le videntur ea, quæ videntur per solem; & sic „ necesse est dicere, quod anima humana omnia „ cognoscit in rationibus æternis, per quarum „ participationem omnia cognoscimus. Ipsum e- „ nim lumen intellectuale, quod est in nobis, ni- „ hil est aliud, quam quædam participata simi- „ litudo luminis increati, in quo continentur ra- „ tiones æternæ; unde in Psalmo IV. dicitur: „ *multi dicunt, quis ostendit bona?* Cui quæ- „ stioni Psalmista respondet, dicens: *signatum* „ *est super nos lumen vultus tui, Domine*, qua- „ si dicat: per ipsam sigillationem divini lumi- „ nis in nobis omnia demonstrantur." Non esse autem S. Augustini mentem, quod omnia cognoscantur in rationibus æternis, vel in incommutabili veritate, quasi ipse Deus a nobis videatur, ex eo colligit S. Thomas, quod idem S. Augustinus Lib. *octuaginta trium quæstionum* quæst. 46. dicat: *rationalis anima, non omnis & quæcunque, sed quæ santa, & pura fuerit, asseritur illi visioni, scilicet rationum æternarum, esse idonea.* Vid. etiam quæst. 12. artic. 11. ad 5.

CAPUT II.

De lumine gloriæ ad beatam Dei visionem necessario.

26. Cum demonstratum sit, non posse intellectum nostrum nativa sua vi Deum videre, necessario consequitur, ad id opus esse supernaturali aliqua virtute, quæ a Theologis appellatur *lumen gloriæ*, cujus necessitatem etiam Concilium Viennense definivit. Vid. sup. num. 7.

27. Quamvis autem de hujus luminis necessitate ad Deum videndum nemo dubitet, uno forsasse excepto Durando in Lib. IV. *Sentent.* dist. 49. quæst. 2. n. 22., fœcundissima tamen nata est inter Scholasticos controversiarum veluti seges, ubi de illius natura disputatio instituitur. Has vero indicasse nobis sufficiat; nam, ut Petavius recte observat Lib. VII. *de Deo* cap. 8. omnia in opinione posita sunt, & nihil aliud apud antiquos expressum habetur, nisi quod vis quædam naturali superior, & auxilium divinum requiri dicitur, quo mens ad tantam contemplationem assurgere possit.

28. Principio Scotus in Lib. III. *Sentent.* dist. 5. negat, lumen gloriæ esse aliquid a caritate distinctum, quæ cum in homine viatore, & justo jam esset, in patria augetur actuali quodam, & extraordinario concursu. Quam sententiam ut probabiliorem amplectitur Vasquez in I. P. disp. 46. cap. 2.

29. Alii autem de schola Theologi novum quoddam auxilii genus a caritate distinctum ad Dei visionem necessarium esse arbitrantur; sed in eo determinando rursum dissentiunt. Nam Petavius Lib. VII. *de Deo* cap. 8. opinatur, auxilium istud esse ipsum Deum Beatis assistentem, Thomassinus autem Tom. I. *Theol. dogm.* Lib. VI. capit. 16., multis allatis Sanct. Patrum testimoniis, probare conatur, Spiritus S. personam specialiter Beatorum mentes illuminare ad videndam divinam essentiam. Ceteri fere omnes putant, lumen gloriæ esse qualitatem creatam, animæ per modum habitus inhærentem, quæ cum Beatorum mente ad Dei visionem instar principii interni concurrat.

30. Sed nova inter hos Scholasticos controversia oritur, num hæc qualitas permanens, atque intellectui inhærens per uberiorem, atque generalem concursum suppleri possit? Negat Thomistica schola gravibus momentis innixa.

31. Ac demum non defuere subtiliores Theologi, qui aliam quæstionem moverent, an lumen gloriæ naturale sit? *Quis tantas possit componere lites?*

32. Nos sancti nostri Præceptoris doctrina contenti erimus, qui omnibus his quæstionibus prætermissis, hoc unum demonstrat I. P. quæst. 12. art. 5., intellectum ad videndam Dei essentiam creato quodam lumine indigere. *Omne*, inquit, *quod elevatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam: sicut, si aer debeat accipere formam ignis, oportet, quod disponatur aliqua dispositione ad talem formam. Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc, quod elevetur in tantam sublimita-*

præcipue auctoritate S. Augustini communire nisus est Lib. III. *de inquirenda veritate;* cui tamen totus pene litterarius orbis se opposuit; & inter alios Ant. Arnaldus in opere, *de veris, & falsis ideis*, & longa facta est inter hos duos celebres viros serræ reciprocatio; quæ haud recte aliquibus *puerilis, & nugarum pugna* visa est Tomo I. *Menagiana* pag. 258., & Tomo II. pag. 389. De tota hac controversia videri potest Jac. Bruckerus in *Hist. de ideis* Sect. 3. Ceterum doctrina, pietate, ac purpura Cardinalitia eminentissimus Gerdil in *Defens. Sent. P. Malebranchii de natura, & origine idearum cont. Lockium* Tomo III. Operum Bononiæ 1787. Sect. 6. observat, ex Malebranchii Sententia, quod omnia a nobis videantur in Deo minime sequi, a nobis in hac vita mortali Dei essentiam videri.

tatem. *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut ostensum est, oportet, quod ex divina gratia super accrescat ei virtus intelligendi: & hoc augumentum virtutis intellectivæ, illuminationem intellectus vocamus, sicut & ipsum intelligibile vocatur lumen, vel lux; & istud est lumen, de quo dicitur Apoc. XXI. 21., quod claritas Dei illuminabit eam, scilicet societatem beatorum Deum videntium. Et secundum hoc lumen efficiuntur deiformes, idest Deo similes secundum illud 1. Joann. III. 2. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est.*

53. Duo etiam observanda sunt, quæ ibidem docet Angelicus ad 1. & 2.; primo *lumen creatum esse necessarium ad videndam Dei essentiam, non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quæ secundum se inintelligibilis est; sed ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum*. Secundo, *quod lumen illud non requiritur ad videndam Dei essentiam, quasi similitudo, in qua Deus videatur, sed quasi perfectio quædam intellectus, confortans ipsum ad videndum Deum; & ideo potest dici, quod non est medium, in quo Deus videatur, sed sub quo videtur; & hoc non tollit immediatam visionem Dei*. Consulantur etiam ea, quæ habet Angelicus Lib. III. *cont. Gent.* cap. 53. & 54.

CAPUT III.

An aliquibus in hac vita mortali ex singulari privilegio concessa fuerit visio Dei beatifica?

54. **N**emo dubitat, hoc singulare beneficium a Deo concedi potuisse. Insuper certum est, animam Christi a primo suæ creationis momento fuisse clara & intuitiva Dei visione beatam. Quæritur solum, an reipsa aliquibus sanctis fuerit hoc singulare privilegium brevi saltem temporis intervallo concessum?

55. Concessum fuisse Moysi in vet. T. satis aperte innuunt sacræ Litteræ *Num. XII.* ubi Deus dicit *si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses... ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Gemina habentur *Exodi XXXIII.* 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum:* quæ verba visionem intuitivam significare videntur, præcipue, si cum iis conferantur, quæ S. Paulus habet 1. Cor. XIII. 12. *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, ex quibus communiter Theologi intulerunt, Beatos in cælo visione intuitiva perfrui.

56. Simili fere fundamento idem privilegium asseritur S. Paulo, qui 2. Cor. XII. 3. hæc de seipso habet: *scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit), quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*.

57. Hanc sententiam tenet S. Thomas I. P. quæst. 12. art. 11. ad 2., & 2. 2. quæst. 175. art. 3. innixus potissimum auctoritati S. Augustini Lib. XII. *de Genesi ad litteram* cap. 26. & 27. tum epist. 147. cap. 15. Pro eadem etiam laudantur S. Basilius *Hom. I.* in *Hexæmeron*, Sanctus Ambrosius Lib. I. in *Hexæmeron*, Beda in cap. XII. epistol. 2. ad Corinth., Hugo Victorinus Quæst. XXXIV. in epistol. 2. ad Corinth., & alii, ita ut Tostatus Quæst. 17. in cap. XXXIII. Exodi, hanc esse dixerit *communem positionem omnium Doctorum catholicorum;* & certe talis erat ejus ævo; nam & Patres Synodi VII. eam habuisse videntur, ut communem, & certam, inquientes can. 1. *nam & Moyses, qui vidit Deum* &c.

58. Alii vero his duobus, Moysi scilicet, & Paulo etiam B. Mariam Virginem adjunxerunt, utpote quæ majoribus, quam ullus alius mortalium, fuit gratiis, & privilegiis exornata, tum postea Abrahamum, Isaiam, Eliam, Ezechielem, quin etiam sanctos aliquos novi Testam., ut Benedictum, & Franciscum, ejusdem privilegii consortes effecerunt.

59. Modo recentioribus bene multis contrariam opinionem arridere video, scilicet nemini prorsus mortalium in hac vita fuisse Dei essentiam clare & intuitive ostensam (*a*). Cl. P. Berti Lib. III. *de theol. discipl.* cap. 6. quæstionem hanc ἀδιάφορον esse putat, & in utramque partem academico more pertractat.

60. Difficile haud esset, veterem S. Thomæ, aliorumque bene multorum Sanct. Patrum, & Interpretum sententiam confirmare. Sed alia sunt magis necessaria, in quibus nostrum tempus, & studium utilius impendamus.

CAPUT IV.

Ostenditur, Beatos in patria Dei essentiam intuitive videre (*b*).

61. **P**rimo ex sacris litteris, & quidem nihil disertius iis Christi verbis Matt. XVIII. 10. *Angeli in cælis semper vident faciem Patris mei, qui*

(*a*) Videri possunt Petavius Lib. VII. *de Deo* cap. 12. Car. Witasse Quæst. XI. Sect. 9. Nic. l'Herminier, Tournellius, Juvenin, aliique, inter quos duo ceteroquin fideles S. Thomæ discipuli, Estius in I. Ep. XIII. 12., & in Lib. II. *Sent.*, Dist. 8. §. 10. ac Sylvius in I. P. Quæst. XII. art. 11.

(*b*) S. Gregorius Magnus Lib. XVIII. *Moralium* c. 28. refert, fuisse quosdam, *qui dicerent, Deum, et-*

qui in cœlis est. Si autem Angeli intuitiva Dei visione fruuntur, idem & de beatis hominibus dicendum est, quos similes Angelis futuros divina veritas testatur Matth. XXII. 30. *erunt sicut Angeli Dei in cœlo*. Præterea Apostolus 1. Corinth. XIII. 12. *Videmus*, ait, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*; quibus verbis Apostolus discrimen affert inter cognitionem Dei *abstractivam*, quam nunc habemus, & *intuitivam*, quam habituri sumus. Præterea, ut S. Augustinus epist. 147. cap. 8. & Lib. XXI. *de civit. Dei* cap. 29. interpretatur, videre faciem Dei, *est videre Deum, sicuti est*, nempe in sua essentia (*a*). Demum S. Joannes hanc veritatem expresse docet, tum in 1. epist. III. 2. inquiens: *scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*; tum in Apocal. cap. ult. 4. dicens de sanctis: *& videbunt faciem ejus*, scilicet Dei (*b*).

42. Ostenditur secundo ex Sanctis Patribus. Sanct. Irenæus Lib. IV. cap. 20. al. 37. nu. 5. *quemadmodum*, inquit, *videntes lumen intra lumen sunt, & claritatem ejus percipiunt, sic & qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas*. Et paulo infra: *Homines igitur videbunt Deum, ut vivant, per visionem immortales facti, & pertingentes usque ad Deum*. Et iterum: *quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Homo etenim a se non videt Deum: ille autem volens videtur ab hominibus, a quibus vult, & quando vult, & quemadmodum vult; potens est enim in omnibus Deus*. Ibidem etiam declarat, quomodo Deus incapabilis, & incomprehensibilis visibilem se, & comprehensibilem, & capabilem hominibus præstet.

43. Clemens Alexandrinus Lib. V. *Stromatum* inquit: *perspicuum est enim, nullum unquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint*.

44. S. Cyprianus epist. 58. *quæ erit gloria*, inquit, *& quanta lætitia, admitti, ut Deum videas, honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis, ac lucis æternæ gaudium capias, Abraham, & Isaac, & Jacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare, cum justis & Dei amicis in regno cœlorum, datæ immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* Plura alia similia habet in tractatu *de mortalitate*, ut ostendat, justos maxima affici debere consolatione, quando illis ex hac vita ad immortalitatis præmia migrandum est.

45. S. Gregorius Nazianz. Orat. X. in laudem fratris sui Cæsarii, *Sanctos*, ait, *post mortem non amplius per ænigmata, & speculum, sed pura mente puram veritatem intueri*. Et iterum Orat. XX. de S. Basilio, *eosdem sanctam, ac beatam Trinitatem videre purius, ac perfectius*, affirmat.

46. S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi VI.* exponens illa verba Joannis: *Deum nemo vidit unquam*, inquit, qui possint cum iis conciliari: *An-*

iam in illa regione beatitudinis, in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri. A Cardinali de Turrecremata Lib. IV. *de Ecclesia* c. 35. accusatur Almaricus, quod ineunte Sæc. XIII. hunc errorem suscitaverit; nonnulli tamen hanc accusationem suspectam habent. Vid. Edmundus Martene *Anecdot.* Tomo IV. p. 163. Bulæus *Hist. Acad. Paris.* Tomo III., & Dupinus *des Auteurs Eccl.* Sæc. XIII. Minime tamen dubium est, hunc eumdem errorem Sæc. XIV. maxime celebrem factum fuisse a Gregorio Palama, qui ex Monacho montis Athos Episcopus Thessalonicensis fuit, & ab aliis Monachis, qui ἡσυχασταὶ *Hesychastæ* dicti sunt a quiete animi, quam se habere præseferebant. Hi enim, ut gloriam cœlestem meditarentur, caput ad umbilicum demittebant, & oculos contorquentes, variosque motus suppresso spiritu edentes videre sibi videbantur cœlestem quamdam lucem, quam instar illius esse credebant, qua Christus in monte Thabor circumfulsus apparuit; immo ipsam Deitatis gloriam esse; nec aliud ab Angelis, & a beatis videri autumabant. Confer. Leo Allatius Lib. II. *de perpetua Consens. Ecclesiæ Occid., & Orient.* cap. 17. Hic error fuit in quatuor plane Conciliis Constantinopoli celebratis confirmatus, & Barlaamus Monachus Basilianus Calaber, qui ad Græcorum schisma deflexerat (post autem meliore consilio ad Ecclesiæ unitatem rediit) necnon Acyndinus, aliique pauci antiquæ veritatis defensores condemnati sunt. Inter hos fuit etiam vir doctissimus Dominicanæ Familiæ Manuel Calecas, cujus librum *de essentia, & operatione* contra Palamitas latine vertit, & publici juris fecit alter Dominicanus græcæ linguæ scientissimus Franc. Combefisius in *Auctario novissimo Bibliothecæ Patrum Græcorum*. Quos, & quantos hæc controversia excitaverit motus, videri potest apud elegantissimum Jo. Cantacuzenum Imperat. Lib. II. *Hist.* c. 39. qui tamen Palamitarum amicus, & Barlaamo infensus non ubique fidem meretur. Confer Alb. Fabricii *Bibliothecam græcam* Tom. X. A Græcis ad Armenos fuisse hanc falsam doctrinam diffusam, refert Richardus Radulphus Archiepiscopus Armacanus in Libro *de quatuordecim Quæst. Armen.* cap. 1.

(*a*) P. Isaac Berruyer *Hist. du peuple de Dieu*, P. 2. Tom. III. lib. 7. & Jo. Harduinus *Paraphr.* in hunc locum allata Christi verba ita explicant, quasi non de visione intuitiva dicta sint, sed solum significent, Angelos, extra tempus custodiæ hominum destinatos, adstare coram Deo, referentes ad eum causas, & res parvulorum, ita ut possint facile a Deo impetrare vindictam in eorum contemptores. At vero interpretes, & Sancti Patres magno consensu hunc locum semper intellexerunt de visione intuitiva. Alium etiam locum Apostoli 1. Corinth. XIII. Harduinus in alienum sensum detorquet, & ita fidenter pronunciat: *nihil hic tradit Apostolus de visione Dei intuitiva*.

(*b*) Harduinus primum Sanct. Joannis textum: *Sci-*

Angeli semper vident faciem Patris? & respondet, *videre Angelos Deum, non sicuti Deus est, sed quantum capere ipsi possunt*, videlicet *intuitive*, non *comprehensive*.

47. S. Hieronymus Lib. I. in Isaiam cap. 1. laudatus a S. Augustino epist. 147. cap. 2. *Homo*, inquit, *Dei faciem videre non potest* (oculo corporeo, vel in hac vita mortali, ut S. Augustinus interpretatur) *Angeli autem etiam minimorum in Ecclesia semper vident faciem Dei. Et nunc in speculo videmus in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in Angelos profecerimus, & potuerimus cum Apostolo dicere* 2. Corinth. III. 18. *nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu; licet faciem Dei juxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura* (nempe visione comprehensiva) *& tunc mente cernatur, quando invisibilis creditur*.

48. Porro hæc S. Hieronymi verba calculo suo probat S. August. c. 3. & ostendit, Deum oculis quidem corporeis invisibilem dici, *verum*, subdit, *quia nec ista testimonia falsa esse possunt Matth. V. 8.: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (a)*; &* 1. *Jo. III.* 2. *scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est, negare non possumus, filios Dei visuros Deum, sed sicut videntur invisibilia, sicut seipsum ostensurum promittebat, qui hominibus apparebat in carne visibilis, quando dicebat Jo. XIV.* 21.*, & ego diligam eum, & ostendam meipsum illi, cum ante oculos hominum conspicuus loqueretur*. Et alibi Lib. XXII. *de civ. Dei* c. 29. *præmium itaque fidei nobis visio ista servatur*.

49. Clarius Julianus Pomerius *de vita contemplativa* c. 15. beatificam visionem exponit, dicens: *tam rerum omnium notitia, quam ipsa Dei substantia plene & perfecte videbitur*.

50. S. Gregorius Magnus Lib. XXVIII. *Moralium* c. 28. postquam illorum opinionem exposuit, qui Deum dicebant, etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri, subdit: *quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit; atque enim simplici & incommutabili essentiæ aliud est claritas, & aliud natura, sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas, natura est*. Et Hom. XXI. in Ezechielem, explicans ea S. Joannis verba: *similes ei erimus* &c. inquit: *immutabimur quippe in ipso, quem videbimus, quia morte carebimus, videndo vitam; mutabilitatem nostram transcendemus, videndo immutabilitatem, corruptione nulla tenebimur, videndo incorruptionem*.

51. Agmen Sanct. Patrum claudat S. Bernardus, qui Serm. IV. in festo omnium Sanctorum, *tripliciter*, inquit, *in æterna illa, & perfecta beatitudine fruemur Deo: videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, & quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit, atque beatius, ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, & gloriam illam sine ullo ænigmate, mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna, ut cognoscamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum, sicuti est, idest non modo sicuti inest nobis, aut ceteris creaturis, sed sicuti est in semetipso* (b).

52. Neque vero aliquis reponat, sanctos Patres nonnunquam similes locutiones adhibuisse de hominibus, quibus certum est, nondum fuisse intuitivam visionem concessam; ut cum S. Augustinus Serm. II. in Psalm. LXX. num. 7. de Adamo dicit: *cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei*. (Vid. Lud. Thomassinus Lib. IV. *de Deo* cap. 7.)

53. Non inquam; perspicuum est enim, sanctos Patres loqui de visione Dei sub forma humana, in qua sæpius apparuisse Deum veteribus Patriarchis, multorum opinio est; ut magna eruditione Lud. Thomassinus ostendit Tom. II. *theol. dogm.* cap. 6. Quando autem iidem sancti Patres a Beatis in cælo degentibus Deum videri asserunt, ineptum esset, hoc intelligere de Deo sub aliena forma;

mus &c. refert tantummodo ad visionem corporis Christi. *Videbimus*, inquit ad hunc locum, *eum sicuti est, eum nempe, cui similes erimus, hoc est Christum .... Manifeste evincit, non de visione intuitiva ibi sermonem esse*. Alterum vero ita exponit: *videbunt faciem ejus, Deum benigne ipsos intuentem, sibi faventem conspicient, & quasi præsentem ad tutelam*, in adnot. Quæ Harduini interpretationes, si veræ essent, nullatenus posset hoc nostræ Religionis dogma, quod spei nostræ potissimum objectum constituit, ex Scripturis sacris demonstrari. P. autem Vasquez in I. P. S. Thomæ Disp. 37. cap. 2. & 3. probare nititur, S. Jo. Chrysostomum, ut declinaret extremum Anomæorum errorem, visionem intuitivam negasse, & c. 4. eumdem errorem negatæ visionis intuitivæ tribuit gravissimis Ecclesiæ Patribus cum latinis, cum græcis, Hieronymo, Primasio, Isidoro, Basilio, Epiphanio, duobus Cyrillis, Alexandrino, & Jerosolymitano, & multo magis Gregorio Nysseno, quos omnes, inquit, *si sincere loqui velimus, vix possumus in bonum sensum interpretari*. Etiam P. Garnerius, idem de Chrysostomo, & duobus Gregoriis scribit. Quæ si concedantur, quis non videt, quantum labefactetur etiam argumentum ex traditione depromptum?

(a) Hæc etiam verba Matth. V. *Beati* &c. Harduinus solita sua licentia a vero sensu detorquens, ita paraphrastice exponit: *quoniam ipsi Deum videbunt, sibi adjutorem, ac fautorem esse*.

(b) Attentis adeo perspicuis verbi divini tum scripti, tum traditi testimoniis, S. Thomas Quæst. VIII. *de verit.* art. 1. non dubitavit contrariam opinionem, erroneam, & *hæreticam* appellare, quamquam ipsius ætate nulla adhuc erat Ecclesiæ hac in re definitio.

ma; præcipue cum addant, Deum videri, prout est in se.

54. Post tam illustria sacr. litterarum, sanctorumque Patrum testimonia, jure meritoque Benedictus XII. (12. Febr. an. 1336. in sua constitutione, quæ incipit *Benedictus Deus*, definivit, animas a corpore separatas, quibus nihil luendum superest, ad locum beatitudinis perduci, ubi *divinam essentiam visione intuitiva, & etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare, & aperte eis ostendente vident*. Et postea Concilium Florentinum anno 1438. Sess. XXV. in decreto unionis cum Græcis definivit, animas justorum purgatas *in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius*.

55. Corollarium. Quandoquidem videtur Deus a beatis mentibus, non per aliquam speciem creatam, aut ejus imaginem, sed immediate per ipsius essentiam iisdem intime unitam, sequitur, ab iisdem etiam Deum possideri, nec videri, nisi habendo, & possidendo. Alia vero, quæ a nobis videntur per ipsorum imaginem nobis repræsentata, non possidentur. Unde liquet, quanto major sit futura nostra felicitas etiam ex modo videndi Deum, qui a modo videndi creaturas est omnino diversus.

56. Obj. primo. Ex quo in sacris litteris Beati dicantur videre Deum *facie ad faciem*, non colligitur, eos reipsa Dei essentiam *intuitive* videre. Etenim id ipsum de se dicebat Jacob *Genes.* XXXII. 30. *Vidi Deum facie ad faciem*, & de Moyse inquiebat Deus *Num.* XII. 8. *Ore ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*; atqui nemo putat, Jacob Deum *intuitive* vidisse; de Moyse autem res dubia est (sup. cap. III.): ergo &c.

57. Resp. discrimen esse primo de Jacob, quia ipsa sacra Scriptura nobis alibi declarat, eum, qui apparuit Jacob, non fuisse Deum, sed Angelum. Nam Oseæ XII. 3. de Jacob dicitur: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est*. Neque vero insolens est, ut Angeli in sacris litteris vocentur אלהים *Elohim*; *quomodo*, inquit S. Gregorius Magnus Præfat. in Job., Angelus, *qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur*; unde etiam in editione Sixtina positum fuerat: *vidi Dominum facie ad faciem* (a).

58. De Moyse vero in diversas sententias distrahuntur eruditi, ut supra vidimus c. III. Si iis consentiamus, qui magno cum fundamento putant, Moysem reipsa vidisse Deum, omnis sublata est difficultas. Sin vero contendas, Moysem non vidisse Deum, quia alibi illi dixerat Deus: *faciem meam non videbis*, tunc oportebit latiori sensu explicare illa verba: *ore ad os*, & non prout ab omnibus intelligitur illa Apostoli phrasis: *facie ad faciem*.

59. Inst. primo. Si allata Scripturæ sacræ testimonia non intelliguntur de visione intuitiva, quia alibi negatur, Jacobum, & Moysem vidisse Deum, pari ratione, quæ nos attulimus ad probandum, Beatos frui visione Dei intuitiva, minus proprie erunt intelligenda, quia alibi in sacris litteris Deus dicitur omnino invisibilis. *Jo.* I. 18. *Deum nemo vidit unquam*, I. Timoth. I. 17. *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo*. Ibid. VI. 16. de Deo dicitur: *qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*.

60. Resp. quatuor modis in sacra Scriptura Deum dici invisibilem, prout sancti Patres explicant. Primo oculis corporeis: secundo in statu præsentis vitæ: tertio attentis viribus naturæ solius: denique dicitur aliquando invisibilis, idest incomprehensibilis. His præmissis facile explicantur loca objecta; & quidem verba S. Joannis videntur referenda ad statum præsentis vitæ, in quo non nemini prorsus visio Dei intuitiva concessa est, ut multi opinantur; aut saltem non ita, ut aliquid de Deo nobis fuerit ab ipsis enarratum; quemadmodum *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit*. Alia duo testimonia ex epist. I. ad Timoth. significant, Deum videri non posse oculis corporeis, quibus certe *nemo Deum vidit, sed nec videre potest*. Vel id intelligitur attentis solis viribus naturæ, quod etiam Isaias dixerat cap. LXIV. 4. *oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*, Christus item Matth. XI. *neque*, ait, *Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare*. Vel demum hæc dicta sunt de hac vita mortali; unde S. Augustinus epist. 148. explicans ea verba: *Regi sæculorum &c. incorruptibili quidem*, ait, *in sæcula sæculorum; invisibili autem non in sæcula sæculorum, sed tantum in hoc sæculo*.

61. Inst. secundo S. Petrus in prima epist. I. 2. de Spirito Sancto sermonem habens, inquit: *in quem desiderant Angeli prospicere*; non autem desiderarent, si jam conspicerent; desiderium enim est *rei non habitæ*, ut loquitur S. Thom. qu. 8. de verit. art. 1.

62. Resp. primo, juxta fontem græcum non esse id dictum de Spirito Sancto, sed de mysteriis Christi immediate antea commemoratis, quæque post-

(a) Sunt tamen inter Ecclesiæ Patres, aliosque Interpretes, qui velint, secundam Trinitatis Personam Jacobo apparuisse. Ita S. Justinus in *Dialogo cum Tryphone*, Clemens Alexandr. Lib. I. *Pædagogi*, Tertullianus *contra Praxeam*, Hilarius Libr. IV. & V. *de Trinit*. Athanasius Orat. III. contra Arianos, Chrysostomus in cap. VII. Act. Apost. & Theodoretus Quæst. 92. in *Genesim*; atque inter recentiores P. Claudius Frassen nonnullis rationibus id confirmare nititur.

postea implenda erant, Evangelio propagato; neque legendum est *in quem*, *sed in quæ*, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι: *in quæ desiderant Angeli prospicere;* hoc est, quamvis Angeli, quæ futura sunt mysteria, non ignorent, eorum tamen complementum videre desiderant: qui sensus respondet iis, quæ antea S. Petrus dixerat vers. 10. de Prophetis, *qui de futura in nobis gratia prophetaverunt*.

63. Quod si eum nostra vulgata ea verba ad Sp. Sanctum sint referenda, tunc ita explicari debent, ut Angeli desiderent in eum prospicere, desiderio excludente solum fastidium, non autem excludente veram Dei visionem, quæ nimis aperte tribuitur Angelis Matth. XVIII. *Angeli eorum* &c. Id præclare explicat S. Gregor. Magnus Lib. XVIII. *Moralium* c. 29. inquiens: „ Considerandum nobis est, quoniam satietatem solet fastidium subsequi. Ut utraque sibi conveniant, dicat veritas, quia semper vident, dicat Petrus, quia semper videre desiderant. Ne enim in desiderio sit anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore; nam desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio; quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur ".

64. Inst. tertio. In sacris litteris non minus Deus dicitur *invisibilis*, quam dicatur *incomprehensibilis;* atqui Deus est incomprehensibilis in omni sensu: ergo etiam in omni sensu invisibilis.

65. Resp. vel ipsa humana ratione constare, Deum esse incomprehensibilem, ut infra declarabitur; contra vero se res habet de visione intuitiva, quam Verbum Dei cum scriptum, tum traditum Beatis concedit; neque eam impossibilem esse ratio humana demonstrat.

66. Obj. secundo. Sancti Patres bene multi ea sacræ Scripturæ loca, in quibus Deus dicitur invisibilis, sic exponunt, ut neque a Beatis in cœlo ulla ratione Deus in sua essentia videatur. Primo S. Ambrosius in cap. 1. Lucæ, *& quid*, inquit, *de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis cœlestibus virtutibus, & potestatibus legerimus, quia Deum nemo vidit unquam?* Et iterum *de Incarnatione* c. 5. explicans ea verba S. Jo. epist. 1. c. 1. *quod vidimus, & quod audivimus* &c. *Ille vidit*, inquit, *quod vidit, non utique divinitatem, quæ secundum naturam suam videri non potest*. Secundo S. Hieronym. apud S. August. epist. 148. al. 111. n. 7. „ Licet, *inquit*, faciem Domini juxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura, tamen tunc mente cernitur, quando invisibilis creditur. *Et iterum ibidem:* videre Deum, sicuti est, in natura sua oculus hominis non potest; non solum homo; nec Angeli, nec Throni, nec Potestates, nec Dominationes, nec omne nomen, quod nominatur. Neque enim creatura potest aspicere Creatorem suum ". Tertio S. Eucherius in Libro *de formis spiritualiter intelligendis: Deus*, inquit, *invisibilis est, quia in essentia sua videri omnino non potest, Apostolo testante, qui ait: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Denique Œcumenius, explicans ea verba epist. primæ S. Joannis: *similes ei erimus* &c. *videbimus*, inquit, *ipsum, sicuti est, non secundum naturam utique (id enim naturæ creatæ impossibile est) sed quid? Justum justi, & castum casti videbimus*.

67. Resp. ad primum, S. Ambrosium loqui de visione comprehensiva, ut satis ipse declarat, e vestigio subdens: *ideo Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo mente, aut oculis comprehendit*. Alio vero in loco loquitur de visu corporeo, quo certe Joannes non viderat Christi divinitatem, sed duntaxat ejus opera, virtutes, & miracula.

68. Ad secundum. S. Hieronym. negat, Deum videri posse oculis corporeis; unde S. Augustinus ipsum explicans, „ significavit, *inquit*, quando visus est ab hominibus per oculos corporis, tanquam ipse corporeus, non eum secundum naturæ suæ proprietatem fuisse visum, in qua tunc mente cernitur, quando invisibilis creditur. Quibus invisibilis, nisi aspectibus corporalibus, etiam cœlestibus, sicut supra de Angelis, & potestatibus, & dominationibus dixit, quanto magis terrestribus? Unde alio loco (*Lib. III. in Isaiam* c. 6.) evidentius dixit, non solum Patris divinitatem, sed nec Filii quidem, & Spiritus Sancti, quæ una in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos mentis, de quibus ipse Salvator ait: beati mundo corde &c. " Alium vero S. Hieronymi locum explicandum esse censemus de aspectu comprehensivo, quo certe creatura non potest aspicere creatorem suum.

69. Ad tertium: eodem modo Eucherii verba commode explicari poterunt de visione Dei comprehensiva; quamvis Petavius eum proxime accedere dicat Gennadio, quem nullo modo excusari posse opinatur, quod in Lib. *de ecclesiast. dogmat.* cap. 11. scripserit, *nihil incorporeum, & invisibile natura credendum esse, nisi solum Deum, & ideo invisibilem omnibus creaturis, quia incorporeus est*. Alii tamen etiam Gennadium explicant, quod solam corporalem oculorum visionem negaverit, non mentis.

70. Difficiliorem fortasse explicationem habent verba Œcumenii; sed ejus auctoritas non magni est ponderis, sicut nec aliorum recentium Græcorum, qui Palamitarum errori prælusisse videntur.

71. Obj. tertio auctoritatem plurium Sanct. Patrum, qui Deum in propria natura videri posse, aperte negant. Primo S. Basilius Lib. I. *contra Eunomium; soli Filio*, inquit, *cognitus est Pater, necnon Spiritui Sancto*. Secundo S. Gre-

gorius Nyssenus ejus frater Lib. XII. *adv. Eunomium*: *non est*, inquit, *in hominum natura vis ad accuratam perceptionem divinæ substantiæ; ac fortasse parum est istud de sola vi humana pronunciare; verum etiamsi quis naturam corporis expertem, inferiorem esse dicat, quam ut infinitam naturam capere, & complecti cognitione possit, non ille penitus aberrabit*. Tertio Titus Bostrensis, Scriptor IV. sæculi Lib. I. contra *Manichæos*: *videre*, inquit, *substantiam Dei neque nobis, neque Angelis licet. Siquidem nos, quamdiu corpus secundum naturam induti sumus, nec Angelos ipsos videre possumus. Manifestum est enim, planeque confessum, qui videt, simile sibi videre*. Quarto S. Isidorus Hispalensis Scriptor sæc. VII. c. 41. in *Exodum*: *Quid est*, inquit, *faciem meam videre non poteris? nisi quia quamvis usque ad paritatem Angelicam humana etiam post resurrectionem natura perferatur, & ad contemplandum Deum indefessa consurgat, videre tamen ejus essentiam plane non prævalet, quam nec ipsa perfectio Angelica in toto, vel integre attingit.... sola enim sibi integra nota est Trinitas, & humanitati susceptæ*. Quæ postrema verba indicant, ipsum minime loqui de visione comprehensiva, quæ humanitati Christi tribui nullatenus potest.

72. Resp. hæc & alia id genus Sanct. Patrum dicta intelligenda plerumque esse de visione comprehensiva, qua Deus *ex toto* videatur, & *prout est in se*; quæ certe visio intellectus cujuscumque creati vim, & capacitatem superat; non de visione solum intuitiva, quæ nos beatos tota æternitate efficiet. Certe primam solummodo ii potissimum Patres denegarunt, qui adversus stultam Anomæorum arrogantiam scribebant, ut præcipue S. Basilius, qui eam solum cognitionem Dei a Beatis excludit, quia divinæ Personæ seipsas cognoscunt, utique comprehensive: intuitivam autem Dei visionem & Angelis, & nobis aperte concedit, inquiens Conc. IX. in Psalm. XXXIII. *Angeli, propterea quod non habent tale operimentum nostræ carni simile, a nulla re impediuntur, quominus assidue intueantur faciem gloriæ Dei. Quare etiam nos, postquam facti fuerimus filii resurrectionis, cognitione faciei ad faciem digni judicabimur*.

73. Ad secundum. S. Gregorius Nyssenus Eunomii arrogantiam reprehendens de *accurata* solum agit *divinæ substantiæ perceptione*, *seu plena comprehensione*, *qua infinitam Dei naturam capere, & complecti cognitione quis possit*. Hanc nedum hominibus, verum etiam Angelis denegat. Visionem autem intuitivam aperte concedit in Pulcheriæ laudatione, dicens: *quam speciosus ille oculus, qui Deum videt!* Etiam in Orationibus de S. Meletio, de S. Ephrem, & de XL. Martyribus eadem fere habet.

74. Dices. Si S. Gregorius Nyssenus solam comprehensionem excluderet, se dubium minime ostenderet, an istius puri Spiritus capaces sint, dicens: *si quis naturam corporis expertem &c. non ille penitus aberrabit*. Quorum gemina habet alter Gregorius, Nazianzenus nempe, Orat. XXXIV. (in nova edit. XXVIII.) num. 4. inquiens: *Atque haud scio, an hoc quoque sublimioribus illis, & intelligentibus naturis denegatum sit: quæ quia Deo propius conjunctæ sunt, & toto illo splendore collustrantur, perspicuam fortasse notitiam habent, etsi non penitus, perfectiorem tamen, expressioremque nostra &c.* quibus verbis tribuit Angelis cognitionem Dei abstractivam, perfectiorem nostra; an autem etiam intuitiva illis concedatur, dubius hæret.

75. Resp. verba Sanct. Patrum non esse semper ad vivum resecanda, nec ad grammaticæ leges accuratissime exigenda. Particula illa *penitus* explicativo sensu, non diminutivo est hoc loco accipienda, quasi dixerit: non ille *certe* aberrabit. Similiter, quæ S. Gregorius Nazianzenus habet, per μεῖον, quæ est figura *imminutionis*, sunt intelligenda, ut nempe mitioribus verbis utens, plus significare voluerit. Hæc non raro occurrunt in lectione Sanct. Patrum; atque ad hanc rem exemplum suppeditabit S. Augustinus, qui postquam tam sæpe, & tam clare de visione Dei intuitiva locutus fuerat, in epist. tamen 147. ad Paulinam *de videndo Deo* cap. 9. hæc habet: *eo autem modo videtur, sicuti est, nunc fortasse videtur a quibusdam Angelis; a nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus æquales*. Ubi certe illa particula *fortasse* non est presse, proprieque accipienda.

76. Ad tertium. Similiter Titus Bostrensis visionem, quam negat Beatis, sumere videtur pro comprehensione; simplicem enim visionem intuitivam negare non potuit, posito illo suo principio: *qui videt, simile sibi videre*. Cum enim intellectus noster spiritualis sit, poterit utique ad Deum purissimum spiritum videndum superiori auxilio elevari.

77. Ad quartum. Verba ipsa Isidori Hispalensis satis indicant, loqui eum de visione *plena*, *in toto*, *& integre*, quæ est comprehensio. Quod postremo addit de Christi humanitate, emolliendum est, & cum S. Th. 3. P. q. 10. art. 1. ad 1. intelligi debet de excellentissima quadam cognitione, quæ cognitionem aliarum mentium creatarum admodum excedat, a perfecta tamen comprehensione longe deficiat, quæ soli Deo convenit, ut infra ostendemus.

78. Eadem ratione explicari poterunt nonnulla alia similia veterum Patrum testimonia (quæ Witassius collegit) & aptissimam similitudinem nobis suppeditat S. Epiphanius *Hæresi* LXX. n. 8. quomodo varia significatione vere dici possit, Deum a Beatis videri, & non videri. *Veluti*, inquit, *si quis per angustum foramen cœlum aspiciat, & dicat, video cœlum, non utique men-*

tietur; videt enim revera cœlum. Quod si quis acute ei dicat, non vidisti cœlum, neque iste mentietur.... quippe non vidit ejus exporrectionem, neque latitudinem... Utrumque ergo vere dicitur, & quod Deus videndus aliquando sit (scilicet intuitive), *& quod videri non possit* nempe comprehensive.

79. Dices. Nonnulli ex sanctis Patribus non alia ratione Deum ab Angelis videri potuisse censent, nisi quia carnem induit: putant ergo ipsum in natura sua invisibilem esse. Prob. ant. Primo Clemens Alexandr. Lib. III. *Hypotyposeon* (apud Œcumenium in 1. epist. ad Timoth. III.) *Invisibilem*, inquit, *divinitatis naturam illi quidem* (Angeli) *videbant: itaque incarnatam viderunt*. Secundo S. Athanasius *Orat.* IV. *contra Arianos* al. V. in fine, *Antea*, inquit, *ipsis etiam sanctis Virtutibus in cœlis erat invisibilis; nunc autem ob suam cum visibili homine conjunctionem visibilis est effectus: visibilis inquam, non invisibilis divinitate, sed ipsa divinitate per humanum corpus, totumque hominem agente*. Tertio S. Gregorius Nyssenus Hom. VIII. in Cantica *Quomodo*, inquit, *ii, qui ipsum orbem solis non possunt videre, per aquæ splendorem ipsum vident; ita illi* (amici sponsi, seu sancti in cœlo) *tanquam in mundo speculo in faciem Ecclesiæ intuentes justitiæ solem vident per id, quod apparet, intelligendum*.

80. Resp. quod ex Clementis *Hypotyposibus* Œcumenius affert, non multum habere ponderis; constat enim eruditis, opus illud fuisse ab hæreticis fœde interpolatum, quod etiam Photius subodoratus est in *Biblioth.* cod. CIX.

81. Sed præterea hæc omnia veterum Patrum dicta hoc sensu explicari debent, quod Angeli nonnulla mysteria divina post incarnationem cognoverint, quæ antea ignorabant. Ut enim docet S. Thomas I. P. qu. 57. art. 5. Angeli in Verbo cognoscunt quidem mysteria gratiæ, sed non omnia, nec æqualiter omnes; & quædam a principio suæ creationis agnoverunt, quædam autem postea. Mysterium vero Incarnationis aut omnino, aut aliqua saltem parte latuisse Angelos, antequam perageretur, plerisque Patribus visum est, præcipue autem S. Gregorio Nysseno, qui Hom. VIII. *in Cantica* nonnullis Scripturarum testimoniis suam sententiam confirmat. Consul. Estius in Lib. II. *Sentent.* Dist. XI. §. 5. & Lud. Thomassinus Lib. VI. *de Deo* c. 19.

82. S. Thomas mox laudatus in resp. ad 1. censet, omnibus quidem Angelis ab initio suæ beatitudinis mysterium Incarnationis fuisse revelatum, quantum ad ejus substantiam, non autem *quantum ad speciales conditiones*. Deus itaque dicitur a quibusdam sanctis Patribus factus visibilis per Incarnationem, etiam ipsis Angelis; non quantum ad essentiam, sed quantum ad aliqua mysteria, quæ antea vel nullatenus, vel saltem non ita perspicue cognoscebant. Addunt autem iidem Patres, ipsam divinitatem, seu essentiam esse invisibilem, seu incomprehensibilem.

83. Ceterum quid apertius pro adstruenda intuitiva Dei visione iis Sancti Gregorii Nysseni verbis Orat. VI. *de beatitudinibus*, quibus explicans illud Christi dictum: *beati mundo corde &c. Videre*, inquit, *in usu scripturæ idem significat, quod habere.... ergo qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur per hoc, quod vidit, adeptus est, vitam sine fine, æternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine.... omne denique bonum*.

84. Obj. quarto ex ratione. Potentia finita, cujusmodi est intellectus Beatorum, non potest attingere Deum infinitum. Primo quia inter potentiam, & objectum aliqua debet esse proportio, quæ inter infinitum, & finitum nec est, nec esse potest. Secundo quia objectum infinitum attingi nequit, nisi per actionem infinitam: actio enim speciem sumit ab objecto; sed intellectus creatus capax non est actionis infinitæ: ergo &c.

85. Resp. potentiam finitam non posse attingere objectum infinitum infinito modo, bene tamen modo finito. Et si hoc argumentum valeret, efficeret etiam, nullam omnino a nobis haberi posse Dei cognitionem, neque abstractivam; item infinitum nullo modo posse cognosci. Primæ autem probationi ita respondet S. Thom. I. P. qu. 12. art. 1. ad 4. *Proportio dicitur dupliciter; uno modo certa habitudo unius quantitatis ad alteram, secundum quod duplum, triplum, æquale sunt species proportionis; alio modo quælibet habitudo unius ad alterum proportio dicitur. Et sic potest esse proportio creaturæ ad Deum; inquantum se habet ad ipsum ut effectus ad causam, & ut potentia ad actum; & secundum hoc intellectus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum*.

86. Ad secundam probat. neg. major. Ad id autem, quod subditur, *actionem specificari ab objecto* resp. id verum esse, quantum ad aliqua, seu *secundum quid*, & ab objecto ea ratione, qua attingitur; non autem *absolute*, & *quantum ad omnia*; nam actio potissimam suam speciem desumit a suo principio; unde illud Philosophorum effatum: *modus agendi sequitur modum essendi*. Hinc, quia intellectus Beatorum finitus est, Deum finito modo videt, & non comprehendit.

87. Inst. Objectum supernaturale non potest attingi, nisi modo supernaturali: ergo etiam objectum infinitum non potest attingi, nisi modo infinito: adeoque &c.

88. Resp. dist. cons. si infinitum in tota sua immensa latitudine, & extensione cognosceretur, *conc.*; si dumtaxat ex parte, & finito modo cognoscatur, *nego*. Objectum supernaturale non potest attingi, nisi ut supernaturale, adeoque nonnisi modo supernaturali; sed Deus, quanquam sit infinitus, non cognoscitur tamen ut infinitus, seu in tota sui immensitate, quia comprehendi non po-

potest; adeoque necesse non est, ut modo infinito attingatur.

89. Obj. quinto. Magis distat intellectus Beatorum a Deo, quam facultas corporea ex. gr. sensus ab objecto spirituali, puta ab Angelo; atqui facultas corporea non potest attingere objectum spirituale, oculus ex. gr. videre Angelum: ergo &c.

90. Resp. dist. maj. Magis distat in entitate, *conc.*; in habitudine proportionis, *nego*. *Duplex est similitudo*, *& distantia*, inquit S. Thomas in IV. Lib. *Sentent.* dist. 49. qu. 2. art. 1. ad 7. *una secundum convenientiam in natura*, *& sic magis distat Deus ab intellectu creato*, *quam intelligibile creatum a sensu: alia secundum proportionalitatem; & sic est a converso*, *quia sensus non est proportionatus ad cognoscendum aliquod immateriale; sed intellectus est proportionatus ad cognoscendum quodcumque immateriale*: *& hæc similitudo requiritur ad cognitionem*, *non autem prima*; *quia constat*, *quod intellectus intelligens lapidem non est similis ei in naturali esse &c.*

91. Obj. sexto. Plus est videre Deum, quam omnes creaturas possibiles; atqui Beati non possunt videre omnes creaturas possibiles, ut Thomistæ docent: ergo multo minus possunt videre divinam essentiam.

92. Resp. dist. maj. quam omnes creaturas possibiles in ipso Deo, *nego*; extra Deum, si hoc fieri posset, *conc.* Non aliter possunt omnia possibilia cognosci, quam comprehendendo divinam omnipotentiam; quod cum impossibile sit, consequenter Thomistæ docent, non posse omnia possibilia cognosci. S. Thomas I. P. q. 12. art. 8. ad 3. simili argumento respondens, *licet majus sit*, inquit, *videre Deum*, *quam omnia alia; tamen magis est videre sic Deum*, *quod omnia in eo cognoscantur*, *quam videre sic ipsum*, *quod non omnia*, *sed pauciora*, *vel plura cognoscantur in eo*.

93. Obj. ultimo. Nulla potentia potest elevari, & extendi ultra latitudinem sui objecti specificativi; *ex. gr.* non potest oculus videre sonum &c. atqui objectum specificativum intellectus creati est ens creatum, & finitum, non ens increatum, & infinitum: ergo &c.

94. Resp. dist. maj. sui objecti, quod continetur in virtute tam activa, quam passiva, *conc.* in virtute solum activa, *nego*. Duplex est in intellectu potentia, alia activa, & naturalis, quia viribus suis, ut causa secunda, fertur in suum objectum; quod proinde objectum non potest esse, nisi verum creatum, & finitum. Alia autem est in eodem intellectu potentia passiva, quæ per lumen gloriæ elevari potest ad cognoscendum etiam verum supernaturale, increatum, & infinitum. Hujusmodi autem potentia passiva, seu capacitas non est in oculo respectu soni. Quanquam, ut verum fatear, piget in hujusmodi subtilitatibus scholasticis diutius immorari, a quibus certe sancta religionis nostræ dogmata nullatenus pendent. Ut enim sapienter monet S. Augustinus Lib. XII. *de civit. Dei* cap. 17. *vanas*, *& acutas Philosophorum ratiocinationes*, *si ratio refutare non potest*, *fides irridere debet*.

CAPUT V.

Vindicatur ab errore Palamitarum S. Jo. Chrysostomus. Quid nonnulli alii Patres græci in hac materia senserint? Quæstiunculæ quædam breviter resolvuntur.

95. Luculentissimis verbis S. Jo. Chrysostomus visionem Dei intuitivam, & beatificam Sanctis in cœlo concessit. Nam primo a Beatis Deum videri docet Hom. LXIX. ad pop. Antioch. *non per introitum*, *non per fidem*, *sed facie ad faciem*; at vero si Beati non viderent Deum intuitive, viderent utique *per introitum*, *& per fidem*. Deinde expendens illa verba Matth. XVII. *Bonum est nos hic esse*, *Quid dicetur*, inquit in epist. prima *ad Theodorum lapsum* Tom. I. p. 17., *quando ipsa veritas aderit? quando apertis regiis ædibus ipsum regem conspicere licebit*, *non ultra in ænigmate*, *neque per speculum*, *sed facie ad faciem*, *non ultra per fidem*, *sed per speciem?* Quæ repetit etiam in Hom. III. in epist. ad Philipp. Tom. II. pag. 216. Hæc autem verba plane decretoria sunt contra Palamitas; ipsi enim putant, nihil aliud a nobis visum iri in patria, quam lucem divinæ gloriæ, illi similem, quam viderunt Apostoli in monte Thabor: Chrysostomus autem docet, non jam umbram, sicut illic, sed ipsam rei veritatem conspiciendam esse, neque in ænigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem.

96. His adde, quæ habet in Homilia XII. de B. Philogonio Tom. I. pag. 494. ubi de sanctis in cœlo beatis inquit, *Deum*, *inquit*, *perpetuo vident; quatenus illum videre licet*, *non solum præsentem*, *verum suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœlum*; ubi distinguit visionem *præsentiæ*, seu intuitivam, a visione splendoris, & gloriæ.

97. Ob. S. Jo. Chrysostomus & sæpe, & sine ulla ambiguitate negat, Deum a Beatis, immo etiam ab Angelis in sua essentia videri. Nam explicans ea verba: *Deum nemo vidit unquam*, Hom. XV. in Joann. VIII. *ipsum*, inquit, *quod est Deus*, *non solum Prophetæ*, *sed nec Angeli viderunt*, *nec Archangeli: sed si eos percunctaberis*, *nihil ab iis de substantia Dei audies*, *sed tantum referentes: gloria in excelsis Deo*. Addit præterea de Deo: *ex quo carnem induit*, *tunc visus est ab Angelis*, *cum ipsis quoque invisibilis esset substantia; quid igitur ait* (Christus)? .... *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*.... *Quænam ergo hæc sententia est?*

quæ-

quæ & in hoc loco: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; nempe mentis intuitum, qui ad captum nostrum temperatus est, & notionem Dei, prout eam habere possumus. Quibus io verbis tria ad intuitivam visionem penitus explodendam continentur: primo Deum neque a Prophetis, neque ab Angelis, neque ab Archangelis videri: secundo tunc solum visum fuisse, quando carnem induit, scilicet in natura humana assumpta: demum celebre illud testimonium, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, exponit de quodam mentis intuitu ad captum nostrum temperato. Eademque sæpius repetit Chrysostomus Orat. I. III. & IV. περὶ ἀκαταλήπτου. *De incomprehensibili*.

98. Resp. cum S. Th. I. P. qu. 12. art. 1. ad 1., & aliis in locis, S. Jo. Chrysostomum non visionem Dei intuitivam, sed solum comprehensivam Beatis, & Angelis denegasse. Id pluribus argumentis evincimus. Primo in eadem Hom. XV. post verba nobis objecta explicare pergens textum S. Joannis *Deum nemo vidit unquam*, ita prosequitur: *Quid ergo? an omnes in ignorantia versamur? absit. Sed nimirum nemo novit, ut Filius .... notitiam hic accuratam intelligit, visionem, & comprehensionem, & tantam, quantam habet de Filio Pater: sicut enim cognoscit me Pater, inquit, & ego agnosco Patrem;* quibus verbis aperte liquet, solum excludi a Chrysostomo visionem comprehensivam. Secundo attendendus est etiam ipsius scopus, Anomæos scilicet stolidissimos, juxta ac arrogantissimos refellendi, qui eo dementiæ processerant, ut Deum se ex toto comprehendere jactarent. Tertio vel ipse titulus, quo Orationes illæ inscriptæ sunt, id confirmat, scilicet περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου, *de incomprehensibili*. Quarto quam sæpissime *comprehensionis*, & *incomprehensibilitatis* nomina usurpat. Quinto etiam cum *visionis* nomen adhibet, luculenter indicat, se *comprehensionem* intelligere, cujusmodi est *notitia accurata*, & *tanta*, *quantam habet de Filio Pater*. Demum S. Doctor visionem intuitivam aliis in locis manifeste admittit.

99. Patet igitur primo, quo sensu S. Doctor Deum appellaverit ἀνεξιχνίαστον, ἀνεξερεύνητον, ἀόρατον, ἀκατάληπτον, *impervestigabilem*, *inscrutabilem*, *invisibilem*, *imperceptibilem*, non *adspectabilem*, scilicet *incomprehensibilem*: secundo quare dicat ab Angelis fuisse visum post Incarnationem, nempe per comprehensionem humanæ naturæ assumptæ; vel etiam quia omnia Incarnationis mysteria non fuerant ipsis undequaque revelata, ut supra cum sanctis Patribus, & Angelico explicatum fuit num. 81., & seq.: tertio quid sit nos videre Deum *per mentis intuitum, qui ad captum nostrum temperatus est*; hoc est visione intuitiva quidem, sed finita pro modulo nostro, ac pro meritis nostris diversa.

100. Dices primo (cum P. Vasquez in I. P. disp. 37. capp. 2. & 3.), non ita stupidos fuisse Anomæos, ut sibi visionem Dei comprehensivam arrogarent; se enim pares fecissent Deo; non ergo S. Joannes Anomæos refellens de visione comprehensiva loquitur, sed de intuitiva, eamque Beatis denegat.

101. Resp., vehementer mirandum esse, inveniri potuisse Theologos, qui oe Anomæos tam stupidos fuisse, concederent, præclarissimum Ecclesiæ græcæ lumen intolerabilis erroris accusare maluerint. Atqui ita stupidos fuisse Anomæos adeo certis monumentis evincitur, ut nihil certius in historia desiderari possit. Primo S. ipse Jo. Chrysost. Hom. II. adv. Anomæos, *Ipsi*, inquit, *se ita nosse Deum asserunt, quemadmodum Deus se ipse novit ... Hæc eorum opinio orta est ex stoliditate, & inflatione mentis*. Secundo S. Epiphanius *Hæresi LXXVI.* de Aetio Eunomii magistro scribit, eum audacissime asserere, *se tam perfecte Deum nosse, quam seipsum*. Tertio idem testantur S. Basilius epist. XVI., S. Cyrillus Lib. XI. *Thesauri* cap. 1., Socrates Lib. IV. *Hist. Eccl.* cap. 7., ubi ipsa Eunomii verba affert, Theodoretus Lib. IV. *Hæret. fabul.* & alii multi; ac inter latinos S. Hieronymus in cap. XI. Matth. inquiens: *erubescat Eunomius, tantam notitiam Patris ac Filii*, quantam alteruter inter *se habent, jactitans se habere*. Mirum profecto est, tot, & tam clara Sanct. Patrum testimonia potuisse a P. Vasquezio ignorari, aut nihili fieri. Neque vero ullus illius conjecturis locus esse potest, ubi res tot gravissimis testibus fulcitur.

102. Inst. secundo. Chrys. de Angelis, atque Archangelis loquens *si eos percunctaberis*, inquit, *nihil ab eis de substantia Dei audies, sed tantum referentes, gloria in altissimis Deo, & in terra pax*; atqui si viderent Dei essentiam, possent utique aliqua de ea nobis enarrare: cum ad hoc minime requiratur visio comprehensiva: ergo &c.

103. Resp. dist. min. possent clare Dei essentiam nobis manifestare, ut Anomæi contendebant, *neg.*; aliter, *conc.* Chrysost. ad stultam Anomæorum præsumptionem compescendam ita fere colligebat: in scripturis sanctis non reperimus Angelos aliquid de Dei substantia loquentes, sed solum canentes: *gloria in excelsis Deo*: ergo mortalium omnium amentissimi sunt Anomæi, qui totam Dei substantiam se compertam habere inanissime jactant.

104. Inst. tertio. Orat. III. asserit, Beatos non videre sinceram Dei substantiam, sed tantum *condescensum, & indulgentiam. Deus*, inquit, *non ut est, se ostendit, sed ... condescendere illum tantisper dicimus, & ejusmodi rem condescensum nominamus, & indulgentiam*.

105. Resp., nomine *condescensus*, & *indulgentiæ* intelligi a Chrysostomo visionem intuitivam, prout a comprehensiva distinguitur, seu, ut ipse explicat, *quando non ut est, Deus apparet* (scilicet infinito modo) *sed ut capere potest is, cui videndi facultas fit; ita seipsum exhibet, pro* in-

intuentium imbecillitate, *visionis ostensionem exhibens*.

106. Inst. quarto. Condescensum hunc declarat esse visionem *ænigmaticam*; loquens enim de Isaia Hom. XV., inquit: *& cum Propheta vidisse se Dominum ait*, *non est suspicandum*, *illum ab eo visam esse substantiam*, *sed ipsam potius demissionem ejus*, *& accommodationem*, *& eum obscurius*, *quam cælestes illæ virtutes aspicerent*. Et alibi visionem concessam Isaiæ, Ezechieli, Danieli, Moysi, & Jacob, vocat eodem modo *attemperationem* συγκατάβασιν, quo visionem vocat Beatorum.

107. Resp. dist. Declarat, *condescensum* esse visionem *ænigmaticam*, semper, *nego*; aliquando, *conc.* Appellat *condescensum*, seu *demissionem* quamcumque visionem Dei, quæ comprehensiva non sit; sive postea intuitiva illa sit, ut in Beatis, sive abstractiva tantum, & ænigmatica, ut in Prophetis. Hinc a Propheta Isaia *obscurius* Deum visum fuisse, dicit, quam a cœlestibus virtutibus; immo in Lib. I. ad Theodorum lapsum de Beatis loquens, eos dicit, *apertis regiis ædibus ipsum regem conspicere non ultra in ænigmate*, *neque per speculum*, *sed facie ad faciem*.

109. Inst. quinto. Cognitionem Dei, quam habere possumus, vocat *imaginationem*; loquens enim de Angelis cit. Hom., *ipsos*, dicit, *per puram & vigilem naturam suam nihil aliud*, *quam Deum semper imaginari* τὸν Θεὸν φαντάζεσθαι: hæc autem imaginatio a visione intuitiva longe distat.

109. Resp. visionem intuitivam vocari *imaginationem*, non absolute, sed facta comparatione ad cognitionem comprehensivam, qua Deus seipsum videt. Sicut enim ad mentem ejusdem Chrysostomi eodem in loco homo comparatus Deo non est nisi umbra, quo sensu etiam dicit Psalmista Psalmo XXXVIII. 6. *substantia mea tamquam nihilum ante te*; ita etiam visio, quam mundis corde Deus promittit, *imaginatio* quædam est, sicum infinita divina cognitione confertur. Ceterum S. Pater a visionis nomine non abhorruit, ut patet ex locis supra allatis, aliisque quæ præsto essent, nisi brevitatem consectaremur. Consul. Nat. Alex. *Hist. Eccl.* Sec. IV. c. 6. art. 30.

110. Quæres primo, quid in hac materia de Theodoreto, ac nonnullis illis Patribus græcis sentiendum sit?

111. Resp. Theodoretus Cyri in Syria Episcopus, & insignis Sæc. V. Scriptor, qui, ut Natalis Alexander observat in *Hist. Eccl.* Sæc. V. cap. 4. art. 28. §. 1. num. 6., *in litterali sacræ Scripturæ sensu penetrando*, *& explicando nemini Patrum inferior est*, de negata intuitiva Dei visione non sine aliquo fundamento accusatur a multis, eo quod in Dialogo I., cui titulus ἄτρεπτος *immutabilis*, Deum invisibilem esse & hominibus, & Angelis luculenter docuerit, & illa verba apud S. Matthæum: *Angeli eorum* &c. explicaverit de specie quadam ipsorum naturæ accommodata eo modo, quo Patriarchæ, & Prophetæ vet. testamenti se Deum vidisse dixerunt. Putant tamen bene multi, commiter ejus verba intelligi posse de visione solum comprehensiva, sicuti de S. Jo. Chrysostomo dictum est (a).

112. S. Hieron. ep. 124. ad Avitum, & Epiphanius *Hæresi* LXIV. n. 4. inter alios Origenis errores hunc etiam recenset, quod in Lib. *de principiis* docuerit, *Deum Patrem per naturam invisibilem etiam a Filio non videri*, sed cum hic error modo in laud. libro non inveniatur, a Ruffino ejus interprete erasus creditur.

113. Præterea negatæ intuitivæ visionis a Petavio accusantur (Lib. VII. *de Deo* c. 6.) Theodorus Mopsuestenus, Basilius Seleuciensis, Anastasius Sinaita, auctor *Homiliæ de Sanctiss. Deipara*, quæ Athanasii nomine falso inscribitur, & Œcumenius.

114. Quæres secundo, an rationibus naturalibus ostendi queat, possibilem esse intuitivam visionem?

115. Resp. *duplex* esse demonstrationis genus distinguendum, alterum, quod *positivum* appellant Scholastici, quando argumentis certissimis aliquid evincitur; aliud *negativum*, quando ratione naturali omnia argumenta contraria dissolvi possunt, quamvis non possit pari jure veritas nostra demonstrari. Hoc secundo modo demonstrari posse visionem intuitivam, inficiatur nemo. Controversia solum est de primo demonstrationis genere; & major Theologorum pars negativam sententiam tuetur, contendens, probabiles solum rationes ad id afferri posse, cujusmodi sunt illæ, quæ a S. Thoma asseruntur I. P. quæst. 12. art. 1., & in Lib. IV. *Sentent.* dist. 12. quæst. 2. art. 1., ac denique Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 50. & seq. Vid. Card. Gotti *de Visione Dei* dubio III. §. 1.

116. Quæres tertio, an divina essentia per speciem aliquam impressam vel expressam videatur?

117. Resp., intellectum nostrum in hac mortali vita specie aliqua *impressa* indigere, ut intelligat, quæ scilicet vices gerat illius objecti, quo intelligi debet, & intime illi uniatur, cum objectum ipsum externum intellectui præsens esse per se non possit. Sed præterea quorumdam Philosophorum opinio fuit, aliam speciem ab intellectu in intelligendo produci, quam *expressam* vocabant,

(a) Theodoretum hujus erroris accusant Petavius Lib. VII. *de Deo* cap. 6., & P. Garnerius Dissert. III. *de fide Theodoreti* cap. 7., qui inquit, *Theodoretum secutum esse antiquorum Patrum Chrysostomi*, *& duorum Gregoriorum opinionem*, *ac negasse*, *a creata quacumque mente ipsam Dei essentiam videri posse*: *quare beatos homines*, *Angelosque divino quodam lumine intellectuali*, *quod videant*. Contra vero Theodoreti vindicias agunt Car. Witasse, Tournellius, Berti, l'Herminier, aliique.

bant, seu *verbum mentis*. Hanc ab intellectu produci dicebant, aliam ab objectis.

118. Jam vero S. Thomæ discipuli, paucis repugnantibus, pro certo habent, nullam speciem *impressam* esse in intellectu Beatorum Deum videntium. „ Per nullam similitudinem creatam, „ *inquit S. Thomas I. P. quæst.* 12. Dei es„ sentia videri potest; primo quia sicut dicit S. „ Dionysius (de div. nomin. *cap.* 1.) per si„ militudines inferioris ordinis rerum nullo modo „ superiora cognosci possunt; sicut per speciem „ corporis non potest cognosci essentia rei incor„ poreæ, multo igitur minus per speciem crea„ tam quamcumque essentia Dei videri potest. „ Secundo essentia Dei ipsum esse est; quod nul„ li formæ creatæ competere potest: non ergo „ potest aliqua creata forma esse similitudo re„ præsentans videnti Dei essentiam. Tertio quia „ divina essentia est aliquod incircumscriptum, „ continens in se supereminenter quidquid potest „ significari, vel intelligi ab intellectu creato: & „ hoc nullo modo per speciem creatam repræsen„ tari potest, quia omnis creata forma est deter„ minata secundum aliquam rationem vel sapien„ tiæ, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicujus „ hujusmodi: unde dicere, Deum per similitudi„ nem videri, est dicere divinam essentiam non „ videri. "

119. Non adeo facili negotio responderi potest de specie *expressa*, quæ ad mentem nostri Præceptoris admittenda videtur. Nam I. P. quæst. 27. art. 1. hoc statuit veluti generale principium: „ quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelli„ git, procedit aliquid intra ipsum, quod est con„ ceptio rei intellectæ ex vi intellectiva prove„ niens, & ex ejus notitia procedens. Quam qui„ dem conceptionem vox significat, & dicitur ver„ bum cordis. "

120. Non desunt tamen alii, etiam ex Thomistis, qui nullam speciem *expressam* in visione Dei beatifica produci putant: quomodo enim, inquiunt, incircumscripta divina essentia per actum intellectus creati exprimi poterit? Eadem ergo ratione impossibilem esse dicunt speciem expressam, qua impossibilem esse ostendimus speciem impressam. Sed hæc a Scholasticis, qui fusiori calamo ea persequi solent, quærito te, si lubet.

121. Quæres quarto, quid Beati videant in Deo?

122. Resp. primo, eos videre, ut Augustinus ait Lib. XI. *de civit. Dei* cap. 19., *Verbum, Patrem, & eorum Spiritum Sanctum, eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea Personas esse unam substantiam*.

123. Secundo in Deo vident etiam seipsos, & alias creaturas, præcipue autem *quæ ad ipsos spectant*, ut ostendit S. Thomas 3. P. quæst. 10. art. 2., & quidem ut Augustinus mox laudatus docet, *melius ibi, quam in seipsis; cognitio quippe creaturæ in seipsa*, dixerat ibid. cap. 7. *decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur*. Unde etiam cognitionem, qua Angeli (idem est de Beatis) creaturas in Deo vident, appellat *matutinam*, vel *diurnam;* aliam autem, qua easdem vident in seipsis, *vespertinam*, hoc est minus claram.

124. Tertio non tamen putandum est, a Beatis omnia omnino in Deo videri; ut enim docet S. Thomas I. P. quæst. 12. art. 8., „ ille intelle„ ctus potest in causa cognoscere omnes causæ ef„ fectus, & omnes rationes effectuum, qui cau„ sam totaliter comprehendit; nullus autem intel„ lectus creatus totaliter causam comprehendere „ potest: nullus igitur intellectus creatus videndo „ Deum potest cognoscere omnia, quæ Deus fa„ cit, vel potest facere ... Sed horum, quæ Deus „ facit, vel facere potest, tanto aliquis intellectus „ plura cognoscit, quanto perfectius Deum videt. „ *Et infra in resp. ad* 4. naturale desiderium „ rationalis creaturæ est, ad sciendum omnia il„ la, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, „ & hæc sunt species, & genera rerum, & ra„ tiones earum, quæ in Deo videbit quilibet vi„ dens essentiam divinam. Cognoscere autem alia „ singularia, & cogitata, & facta eorum, non est „ de perfectione intellectus creati, nec ad hoc e„ jus naturale desiderium tendit: nec iterum co„ gnoscere ea, quæ nondum sunt, sed fieri a „ Deo possunt. Si tamen solus Deus videretur, „ qui est fons, & principium totius esse, & ve„ ritatis, ita repleret naturale desiderium scien„ di, quod nihil aliud quæreretur, & beatus es„ set; unde dicit Augustinus Lib. V. Conf. cap. „ 4. infelix homo, qui scit omnia illa (*scilicet* „ *creaturas*), te autem nescit: beatus autem, „ qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui vero te, „ & illa novit, non propter illa beatior est, sed „ propter te solum beatus. *Consul. laud. Thomassinus Lib. VI.* de Deo *cap.* 17. "

CAPUT VI.

Ostenditur, Deum a Beatis minime comprehendi.

125. Comprehensio, seu ut Græci dicunt κατάληψις, varie a Scholasticis sumitur, ut Petavius ostendit Lib. VII. *de Deo* cap. 3. & 4.; sed quantum ad rem nostram attinet, comprehensio nihil est aliud, quam *plena, & ex toto rei alicujus cognitio*, ita ut non solum omnia accuratissime cognoscantur, sed etiam ita clare, & perspicue, ut clarius cognosci nequeant. Rem hanc nitide pro more suo exponit Angelicus I. P. quæst. 12. art. 7. inquiens: „ illud comprehenditur, quod perfecte cognosci„ tur; perfecte autem cognoscitur, quod tantum „ cognoscitur, quantum cognoscibile est: unde si „ id, quod est cognoscibile per scientiam demon„ strativam, opinione teneatur ex aliqua probabili „ ratione concepta, non comprehenditur: puta si „ hoc, quod est triangulum, habere tres angulos duo-

„ duobus rectis æquales, aliquis sciat per demonstrationem, comprehendit illud: si vero aliquis „ ejus opinionem accipiat probabiliter per hoc, „ quod a sapientibus, vel pluribus ita dicitur, „ non comprehendit ipsum, quia non pertingit ad „ illum perfectum cognitionis modum, quo cognoscibile est. “

126. Deum comprehendi posse, censuerunt superbissimi Anomæi, quos supra confutavimus. Præter eos autem fuere, qui saltem animæ Christi perfectam Deitatis comprehensionem tribuerunt (a). Contra quos Deus comprehendi non posse:

127. Prob. primo ex sac. litteris. Job. XI. 7. dicebat Sophar Naamathites: *forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum omnipotentem reperies; excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* Jeremiæ XXXII. dicitur Deus *magnus concilio, & incomprehensibilis cogitatu*. Roman. XI. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!*

128. Prob. secundo ex Conciliis; nam Synodus Lateranensis IV. sub Innocentio III. anno 1215. cap. *Firmiter* ab omnibus catholica fide credendum proposuit, *unum esse Deum, æternum, immensum, incomprehensibilem*. Et Concilium Basileense hanc Augustini de Roma propositionem damnavit: *anima Christi videt Deum tam clare, & intense, quantum, clare, & intense Deus videt seipsum* (b). Quam censuram approbavit Nicolaus V. Eugenii IV. successor, dum anno 1449. Concilium Basileense confirmavit, quantum ad censuras, & causas beneficiales. Si autem animæ Christi comprehensio divinitatis denegatur, quanto potiori jure deneganda erit Angelis, & Beatis?

129. Prob. tertio ex sanctis Patribus, quorum infinita fere testimonia in promptu essent; sed in re minime dubia paucis contenti erimus. S. Irenæus Lib. IV. cap. 19. *immensurabilis*, inquit, *in corde Deus, & incomprehensibilis in animo*. S. Augustinus serm. 117. *de verbis Domini* cap. 3. *attingere*, ait, *aliquantulum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile*. Et S. Gregorius Magnus explicans Jobi XI. superius allata, *excelsior itaque est cælo*, inquit, *quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant*. Chrysostomi autem, Ambrosii, utriusque Gregorii, Hieronymi, aliorumque Patrum testimonia superius allata sunt capp. IV. & V., qui tanta energia Anomæorum insaniam confutarunt, ut visi sunt Angelis, & Beatis nedum comprehensivam, sed etiam intuitivam visionem denegasse. Atque his perpensis Theologi bene multi hanc assertionem ad fidem pertinere arbitrantur (c).

130. Dices, hæc omnia Scripturarum, Conciliorum, sanctorumque Patrum testimonia commode posse eo sensu explicari, ut Deus dicatur incomprehensibilis tantum viribus naturæ; quemadmodum cum Deus invisibilis dicitur, id solum attentis naturæ viribus intelligi oportet.

131. Sed facile est, hanc evasionem præcludere; & primo quidem, quia sancti Patres superius allati, ut Anomæorum errorem veluti radicitus convellerent, aperte dicunt, nec Beatos in cælo, nec Angelos, nec Archangelos Deum comprehendere; qui omnes non viribus tantum naturæ pollent, sed supernaturali etiam lumine gloriæ confortati sunt. Secundo definitioni Concilii Basileensis nulla vi, ac nullis machinis explicatio illa adaptari potest, nisi dicamus, Ipsum non erroneam Augustini de Roma, sed fictitiam nescio quam opinionem damnare voluisse. Demum perpetuus & constans Theologorum consensus, qui iis testimoniis absolute Deum incomprehensibilem esse demonstrarunt, magnum etiam addit auctoritatis pondus.

132. Prob. demum ratione S. Thomæ, qui præmissa comprehensionis notione, ita ostendit, Deum a nullo intellectu creato posse comprehendi. „ Unumquodque sic cognoscibile est, secundum quod „ est ens actu: Deus igitur, cujus esse est infinitum, infinite cognoscibilis est; nullus autem „ intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere; intantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius, vel minus perfecte „ cognoscit, inquantum majori, vel minori lumine gloriæ perfunditur. Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum, impossibile „ est, quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat: unde impossibile est, quod „ Deum comprehendat. “

133.

(a) Ita Augustinus Favaroni de Roma Archiepiscopus Nazarenus, cujus error fuit in Concilio Basileensi proscriptus Sess. XXII. anno 1435. S. etiam Fulgentius accusatur a Petavio Lib. VII. *de Deo* cap. 4. n. 11., quod in respons. ad tertiam objectionem Ferrandi tribuerit animæ Christi plenam, & perfectam divinitatis cognitionem, & talem, quæ a nobis comprehensio appellatur.

(b) Non fuit tamen Augustinus ipse condemnatus, quia doctrinam suam, omniaque sua scripta judicio Concilii humiliter subjecerat, & in pace Ecclesiæ ann. 1443., vel 1445. magna pietatis fama obiit.

(c) Ita inter alios Dom. Soto in Lib. IV. *Sentent.* Dist. 49. quæst. 3. art. 1., Gaspar Juvenin Dist. 4. Quæst. 4. cap. 4. art. 1., & Petavius Lib. VII. *de Deo* cap. 9. n. 5. & 6. At vero Vasquezius in I. P. Disp. 52. cap. 2. attenta Scholasticorum dissensione in explicenda natura comprehensionis, putat, fidei quidem dogma esse, Deum a viatoribus comprehendi non posse, non autem fidei dogma esse, si de Beatis in cœlo sermo instituatur; & omnia sacr. Scripturarum, Sanctorumque Patrum loca, quæ a Theologis in hanc rem afferri solent, immo & decretum Concilii Lateran. variis responsionibus eludi posse, conatur ostendere. Sed hæc licentia si detur, verendum est, ne alia quoque religionis nostræ dogmata a Fidei regula deleantur.

133. Corollarium. Quatuor modis Deus incomprehensibilis dici potest, scilicet loco, tempore, intelligentia, amore. Loco, quia nullo spatio circumscribitur, aut concluditur tempore, quia æternus cum sit, omnia excedit tempora: intelligentia, quia nullus intellectus creatus potest eum, quantum cognoscibilis est, perfecte cognoscere: amore, quia nulla creatura potest eum tantum amare, quantum est amabilis. Primum convenit ei ratione suæ immensitatis; alterum ratione infinitatis; postremum ratione summæ bonitatis.

134. Obj. primo ex Scripturis sacris. Apostolus 1. Corinth. XIII. 12. inquit: *tunc cognoscam, sicut cognitus sum*: atqui Apostolus cognitus erat cognitione comprehensiva: ergo &c. Præterea in eadem epist. cap. IX. 24. idem Apostolus ita nos hortatur: *sic currite, ut comprehendatis*, & ad Philipp. III. 12. *sequor autem, si quo modo comprehendam*. Quamobrem usus etiam obtinuit, ut Beati *comprehensores* appellentur.

135. Resp. primæ difficultati, vocem illam *sicut* non designare comparationem perfectam & ex toto, sed imperfectam, immo quamlongissime distantem; nempe Apostolus visurum se Deum sperabat, non amplius per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem; non tamen comprehensive, cum hoc sit impossibile.

136. Secundæ, & tertiæ respondet Sanct. Thomas loco cit. ad 1., comprehensionem in his locis largius sumi, *secundum quod comprehensio insecutioni opponitur.... secundum illud Cantic. III. tenui eum, nec dimittam.... & hoc modo comprehensio est una ex tribus animæ, quæ respondet spei, sicut visio fidei, & fruitio charitati*.

137. Obj. secundo. S. Augustinus epistol. 147. cap. 9. ita comprehensionem definit: *totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt*; atqui ita videtur Deus a Beatis; cum enim sit simplicissimus, nullis constans partibus, omnique compositione carens, aut non videtur omnino, aut ita videtur, ut nihil videntem lateat.

138. Resp. cum S. Thoma art. 7. laud. ad 2. Deum totum videri a Beatis, sed non comprehendi, quia *non ita perfecte videtur, sicut visibilis est; sicut cum aliqua demonstrabilis propositio per aliquam probabilem rationem cognoscitur, non est aliquid ejus, quod non cognoscatur, non subjectum, non prædicatum, nec compositio, sed tota non ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibilis est*. Non dissimiliter quando corpus lente movetur, totum movetur, quia nulla est pars ejus, quæ non moveatur; non tamen ita movetur, sicuti moveri potest.

139. Inst. Ad comprehensionem non requiritur, ut res cognoscatur eo perfectissimo modo, quo cognosci potest, alias nihil posset comprehendi, nisi a Deo; cum nulla potentia cognoscitiva possit ad eum perfectissimum modum accedere, quo Deus res cognoscit: quamvis ergo &c.

140. Resp. non esse quidem necesse, ut res cognoscatur modo perfectissimo ex parte cognoscentis; oportere tamen, ut cognoscatur modo perfectissimo ex parte rei cognitæ; ita ut non possit ipsa clarius cognosci, ut in exemplis mox allatis declaratum est (*a*).

141. Obj. tertio. Deus ut comprehensibilis cadit sub objecto adæquato intellectus creati; Deum enim esse comprehensibilem, perfectio quædam est, quam Beati videntes Deum ignorare non possunt.

142. Resp. Beatos videre, Deum esse comprehensibilem a se ipso solo, non autem a creaturis, neque perfectio quædam esset; sed maxima imperfectio, si ab intellectu creato comprehendi posset.

143. Inst. Beati vident actum, quo Deus seipsum comprehendit, ergo &c.

144. Resp. Beatos videre actum &c., sed modo finito, seu quantum ad ipsius actus essentiam, non autem infinito modo; sicut etiam vident immensitatem, sed non immense; infinitatem, sed non infinite &c.

145. Obj. quarto. Persona divina Verbi est infinita, fuit tamen Christi humanitati, quæ finita est, hypostatice unita: ergo etiam &c.

146. Resp. Verbum fuisse humanitati conjunctum, sed modo finito, videlicet pro ejusdem humanitatis capacitate, quam ita replevit, ut eam infinito modo excederet.

CAPUT VII.

Ostenditur, Beatos inæqualiter Deum videre pro meritorum diversitate.

147. Jovinianus sæculi IV. hæreticus (*b*) Stoicorum philosophia deceptus, cum bona, tum mala hominum opera æqualia esse dicebat: unde con-

(*a*) Sylvius, & nonnulli alii hanc difficultatem eludunt dicentes, a Beatis videri quidem in Deo omnia prædicata formalia, seu totam ipsius naturam, ac proprietates omnes; non tamen prædicata virtualia, seu quæ eminenter in Deo, ejusque infinita potentia continentur. Adisis Petavium Lib. VII. *de Deo* cap. 3. & 4.

(*b*) Hic in Monasterio quodam Mediolanensi multos annos austerissimæ vitæ transegit, corpus duris laboribus exercens, nudis pedibus ambulans, soloque pane, & aqua pro victu contentus; post autem deserto Monasterio Romam venit, Siricio summo Pontifice circa annum 382., ibique mutata vivendi ratione ita voluptatibus indulgere cœpit, ut non immerito a S. Hieronymo appellatus fuerit Christianorum Epicurus. Videri possunt S. Ambrosius in Epist. 42. ad Siricium, & S. Hieronymus, qui ipsum duobus libris confutavit. S. autem Hieronymo ita scribebat S. Augustinus Epist. 167. cap. 2.: *hoc autem de paritate peccatorum soli Stoici ausi sunt disputare contra omnem sensum generis humani: quam eorum vanitatem in Joviniano illo,*

consequens erat, æquale etiam futurum in altera vita tam bonorum præmium, quam malorum supplicium. Etiam ex gratia baptismatis æqualem Dei visionem Beatis concessum iri colligebat; nam illi soli æternæ vitæ meritum tribuendum esse contendebat: eam autem esse in omnibus baptizatis æqualem.

148. Hunc eumdem errorem suscitare videntur ii Lutheri asseclæ, qui docent, non aliunde nos justos esse, quam ex sola imputatione justitiæ Christi, quæ omnibus æqualiter applicetur per fidem: inde enim consequitur, æqualem etiam omnibus gloriam, & visionem beatificam concedendam fore.

149. Catholici unanimi calculo, ut merita hominum, & demerita in hac vita inæqualia sunt, ita in altera vita præmium, & supplicium inæquale futurum esse pronunciant.

150. Sed cum sermo est de causa efficiente inæqualitatem visionis, inter se non leviter digladiamur. Thomistæ cum multis aliis ex diversitate luminis gloriæ hanc inæqualitatem oriri, arbitrantur. Scotistæ autem, quibus consentiunt Durandus, Joannes Major, & alii, inæqualitatem visionis, nedum a majori, vel minori luminis gloriæ effusione, sed etiam a majori, vel minori intellectus acie, & perspicacia oriri autumant: in qua Scholasticorum controversia nos pauca more nostro delibabimus, de catholico dogmate stabiliendo dumtaxat solliciti.

151. Quod dogma primo prob. ex sacris litteris. Joann. XIV. 2. dicit Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* quod non solum de numero, sed etiam de diversitate cœlestium mansionum intelligi debet. Et adhuc luculentius Apostolus Paulus 1. Corinth. XV. 41. *Alia claritas solis, alia claritas stellarum; stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Quæ duo testimonia simul colligens Tertullianus in *Scorpiace* cap. 6. inquiebat: *quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum? quomodo & stella a stella distabit, nisi pro diversitate radiorum?* Et S. Jo. Chrysostomus Hom. XLI. in primam epist. ad Corinth. *Quid ergo*, ait, *hinc discimus? quod etiamsi omnes sint in regno, non omnes tamen eadem consequentur, & iisdem fruentur: etiamsi omnes peccatores in gehenna, non omnes eadem sustinebunt.*

152. Si quis autem contendat, Apostolum loqui de inæquali gloria corporum in resurrectione, non admodum repugnabo: sed cum hæc nonnisi ab animæ gloria dimanet, si illa inæqualis est, etiam animæ gloriam, quæ a visione beatifica oritur, inæqualem esse consequitur.

153. Præterea idem Apostolus Roman. II. 6. de Deo dicit: *qui reddet unicuique secundum opera ejus*, & 1. Corinth. III. 8. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* & 2. ad Corinth. IX. 6. *qui parce seminat, parce & metet;* quæ sententia sæpius in S. litteris repetita aperte indicat, & varia esse, ac diversa hominum merita, & variam item futuram, atque diversam mercedem, scilicet Dei visionem.

154. Demum eadem debet esse ratio præmii, & pœnæ; atqui in sacris litteris diversum pro diversitate criminum futurum esse supplicium luculentissime traditur. Apocal. XVIII. 7. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* ergo &c.

155. Prob. secundo ex sanctis Patribus. S. Polycarpus (in Actis ejus Martyrii n. 10. apud Ruinart *Acta martyrum sincera*) in agone decertans: *merita mea*, inquiebat, *doloris æstimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam.*

156. S. Irenæus Lib. IV. cap. 13. n. 3. *Plus Deum diligamus*, ait; *quanto autem plus Deum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus.* Tertullianum, & Chrysostomum jam audivimus; Hieronymus autem duobus integris libris hunc, aliosque Joviniani errores confutavit. A ceteris recensendis supersedeo; res enim nimis aperta per se est.

157. Prob. tertio ex Conciliis. Joviniani enim errores primo a Siricio in Concilio Romano, deinde a S. Ambrosio in Synodo Mediolanensi damnati sunt. Post autem nostra catholica veritas in duobus œcumenicis Conciliis Florentino, & Tridentino solemniter definita fuit. Primum siquidem in *decreto unionis* statuit, *Sanctorum animas in cœlum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & unum, pro meritorum diversitate alium alio perfectius.* In Tridentino autem anathemate percellitur quicumque *dixerit, hominem justificatum non mereri gloriæ augmentum per bona opera sua* Sess. VI. can. 32.

158. Accedit & ratio theologica. Visio beatifica

qui in hac sententia Stoicus erat, in aucupandis autem, & difensandis voluptatibus Epicureus, de scripturis sanctis dilucidissime convicisti. Vid. etiam in Libro *de hæresibus* num. 82., S. Siricius R. P. in Concilio Rom. anno 390. Jovinianum condemnavit, ut patet ex Epist. ejusdem Siricii ad Ecclesiam Mediol. Tom. II. Operum S. Ambrosii pag. 965., idemque præstitit eodem anno S. Ambrosius in Synodo Mediolan.; ac demum piissimi Imperatores Theodosius, & Arcadius suis legibus hujus hæresiarchæ discipulos insectati sunt eos ad deserta loca relegantes. Honorius vero Theodosii filius Jovinianum plumbatis prius contusum anno 412. in Boam Dalmatiæ insulam amandavit, si vera est lex Codicis Theodosiani Lib. XVI. tit. 5. *de Hæreticis* pag. 174. Sed hac de re dubitandi fundamentum præbet S. Hieron. in Lib. adv. Vigilantium, asserens, Jovinianum ann. 400. obiisse; & ulterius lex illa Honorii Mediolani data legitur, cum tamen Honorius an. 412. Ravennæ degeret.

ea retribuenda est, ut bonorum operum merces, ac corona, dicente Apostolo 2. ad Timoth. IV. 7.: *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex:* atqui justorum merita inæqualia sunt, ut quisque Stoicorum præjudiciis minime excæcatus, facile videt: ergo &c.

159. Ob. primo. Palmare sui erroris fundamentum Jovinianus desumebat ex parabola Matth. XX., ubi Paterfamilias eamdem omnino mercedem operariis retribuit, quanquam alii summo mane, alii hora tertia, alii sexta, nona, & undecima in vineam ivérint, atque adeo alii plus, alii minus laboraverint; cumque hæc res primis indigna videretur, & murmurarent dicentes: *hi novissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus*, respondit Paterfamilias: *volo & huic novissimo dare, sicut & tibi; an non licet mihi, quod volo facere?* &c. Quo loco nihil apertius ad demonstrandum, futuram esse in cœlis parem gloriæ retributionem, quamvis inæqualia sint merita.

160. Resp. aut nomine denarii, quem singuli operarii vespere receperunt, non significari eamdem mercedem, quantum ad omnia; aut si omnino eadem merces significatur, merita operariorum, quanquam breviore, vel longiore tempore acquisita, fuisse aliis de causis æqualia. In hac parabola exponenda Patres, & Interpretes inter se non consentiunt. S. Thomas 1. 2. quæst. 5. art. 2. ad 1. censet, nomine denarii significari beatitudinem ex parte objecti; quæ eo sensu in omnibus æqualis erit, quia omnes eamdem Dei essentiam videbunt; vel etiam æqualis hæc beatitudo in omnibus erit, ratione durationis in æternum: erit tamen inæqualis, quantum ad intensionem, & claritatem. *Æqualem*, inquit S. Ambrosius Lib. VII. in Lucam ad cap. XV., *dignaris mercedem solvere, æqualem mercedem vitæ, non gloriæ*. Et S. Hieronymus Lib. II. contra Jovinianum *unus denarius*, ait, *non unum est præmium, sed una vita, & una de gehenna liberatio*. Sanctus Augustinus Tract. LXVII. in Joann. *quo utique denario*, inquit, *vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in cœlo mensura*.

161. Sed si quis contendat, nomine denarii eamdem mercedem intelligi, quantum ad omnia, ut S. Gregorius Nazianzenus Orat. XL. n. 20. hanc parabolam explicat, tunc dicendum est, eos operarios, qui postremi in vineam missi fuere, diligentia, & fervore merita priorum æquasse. *Isti*, inquit mox laud. S. Pater, *ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad voluntatis modum*.

162. Inst. Si alterutra responsio vera esset, debuisset Paterfamilias injusta querulorum murmura statim compescere, ostendens, vel paria fuisse omnium merita, vel imparibus meritis etiam inæqualem redditam fuisse mercedem; atqui ille nihil tale reposuit, sed ad liberam suam voluntatem, absolutumque dominium id retulit, dicens: *an non licet mihi, quod volo facere? &c.*: ergo &c.

163. Resp. non potuisse melius Patremfamilias operariorum querelas compescere, quam illis declarando supremam suam voluntatem. Reipsa hic erat illius parabolæ scopus, ostendendi scilicet supremum, absolutumque Dei dominium in nostræ salutis negotio. Quamquam enim Deus mercedem æternæ gloriæ diversam pro diversitate meritorum ex sua justitia rependat, absolute tamen id totum ex gratuita ejus bonitate dependet, qui arbitratu suo gratiam majorem, vel minorem ad majora, vel minora merita comparanda largitur. Si igitur Paterfamilias reposuisset conquerentibus, aut dispar fuisse præmium, aut æqualia in dispari tempore merita, potuisset adhuc querimoniæ restaurari de inæquali gratiæ distributione: propterea ad eorum os obstruendum Paterfamilias respondit: *an non licet mihi quod volo facere? &c. Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (a).

164. Ceterum parabolas non esse ad vivum resecandas, nec firmum ex eis posse argumentum desumi sæpius sancti Patres notarunt. S. Augustinus Lib. XXII. *contra Faustum* cap. 94. aptissima similitudine utens, *sicut in citharis*, inquit, *& hujusmodi organis musicis non quidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant, sed tantum chordæ ... ita & in his propheticis narrationibus &c.* Vid. etiam S. Irenæus Lib. II. cap. 27.

165. Ob. secundo. Visio Dei Beatos facit plene, & undequaque felices; atqui tales non essent, qui minus clare Deum viderent; clariorem enim appeterent visionem, aliisque inviderent felicioribus: ergo &c.

166. Resp. nisi essent Beati divinæ voluntati omnino conformes, conc.; secus nego. Unusquisque videt Deum pro sua capacitate, adeoque uniuscujusque desiderium erit perfecte satiatum; sicuti quamquam non omnes convivæ eamdem sumant cibi, potusque quantitatem, dum tamen quilibet pro suo desiderio comedit, & bibit, aliis non in-

(a) P. Vasquez in I. P. S. Thomæ Disp. 47. c. 4., Lyranus, & pauci alii putarunt, nomine denarii non æternum futuræ vitæ præmium significari, sed vocationem, & donationem gratiæ, quam Deus pro sua voluntate partitur. Sed huic expositioni illud maxime obstat, quod gratia tanquam merces bonis operibus reddi videretur; quod ipsam gratiæ notionem destruit: *si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*, inquit Apostolus, Roman. XI. 6. De hac parabola consul. Petavius Lib. VII. *de Deo* capit. 11.

invidet, qui plus cibi, potusve sumpserunt, nec qui minoris est staturæ, grandiorum vestes desiderat, dummodo eas habeat, quæ sibi sint accommodatæ.

167. Non sum nescius, hujusmodi exempla non omnino rei nostræ congruere (vid. Card. Pallavicini Lib. I. *de bono* P. 2. cap. 41.); possent enim Beati majorem capacitatem, seu majora merita desiderare, ut ita clariore fruerentur Dei visione. Sed illud observandum præcipue est, Beatos non ignorare, meritorum diversitatem a majori, vel minori divinæ gratiæ munere esse præcipue repetendam: inæqualis autem gratiæ distributio a gratuita Dei bonitate, tanquam a prima causa dependet; quamobrem cum voluntas Beatorum sit divinæ voluntati perfecte subjecta, nullus esse potest desideriis, aut invidiæ locus. Præclare S. Augustinus Lib. XXII. *de civit. Dei* cap. 30. *in corpore*, ait, *oculus non desiderat esse digitus, neque digitus oculus: sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius*.

168. Sed & aliam profundiorem hujus rei rationem reddit idem S. August. *Tract. LXVII.* in Joann. inquiens: *ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus caritas est, per caritatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis*.

169. Ob. tertio. Dei visio est indivisibilis: ergo debet esse æqualis in omnibus. Prob. ant. primo. Dei visio est summum bonum; sed summum bonum est indivisibile, cum non possit esse majus, vel minus: ergo &c. Secundo, Deus videtur, sicuti est; sed Deus est uno atque indivisibili modo: ergo &c. Tertio, species, qua Deum omnes Beati vident, est divina essentia, quæ est simplex, & indivisibilis: ergo &c.

170. Resp. primæ prob., visionem Dei esse summum bonum respectu uniuscujusque beati, quia totam ejus capacitatem replet, atque adeo totum ejus desiderium ex integro satiat, ita ut nihil amplius aut expetere, aut recipere pro sua capacitate possit. Quod tamen est summum bonum respectu unius, non est æque summum respectu alterius, qui majoris visionis est capax.

171. Alteram sic solvit Angelicus I. P. quæst. 12. art. 6. ad 1. cum dicitur: *videbimus eum sicuti est*, hoc adverbium *sicuti* determinat modum visionis ex parte rei visæ, ut sit sensus: videbimus eum ita esse, sicuti est, quia ipsum esse ejus videbimus, quod est ejus essentia. Non autem determinat modum visionis ex parte videntis, ut sit sensus, quod ita erit perfectus modus videndi, sicut est in Deo perfectus modus essendi.

172. Tertiam etiam difficultatem ita solvimus cum eodem Angelico ibidem. Quamvis divina essentia una sit, simplex, atque indivisibilis, potest tamen uni intellectui perfectius uniri, quam alteri, propter diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam, nempe per lumen gloriæ. Potest etiam obvio aliquo exemplo id declarari. Si enim insignem picturam plures attente considerent, omnes certe eam totam vident. Qui tamen sunt in arte periti multo plura vident, quam alii, ut accuratam partium proportionem, umbras apte intermixtas, colorum gradationem, & harmoniam, defectus etiam si qui sunt, aliaque plura, quæ imperiti aut imperfecte solum vident, aut non vident omnino.

173. Ob. ult. Carentia visionis beatificæ eadem est, & æqualis in omnibus damnatis: ergo pari modo etiam visio beatifica &c.

174. Resp. neg. cons.; carentia enim visionis, cum sit privatio, *per se*, *& ratione sui* non potest esse inæqualis, quia privatio, ut Philosophi dicunt, *non suscipit magis, & minus*; visio autem aliquid positivum est, quod potest intendi, & remitti. Hinc si accurate loqui velimus, non potest esse unus magis cæcus, quam alter, nec unus magis mortuus, quam alter: potest tamen ex videntibus unus habere acutiorem visum, quam alter, & ex vivis unus perfectius vivere quam alter. Dixi autem *per se*, *& ratione sui*: nam ratione apprehensionis, seu imaginationis & cognitionis eadem privatio Dei variam in damnatis pœnam ac dolorem efficit.

175. Quæres, quænam sit causa physica inæqualis visionis beatificæ?

176. Resp. cum Thomistis, aliisque etiam pluribus Theologis, inæqualis divinæ visionis gradus ab inæquali luminis gloriæ, quo intellectus perfunditur, intensitate repetendos esse; cujus ratio hæc est. Intellectus suis viribus Deum videre nullatenus potest, ut supra cap. II. ostensum est, sed a lumine gloriæ confortari, atque ad nobiliorem, & supernaturalem statum evehi debet; ergo etiam a majore, vel minore luminis gloriæ affusione magis, vel minus idoneus ad Deum videndum redditur. Sed de hac celebri, & non omnino inutili controversia consuli possunt passim Scholastici.

CAPUT VIII.

Deus non potest oculis corporeis videri. Neque id docuit S. Augustinus.

177. Deum oculis corporeis esse videndum, asseruerunt quotquot ipsum esse anthropomorphum, aut alia quacumque specie corporeum effingebant. Celebris etiam, & doctissimus Leo Allatius studio confutandi Palamitas in errorem lapsus est, putans, oculis corporeis ipsam Dei essentiam esse a Beatis post carnis resurrectionem conspiciendam, & nunc etiam a beatissima Virgine Maria videri (a).

178.

(a) Leo Allatius in Lib. II. *de perpetua consensione Eccl. Orient., & Occident.* cap. 17. *Verum est*, inquit, *oculis corporeis increatum conspici non posse; at damnati in statu, & conditione naturæ manent: sed in*

178. Sed veteres Ecclesiæ Patres uno ferme ore nos docent, Deum nulla ratione corporeis oculis cerni posse. Paucos seligemus. Origenes Lib. VII. *contra Celsum: Falso*, inquit, *nobis Celsus imponit*, *dicens*, *nos sperare corporis oculis Deum esse visuros*. S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIV. Deum esse hujusmodi dicit, ut *nec tangi*, *nec oculis cerni queat*. S. Cyrillus Jerosolym. *Catechesi IX. Carnis quidem oculis*, inquit, *cerni Deus non potest; nam incorporeum sub corporeis oculis cadere nequit*. S. autem Fulgentius in respons. ad tertiam object. Ferrandi momentosa ratione Deum oculis corporis videri non posse probat; atque ita concludit: „ quisquis au„ tem vult agnoscere, quibus oculis Deus videa„ tur, ipsum Deum cogitet, quia sapientia est, „ veritas est, caritas est: quocirca quibus oculis „ videtur sapientia, veritas, & caritas, ipsis ocu„ lis videtur illa sapiens, veraque Divinitas. Non „ itaque corporis, sed oculis animæ Deus suam „ visionem promittit, quam capacem sapientiæ, „ veritatis, caritatisque constituit. "

179. Et quoniam præcipue de Sancti Augustini mente controversia ab aliquibus mota est, operæ pretium erit, id etiam rationibus, & testimoniis ejusdem S. Doctoris comprobare. Ille autem in epist. 92. ad Italicam ita scribit: Deum„ autem „ oculus videre corporis neque nunc potest, ne„ que tunc poterit. Omne quippe, quod oculis „ corporeis conspici potest, in loco aliquo sit, „ necesse est, nec ubique sit totum, sed minore „ sui parte minorem locum occupet, & majora „ majorem. "

180. Postea vero acute ita quærit S. Doctor: „ cur solis oculis corporeis Christi hoc donum at„ tributum esse, contendunt, non etiam ceteris „ sensibus? Sonus ergo erit Deus, ut possit etiam „ auribus percipi? Et halitus erit Deus, ut sen„ tiri possit olfactu? Et liquor aliquis erit, ut „ possit & bibi? Et moles erit, ut possit & tan„ gi? Non, inquiunt. Quid ergo? An illud po„ test Deus, & hæc non potest?... Si posse, & „ nolle, responderint, cur solis oculis favent, „ invident autem ceteris sensibus corporis Chri„ sti? An quousque volunt, desipiunt? Quanto „ nos melius, qui non eorum insipientiæ termi„ nos figimus, sed ut desipiant, prorsus nolumus. „ Multa proferri possunt ad istam dementiam re„ futandam, &c. " Hæc speciminis loco sint, ut appareat, quænam fuerit hac in re S. Augustini mens. Qui plura desiderat, adeat P. Berti Lib. III. *De Theol. discipl.* cap. 5.

181. Quæres, an de potentia Dei absoluta oculus corporeus elevari possit ad Deum videndum? Affirmat cum paucis aliis Gregorius de Valentia in 1. P. S. Thomæ quæst. 12. puncto 8. negativa tamen sententia communior est inter Theologos Scholasticos, quos adire poterit, qui hujusmodi controversias, quæ de potentia Dei absoluta excitantur, discutere cupit.

CAPUT IX.

De tempore, quo animabus justis concedenda est beatifica Dei visio.

182. Tres hac in re fuerunt errores. Primus, & omnium maxime intolerabilis fuit aliquorum Arabum sæculo III. qui referente Eusebio Lib. VI. *Hist. Eccl.* capit. 37. laud. a S. Augustino *Hær.* 83. „ asserebant, hominum animas in præ„ senti quidem sæculo una cum corporibus inte„ rire, atque corrumpi, rursus vero resurrectio„ nis tempore simul cum corporibus ad vitam re„ dituras. " Primus tamen hujus erroris auctor creditur Tatianus S. Justini discipulus, qui sæculo II. desinente etiam in nonnullis aliis peccavit, in Orat. II. *contra Græcos*. Quis credidisset, tam absurdam opinionem potuisse a sæculi nostri sapientibus ab orco revocari? (*a*)

183. Alter error fuit eorum, qui justorum animas corporibus superstites in beata aliqua requie vivere putabant; post autem resumptis corporibus mille annorum spatio in terris cum Christo

sto

diviniore vi corroborati ad altiora eleventur, *nil impedit*, *corporis hisce oculis in eminentiorem statum sublevatis Deitatem ipsam*, *& gloriam Deitatis*, *quæ una cum Deo est*, *videri*. *Idque expertissima ratione confirmatur; nam B. Virgo*, *quam modo assumptam canit Ecclesia cum corpore ipso*, *Deum*, *& divinitatem ipsissimis oculis corporis*, *sublevatis tamen*, *& divina vi confirmatis intuetur*. *Et post judicium universale Beati resumptis corporibus corporis oculis gloriam Deitatis Deitatemque ipsam conspicient*. Gotteschalcus Sæculo IX. hanc ipsam quæstionem suscitare volebat, de eaque Lupum Servatum Ferrariensem consuluit, qui ipsi suasit, ut ea omissa in rebus utilioribus operam, & tempus impenderet. Vid. Fleury Tomo X. *Hist. Eccl.* Lib. 48. n. 41.

(*a*) Celebris Jo. Lockius in suo *Christianismo raisonnable* c. 2. docet, omnes animas post mortem interire, justos tamen esse a Christo resuscitandos. Qui autem ferat putidissimam Calvini calumniam, qui Lib. IV. *Instit.* c. 7. §. 28. de Joanne XXII. Rom. Pont. hæc scribere ausus est: *palam asseruit animas esse mortales*, *unaque cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis; atque ut videas*, *totam sedem cum præcipuis suis fulturis tunc prorsus concidisse*, *nemo Cardinalium huic se tantæ insaniæ opposuit*. Hujus autem calumniæ testem in margine citat Gersonem, quem Joanni coævum facit: itaque paucis verbis tria turpissime peccat. Primo infamis calumniæ reus est, dum Joanni XXII. immo toti Apostolicæ Sedi errorem tribuit, de quo nec Joannes Papa, nec alius quispiam ea ætate somniavit; secundum falsum est, dum Gersonem hujus accusationis testem citat, apud quem nec vola est hujus rei, nec vestigium: tertio in chronologia admodum rudem se prodit, dum Gersonem facit Joanni XXII. coævum, cui fere integro sæculo posterior est; nam Joannes obiit an. 1334. Gersonius autem 1429. Hæc ἐν παρόδῳ observasse non erit inutile, ut appareat quanta sit istorum hominum fides & recondita eruditio.

sto regnaturas, ac demum hoc tempore elapso, judicioque generali peracto, Christo duce cœlum esse ingressuras, ibi perpetua Dei visione beandas. Qui hoc mille annorum regnum in terris futurum esse sperabant, *Millenarii*, *seu græca voce* χιλιασαὶ *Chiliastæ* appellati sunt.

184. Prima hujus fabulæ origo communiter cum S. Hieronymo repeti solet a Judaicis traditionibus, ut maxime apparet ex apocrypho Libro IV. Esdræ, cujus auctor Judæus fuisse existimatur (*a*). Idem etiam conjicere possumus ex quæstione, quam Sadducæi moverunt Matth. XXII. cujusnam essa deberet in resurrectione quædam mulier, quæ septem fratribus successive nupserat? quasi scilicet pervulgata esset opinio, homines post carnis resurrectionem liberis procreandis operam daturos. Ad quam falsam opinionem explodendam respondit Christus vers. 30. *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*. Hæc opinio Dupinio teste (Dissert. IX. *sur l' Apocalypse* §. 2.) adhuc inter recentiores Judæos viget.

185. Hanc autem regni millenarii fabulam a Judæis ortam primus omnium inter Christianos disseminavit Cerinthus, homo semi-Judæus, multisque erroribus sæculo I. infamis; qui etiam regnum illud mille annorum sibi effingebat carnalibus deliciis affluens, qualem fortasse sibi Epicurei, & Cynici exoptassent (*b*). Sed alii fuerunt tolerabiliores Millenarii, qui nonnisi puras, spiritualesque vitæ jucunditates in eo regno futuras sperabant; eorumque antesignanus communiter habetur Papias Episcopus Hieropolitanus, quem nonnulli Patres incaute secuti sunt, præcipue Tertullianus, qui Lib. III. *contra Marcionem* cap. ult. „ Confitemur, *inquit*, in terra nobis regnum „ repromissum.... in civitate divini operis Jerusalem cælo delata..... excipiendis resurrectione Sanctis, & refovendis omnium bonorum „ utique spiritualium copia, in compensationem „ eorum, quæ in sæculo vel despeximus, vel amisimus."

186. Tertius demum error est eorum, qui licet commentitium illud mille annorum regnum exploderent, putabant tamen justorum animas etiam plene purgatas non esse beatifica Dei visione fruituras ante corporum resurrectionem, seu ante sententiam in ultimi judicii die ferendam; cujus erroneæ opinionis nonnulli insignes Ecclesiæ Patres accusantur, nempe Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, ac præcipue Bernardus, quorum vindicias breviter agemus. De mente etiam Joannis XXII. disputabimus (*c*).

CAPUT X.

Ostenditur, animas hominum non interire simul cum corporibus in die judicii resuscitandas (*d*).

187. Prob. id. primo clarissimis S. Scripturæ testimoniis. Lucæ XVI. 22. seq. describitur mors Lazari mendici, ac divitis Epulonis, quorum primus in sinum Abrahæ ab Angelis delatus est, alter vero sepultus est in inferno, ubi cum cruciaretur, & Abraham, ac Lazarum a longe videret, clamabat: *Pater Abraham, miserere mei*. Hæc sane demonstrant, animas esse corporibus superstites, & statim post mortem dignam meritis suis mercedem, vel pœnam consequi. Non consentiunt quidem Sancti Patres, & Interpretes, an hæc historia sit, vel parabola; sed si etiam pura sit parabola, perspicue tamen nos docet, quid post mortem corporis animæ contingat.

188.

(*a*) Repugnat Alexander Desesart in opere, cui titulus *Examen du sentiment des saints Peres, & des anciens Juifs sur la durée des siècles* c. 10. & 11.

(*b*) Ita de eo habent Cajus, & Dionysius apud Eusebium Lib. III. *Hist. Eccl.* c. 28., ac apud Theodoretum Lib. II. *Haret. fabul.* c. 3., frustraque est Bælius, qui in *Diction.* voce *Cerinthus* rem. E, Cerinthum non alias, quam spirituales delicias admisisse suspicatur. Etiam Jo. Laur. Moshemius in *Comment. de rebus Christianorum ante Constantinum magnum* p. 199. Caji. & Dionysii fidem suspectam habet, sed admodum levibus de causis. Verum quidquid id sit, obsoletam jam Millenarii regni fabulam nostra fere ætate suscitare conatus est Thomas Burnetus in suo opere *de statu mortuorum*, quod post ejus mortem an. 1726. in lucem infeliciter prodiit. Burnetum confutavit Lud. Muratorius edito libro an. 1738. cui titulus *De Paradiso, regnique cælestis gloria, non expectata corporum resurrectione, justis a Deo collata*. Whistonus etiam, & nonnulli alii inter Protestantes Millenariis adhæserunt, quorum nomina legere est apud Christoph. Matth. Pfaffium in *Introd. ad Hist. Theol. Litter.* Lib. I. *de Theol. exeget.* §. 5. not. dd, tum apud Jo. Ge. Walchium *Collect. Miscell. Sacr.* L. II. exerc. 2. c. 2. §. 11. ac præcipue apud Frid. Ulr. Calixtum in *Tract. Theol. de Chiliasmo cum antiquo, tum renato*. De veteribus Chiliastis legi poterit præter alios Tillemontius in *Monumentis &c.* Tomo II.

(*c*) In hanc falsam opinionem incidisse Græcorum aliquos Sæc. X. post Schisma Photianum auctor est Muratorius *de Paradiso* c. 18. Confer etiam Leonem Allatium in *Examine Triodii* apud Jo. Alb. Fabricium in Tomo V. *Biblioth. Græcæ*. Calvinus de intermedio animarum statu curiosius inquirere, neque fas esse, neque expedire primo putabat; post autem audacter pronunciavit, *animas piorum militiæ laboribus perfunctas in beatam requiem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant* Libro III. *Institut.* cap. 25. numer. 6. Eadem fuit opinio Lutheri in *Prælection. in Genesim*, tum Socinianorum in *Vindictis Christi n. Religionis* cap. 23. & postquam prodiit impius Burneti liber *de statu mortuorum*, aliquas hic error non parum dilatatus est.

(*d*) Non hic disputamus contra Materialistas, aliosque id genus impios, qui animam nostram neque spiritualem, neque immortalem esse contendunt; sed duntaxat contra Arabum errorem, nec refutari mereretur, nisi fuisset infelici hoc nostro ævo suscitatus.

188. Præterea hanc fidei catholicæ doctrinam adhuc clarius confirmant ea Christi verba, quibus pio latroni in cruce dixit Lucæ XXIII. 43. *hodie mecum eris in Paradiso.*

189. Ac deinde, ne longior sim, quam res postulet, *Apocal. VI.* 9. dicit S. Joannes: *vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, & clamabant magna voce dicentes: usquequo Domine sanctus, & verus non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?*

190. Hinc Arabes stultam hanc opinionem amplexati in concilio non exiguo hac de re coacto, ut Eusebius narrat Lib. VI. *Hist. Eccles.* cap. 37. ab Origene invictis adeo argumentis convicti sunt, ut mutata sententia ad rectam fidem, sanamque doctrinam redierint. Id contigit anno Christi 249. Vid. nova collectio Concil. Tom. I. p. 787.

191. Ob. primo. In Psalmo CXIII. 27. dicitur: *non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum* (idest in sepulcrum) *sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino:* quorum gemina sæpius repetuntur (Psalm. VI. 5. XXIX. 10. LXXXVII. 12. CXLV. 4., Isaiæ XXXVIII. 48., Baruch. II. 17.) Præterea Job cap. III. 12. *Quare*, inquit, *exceptus genibus? Cur lactatus uberibus? nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem.* Tertio Eccles. IX. 10. *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Clarus etiam cap. III. 19. *Unus est hominis interitus, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, ita & illæ moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius.* Demum quid sibi vult ille horror mortis, quo etiam justi, & sancti percelluntur? cujus horroris exemplum apparet in cantico regis Ezechiæ apud Isaiam cap. XXXVIII. si enim anima corpori supersit, lætitiæ potius, quam terroris argumentum mors afferret.

192. Resp. ad primum, hæc, & similia, quæ sæpius occurrunt S. Scripturæ verba, esse intelligenda de laude, quæ Deo exhibetur in hac vita, nempe ore, lingua, cantu, & quæ certe a mortuis præstari non potest, ad sensum scilicet rudis populi, qui, ut Bossuetus observat (Diss. de Psalmis cap. 1. n. 10.) ad præsentis duntaxat vitæ statum attendere solebat; quanquam non deerant etiam tunc spirituales, verique Israelitæ, quibus vitæ melioris spes affulgebat, & ad quorum propterea mentem David ipse dicebat in Ps. LXXXIII. 5. *Beati, qui habitant in domo tua Domine; in sæcula sæculorum* (hoc est in æternum, etiam post mortem) *laudabunt te.* Et iterum Ps. CXIII. 18. *Nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & usque in sæculum;* atque etiam Psalmo LX. 9. *Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi.*

193. Verba Jobi secundo loco objecta designant justorum mortuorum statum, qui vocatur somnus, vel quies, non quod animæ intereant, vel lethargo sopiantur, sed quia ab omnibus hujus vitæ miseriis liberatæ in sinu Abrahæ eo tempore quiescebant, Christi adventum præstolantes. Hanc itaque requiem Job vitæ, quam in maximis calamitatibus ducebat, libenter præferebat, non quidem quasi impatientia, ac desperatione victus (hoc enim aperte scripturæ sacræ repugnat) sed, ut sancti Patres interpretantur, quia videns se tot plagis a Deo percussum, verebatur, se magnorum criminum reum esse, quamvis sibi nihil conscius foret.

194. In locis objectis ex Ecclesiaste observat Bossuetus (Comm. in hunc loc.) quæstionem a Salomone moveri de animæ immortalitate, quam plene non resolvit, nisi c. XII. 7. inquiens: *& revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum;* quibus verbis nihil luculentius afferri potest, ut ostendatur, corpus quidem ex limo terræ formatum in terram resolvi, spiritum autem vivum, & immortalem ad Deum reverti (a).

195. Verba tamen illa: *nec opus, nec ratio* &c. sunt intelligenda de operibus meritoriis, quæ certe nulla erunt post mortem: unde immediate antea dictum est: *quodcumque facere potest manus tua, incessanter operare, quia nec opus, nec ratio &c.*

196. Ad postremum dico, primo generalem non fuisse hunc mortis horrorem in animabus justis; nam etiam in vet. Test. plura suppetunt exempla justorum, qui cum Propheta David exclamabant: *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Ps. XLI., & CXIX. Elias 3. *Regum* XIX., & Tobias c. III. & IV. mortem pariter appetiverunt; eandem hilari vultu Abraham, Moyses, & Patriarchæ plurimi adspexerunt; ut nihil dicam de Eleazari, Machabæorumque constantia, qui mortem acerbissimam pro patria religione libenter tolerarunt. Quod si horror mortis in vet. Test. major fuit, quam in novo, id mirabile videri

(a) Sapienter idem Bossuetus notat, cavendum esse hoc loco a Grotii Theologia inter Oratorum, ac Poetarum lectionem nata, atque adulta in Socinianismi fæce. Putat nempe Grotius, iis inhærens, quæ alibi ad Job XXXIV. 14. & Genes. II. 7. docuerant, his verbis non indicari animam esse immortalem, quippe animi immortalitas, ut ipse inquit, *non primæ, sed novæ creationis est;* hoc est non vet. Testamenti, sed novi, quasi veterum justorum animæ interierint, & solum novi Testamenti gratia fuerint suscitatæ. Propterea lectores Bossuetus admonet, *ne plus æquo credant scriptori progredienti paulatim ad catholicam veritatem, sed non eam professo, multaque ex insolitis erroribus retinenti.*

deri non debet, quandoquidem nondum fuerat illud adimpletum Oseæ XIII. 14. *ero mors tua, o mors*, quod in Christi morte adimplendum erat: tunc enim, inquit Apostolus 1. Corin. XV. 54. *absorpta est mors in victoria*.

197. Ob. secundo. S. Paulus 1. epist. ad Corinth. XV. 19. *Si in hac vita tantum*, ait, *sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; & vers. 32. *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur*. Ubi Sanctus Paulus tali ratiocinio probat futuram corporum resurrectionem: nisi futura esset corporum resurrectio, Christiani, qui in hoc mundo omni afflictionum genere premuntur, sunt omnibus hominibus miserabiliores; quod cum absurdum sit, sequitur futuram esse corporum resurrectionem; atqui hoc ratiocinium Sancti Pauli futile prorsus est, si anima ante corporis resurrectionem vivit, & præmii est capax; hoc enim posito ex hujus vitæ miseriis non posset corporum resurrectio probari, ut S. Paulus intendit: ergo &c.

198. Resp. cum S. Thoma comment. in hunc loc. Lect. 2. duplici ex capite bonum esse Sanct. Pauli ratiocinium, quo futuram corporum resurrectionem ex miseriis hujus vitæ probat. Primo, quia si negetur corporum resurrectio, pronum erit, & facile etiam negare animæ immortalitatem; anima enim naturaliter unitur corpori, cujus est forma, & contra suam naturam ab illo separatur; non est autem probabile, animam brevi temporis spatio in statu naturali conjunctionis cum corpore manere, in statu autem separationis a corpore, qui est contra naturam, tota æternitate mansuram; quocirca si corporum resurrectio negetur, facile etiam negabitur animæ immortalitas. Immo Sadducæi ex eo potissimum moti videntur, ad negandum, animam esse spiritualem, & immortalem, quia corporis resurrectionem negabant, unde de ipsis dicitur Act. XXIII. 8. *Sadducæi dicunt, non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum*. Vide Matth. XXII. 23. Alio etiam ex capite validum erat S. Pauli ratiocinium, quia homo naturaliter desiderat salutem, & felicitatem corporis sui, quod amat: quamobrem si nulla futura esset resurrectio, frustra esset hoc ejus desiderium.

199. Ob. tertio (cum Abb. de Longuerue in Dissert. post Orat. Tatiani edit. Oxon. 1760. in 8.). Tatianus in orat. adv. Græcos n. 13. *Non est*, inquit, *immortalis anima, o Græci, sed mortalis: potest tamen eadem non mori; moritur enim, & dissolvitur cum corpore, veritatis ignara; resurgit autem postea in fine mundi una cum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens. Rursus autem non moritur, etiamsi solvatur ad tempus Dei cognitione instructa*.

200. Resp. mortis nomine fortasse a Tatiano intelligi non destructionem, sed separationem a Deo per peccatum; unde subdit: *est autem verbum divina lux, tenebræ vero imperita anima. Quapropter si degat solitaria, deorsum ad materiam vergit, una cum carne moriens. Cum divino autem spiritu copulata non caret auxilio, sed eo ascendit, quo deducitur a spiritu*. Ex aliis tamen ejusdem Tatiani testimoniis P. Maranus observat (Præfat. in S. Justini Opera P. II. c. 11. n. 3.) eum putasse, animas impiorum post mortem corporis adhuc vivere; unde multo magis consequitur, vivere animas justorum. Ceterum Tatiani auctoritas non multi ponderis est, quem constat in alios etiam errores fuisse prolapsum; atque, ut supra innuimus, hujus erroris creditur primus auctor.

CAPUT XI.

Ostenditur, fabulis esse accensendum mille annorum regnum, quo Beati corpore resumto in hoc mundo cum Christo frituri dicuntur.

201. Ostend. autem primo ex sacris literis. Christus Dominus Matth. XXII. 30. ad refellendum istud figmentum, quod animis quorumdam Judæorum insederat, *in resurrectione*, inquit, *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*; & apud Lucam XX. 34. *Filii hujus sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias; illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque etiam ultra mori poterunt*. Idem etiam tradit S. Paulus 1. ep. ad Corinth. XV. 44. dicens: *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, aperte declarans, nullas futuras esse post resurrectionem corporales delicias, quales sibi carnales Millenarii fingebant. Huc denique spectare possunt etiam illa ejusdem Apostoli verba Rom. XIV. 17. *non est regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*. Quæ etsi de hac præsenti vita dicta sunt, possunt tamen facile etiam ad aliam transferri, ut non aliud in ea Christi regnum cogitemus, quam quod in justitia, pace, & gaudio in Spiritu Sancto consistit.

202. Præterea Christus Pilato exprese dixit Jo. XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*, & iterum: *regnum meum non est hinc*; quæ Christi verba, quanquam proprie referantur ad illud tempus, quo Christus accusabatur, quasi Judææ regnum, invito Cæsare, arripere voluisset, cum tamen absolute prolata sint, possunt facile ad omne tempus extendi.

203. Demum Sanctorum cum Christo regnum in sacris literis nullis temporis limitibus circumscriptum est, sed statuitur plane æternum; de Christo enim dicitur Lucæ I. 31. *regnavit in domo Jacob in æternum*; quamobrem etiam Symbolo Nicæno ea verba addita sunt a Patribus Constantinopolitanis: *cujus regni non erit finis*.

204.

204. Apparet ulterius millenarii regni raritas ex pluribus sanctis Patribus, qui illud ut commentitium Judæorum fabulam exploserunt. Et primus quidem sese offert Cajus antiquissimus Rom. Ecclesiæ Presbyter, qui sub Zephyrino Pont. Sæc. II. exeunte floruit (apud Eusebium Lib. II. *Hist. Eccl.* cap. 26.) & Cerinthianum mille annorum regnum in quadam *disputatione* refutavit, ut idem Eusebius refert Lib. III. *Hist. Eccl.* c. 28.

205. Ei succedit S. Dionysius, qui sæc. III. Patriarchalem Alexandriæ sedem magna doctrinæ, & pietatis fama illustrabat. Hic autem Nepotem quemdam Episcopum Ægypti, quem aliunde cum propter fidem, tum propter diligentiam, & studium sacrarum Scripturarum magno se honore, ac reverentia prosequi testabatur, acriter impugnavit (a) quod in quodam suo libro, quem *Allegoristarum confutationem* inscripserat, millenarii regni fabulam recoxisset; atque insuper idem S. Dionysius narrat, se in Arsinoitica Præfectura, convocatis Presbyteris, & Doctoribus tres continuos dies a prima luce usque ad vesperam hanc quæstionem, quam accuratissime fieri poterat, discussisse; eum denique fuisse hujus disputationis exitum, ut unanimi omnium calculo Millenariorum opinio condemnaretur; atque ipse Choracion Millenariorum antesignanus errorem ejurarot (b).

206. Tertio Origenes in *Prologo in Cantica* (Rufino interprete Tomo III. Operum) Millenariorum regnum *ad ineptas fabulas, & inania figmenta* amandat; & iterum Lib. II. *de principiis* cap. ult. Tom. I. postquam vana argumenta pro millenario Christi regno confirmando retulisset, ita concludit: *Hoc ita sentiunt, qui Christo quidem credentes, judaico autem quodam sensu scripturas divinas intelligentes, nihil ex his dignum divinis pollicitationibus præsumpserunt* (c).

207. Quarto Eusebius Cæsariensis magni vir ingenii, maximæque eruditionis, regnum mille annorum, quod Papias invexerat, commentitiis fabulis accenset, erroremque esse pronunciat Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. ult.

208. Quinto S. Ephrem Syrus Opusc. III. Millenariorum somnia ex sacris litteris explodit.

209. Sexto S. Basilius magnus epist. 263. ad Occidentales doctrinam de futuro in terris Christi regno, ac Jerusalem instauratione fabulosam, ac judaicam appellat, atque concludit: *quibus quidnam poterit ridiculum magis, immo alienius ab evangelico dogmate dici?*

210. Septimo. Basilio concinit Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui in Orat. LII. Chiliastarum insaniam vocat *secundum Judaismum, & deliram mille annorum in paradiso voluptatem*.

211. Octav. S. Epiphanius Hæresi LXXVII. hunc errorem ab Apollinario suscitatum *omnibus Scripturæ sententiis repugnare*, ait.

212. Nono S. Hieronymus millenarii regni opinionem aliquando vocat *Judaicam Scripturæ traditione* cap. 18. *de viris illustr.* sæpius autem *fabulam*, & qui eam admittebant, Christianos *judaizantes, & semi-Judæos* in cap. XVIII. Isaiæ, & XXXVI. Ezechielis.

213. Decimo S. Philastrius *de Hæresibus* cap. 59. Chiliastarum opinionem hæresibus numerare non dubitat, quod postea fecit etiam Theodoretus Lib. III. *Hæret. fabul.* cap. 6.

214. Postremo S. Aug. cum junior Millenariis adhæsisset, quamquam rejectis carnalium deliciarum figmentis, senior, & doctior factus ab eis omnino recessit, ut videre est in Lib. XX. *de civ. Dei* cap. 7. immo Millenariorum placita *ridiculas fabulas* appellat, & Chiliastas Cerinthi asseclas inter hæreticos recenset *de hæresibus* n. 8.

215. Alios autem posteriores Patres omittimus; nemo enim ignorat, sæculo V. Millenariorum commenta magno omnium consensu fuisse explosa; & nonnisi nostra, Patrumque nostrorum memoria fuisse iterum infeliciter suscitata (d).

(a) Libro II. *de promissionibus* apud Eusebium Libro VII. *Histor. Eccles.* cap. 24. Adisis etiam Sanctum Hieronymum in Prologo ad Librum XVIII. in Isaiam.

(b) Haud erit inutile, hujus disputationis formam oculis meorum auditorum subjicere, ut ad ejus normam nostras, quoad fieri poterit, instituamus. *Tres continuos dies*, inquit laud. S. Dionysius apud Eusebium loco cit. *a prima luce usque ad vesperam cum ipsis sedens, quæcumque in eo libro* (Nepotis) *scripta erant, discutere aggressus sum. Tum vero Fratrum constantiam, & ardentissimum cognoscendæ veritatis studium, & docilitatem, atque intelligentiam magnopere sum admiratus. Adeo moderate, & ordine interrogationes, rationesque dubitandi, & assensiones a nobis fiebant. Ac studiose quidem cavebamus, ne ea, quæ semel nobis placuissent, tametsi falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus. Nec aliorum objectiones subterfugiebamus; sed quoad fieri poterat, ad ea, de quibus instituta erat disputatio, eniti, eaque stabilire conabamur: sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam, & aliis assentiri &c.*

(c) Additur a multis etiam Victorinus Petaboniensis, sive Petavionensis Episcopus, & martyr in persecutione Diocletiani, qui *Comment. in Apoc.* Tom. I. *Biblioth. Sanct. Patrum* edit. Paris. p. 421. *audiendos non esse*, ait, *qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cerintho hæretico consentiunt*. Sed dissimulandum non est, Victorinum in Millenariis numerari a S. Hieronymo in *Catal. viror. illustr.* cap. 18. unde suspicio orta est, aliquid fuisse in ejus operibus immutatum. Corrigendi autem sunt, qui post Baronium, Victorinum faciunt Episcopum Pictaviensem; rexit enim Ecclesiam Petabonensem vel Petavoniensem in superiore Pannonia. Vid. Natalis Alexander Sæc. IV. cap. 6. art. 2. & Rem. Ceillier Tom. III. *Des auteurs Eccl.* c. 21. tum erudita Dissert. Achillis Ruschi occasione, qua Clerus Petabonensis ejusdem obtinuit, Romæ edita 1768.

(d) Baronius ad ann. 373. num. 14. putavit, Damasum R. P. cum in Concilio Romæ habito circa annum 377. Apollinarii errores damnavit (ut colligitur ex Rufino Lib. II. cap. 20. & Sozomeno Lib. VI. *Hist. Eccl.*

216. Ob. primo. Terra Chanaan sæpe Abraham, Isaac, Jacob, eorumque filiis promissa fuit; atqui isti Patriarchæ, multique eorum nepotes illam nunquam possederunt: ergo futurum est aliquando tempus, in quo Deus suam fidem liberans iisdem in felici illa terra regnum concedat.

217. Resp. has promissiones, si litteraliter intelligantur, referendas esse ad illorum Patriarcharum filios, aut nepotes, qui ditissime uberrimas illas regiones incoluerunt; & quod filiis, vel nepotibus concessum fuit, aliqua ratione etiam ad patres spectare videtur. Si vero intelligantur spiritualiter, patriam cœlestem designant, ad quam jam illi Sancti pervenerunt. Utut res sit, illæ promissiones Millenariorum systemati accommodari non possunt; cum in ipsis non determinatum mille annorum curriculum, sed indefinitum tempus, aut potius æterna possessio designetur. Sic Genes. XIII. 15. Abraham jam habitanti in terra Chanaam dixit Deus: *omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum.*

218. Obj. secundo. Celebris est prophetia illa Isaiæ LXV. 17. & seq. ubi describuntur cœli novi, & terra nova, perpetuum gaudium sine fletu, aut clamore, ubertas, & copia fructuum incredibilis, quod lupus, & agnus pascentur simul, aliaque hujusmodi, quæ certe nondum completa fuere, nec complenda esse aliquis sperat, nisi in Chiliastarum regno.

219. Cum his cohærent, quæ S. Petrus in 2. epist. III. 13. habet: *novos vero cœlos, & novam terram, secundum promissa ipsius expectamus.* Et S. Joann. Apocal. XXI. 1. *vidi cœlum novum, & terram novam.*

220. Alia præterea est prophetia Ezechielis XLIII. ubi Ezechieli præcipitur modus, quo altare dedicare debeat, in eoque sacrificia offerre: hæc autem nec in veteri testam. adimpleta sunt, nec in novo; multoque minus ab Ezechiele, qui in captivitate Babylonica mortuus Jerusalem reverti non potuit: restat ergo, ut hæc in alio Christi regno impleantur. Etiam cap. XXXVI. 11. ita Deus ore Prophetæ consolatur captivos Judæos: *bonisque donabo majoribus, quam habuistis ab initio;* at vero, ut S. Hieronymus advertit in hunc locum, sub Zorobabele, Ezra, & Nehemia pauci de populo in Palestinam reducti sunt; & ipsi Medis, ac Persis, & deinceps Macedonibus, Ægyptiis, atque Romanis usque ad Titum & Vespasianum servierunt; ut falsum sit, quod in extrema prophetiæ parte dicitur: *& opprobrium populorum non portabis, & gentem tuam non amittes amplius.*

221. Resp. cum S. Hieronymo Comment. in cap. XI. Isaiæ, non esse hæc literali, sed mystico, & spirituali sensu intelligenda, nisi forte cum fabulosis poetis aureum Saturni regnum nobis polliceri velimus. Et certe cum Millenariorum placitis ea parum cohærent, quæ in ob. loco v. 18. Isaias habet: *gaudebitis, & exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo.* Hujus ergo generis vaticinia, quæ tum in Isaia, tum in Ezechiele, aliisque Prophetis sæpius leguntur, partim ad legis Evangelicæ statum, partim ad cœlestem Jerusalem referri debent. Et ea præcipue, quæ de terra nova, cœlisque novis promittuntur, clarissime a S. Petro explicantur de cœlesti patria, ad cujus expectationem, & desiderium nos excitabat, dicens in loco cit. suæ epist. secund. vers. 12. & seq. *cum igitur hæc omnia dissolvenda sint; quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent?* Et quæ de fructuum ubertate, gaudio, pace, deliciis, sacrificiis, & regno dicta sunt non carnaliter cum Judæis, sed spiritualiter, & mystice intelligi oportet. *Multiplicabuntur*, inquit S. Hieronymus explicans locum Ezechielis XXXVI. 11. *atque succrescent, & habitabuntur Ecclesiæ, sicut a principio, hoc est priusquam esset persecutio, bonisque florebunt majoribus, quam habuerunt ab initio, martyrum victoriis coronatæ &c.*

222. Ob. tertio. In pluribus nov. testam. locis Millenarium Christi regnum in terris haud obscure indicatur. Potiora hæc sunt: Lucæ XXII. 29. inquit Christus Apostolis: *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ibid. cap. XIV. 15. & seq. Christus consulens cuidam Pharisæorum principi, ut in conviviis pauperes adhiberet, hanc illi reddit rationem: *beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum;* quo audito quidam respondit; *beatus, qui manducabit panem in regno Dei;* quod nonnisi de regno Christi in terris intelligi potest. Præterea Christus ita discipulos suos in ultima cœna allocutus est Matth. XXXI. 29. *non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei:* quæ verba metaphorice explicare non sinit pro-

no-

cap. 25. & ex ipso Damaso apud Theodoretum Lib. V. *Histor. Ecclesiast.* cap. 10.) Millenarii regni fabulam imprimis damnasse, eamque in posterum contienisse. Hoc tamen difficile creditu est, ex eo potissimum, quod S. Hieronymus in suis Comment. in Isaiam fateatur, Apollinario in hac parte dumtaxat de millenario regno Catholicorum plures consensisse. Cum autem, ut P. Martianæus ostendit, Sanctus Hieronymus hos commentarios nonnisi post ann. 409. composuerit, quis sibi persuadeat, plurimos ex Catholicis huic opinioni favere potuisse, si fuisset in concilio Rom. sub Damaso condemnata? Quid quod Severum Sulpitium circa ann. 415. Millenariorum figmentis incaute deceptum idem Hieronymus scribit?

nomen demonstrativum *hoc*, quod refertur ad vinum verum, quod tunc Christus bibebat. His etiam simile est, quod Christus dicebat Lucæ XXII. 16. *dico enim vobis*, *quia ex hoc non manducabo illud*, *donec impleatur in regno Dei*.

223. Resp. his omnibus novi testamenti locis designari regnum cœleste sub imagine nuptiarum, & epularum, quod sæpius in sacris litteris fit. Ne tamen ex metaphoris illis erroris nasceretur occasio, nos præmonuit Christus Matth. XXII. 30. inquiens *in resurrectione neque nubent*, *neque nubentur*, *sed erunt sicuti Angeli Dei in cælo*; qui utique nec cibo utuntur, nec potu. Et Apostolus 1. Corinth. II. 9. *Oculus non vidit*, *nec auris audivit*, *nec in cor hominis ascendit*, *quæ præparavit Deus iis*, *qui diligunt illum*.

224. Primus autem locus objectus ex Lucæ XXII. significat potestatem, quam Christus daturus erat Apostolis in futuro sæculo judicandi omnes, unde idem Christus prosequitur: *& sedebitis super thronos*, *judicantes duodecim tribus Israel:* quæ verba iis genuina sunt, quæ iisdem discipulis Christus dixerat Matth. XIX. 28. *in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ*, *sedebitis & vos super sedes duodecim*, *judicantes duodecim tribus Israel*.

225. Secundus locus ex Lucæ XIV. est intelligendus de retributione æterna, secundum eam ejusdem Christi sententiam Matth. XXV. 40. *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis*, *mihi fecistis*. Quod vero convivæ subdidit: *beatus*, *qui manducabit panem in regno Dei*, fortasse ex falsa millenarii regni opinione oriri potuit; quam opinionem alibi Christus satis aperte exploserat, ibi autem ex profunditate judiciorum suorum confutare noluit.

226. In tertio demum loco Christus a vino materiali occasionem sumpsit de spirituali vino loquendi, hoc est de cœlestibus deliciis, quæ post hanc vitam nos manent. Quamobrem hoc vinum appellat *novum*, ut intelligant omnes, se ad aliud vinum diversum sermonem transtulisse. Hoc fere modo Jo. IV. loquens cum Samaritana de aqua materiali commodam nactus est occasionem de spirituali sua gratia disserendi, inquiens vers. 13. *omnis*, *qui bibit ex aqua hac iterum sitiet*; *qui autem biberit ex aqua*, *quam ego dabo ei*, *non sitiet in æternum*. Et adhuc similius exemplum nobis suppeditat S. Matth. c. VIII. ubi Christus cuidam discipulo (*a*), qui vocatus responderat: *permitte me primum ire*, *& sepelire Patrem meum*, dixit v. 22. *dimitte mortuos sepelire mortuos*, nempe ut S. August. observat, dimitte peccatores, qui spiritualiter mortui sunt, mortuos suos sepelire; *ut scilicet in anima mortui in corpore mortuos sepelirent*. Verba sunt S. Patris Lib. IV. *de Trinit.* c. 3. & Lib. XX. *de civit. Dei* c. 5.

227. Obj. quarto palmare Chiliastarum argumentum. Apocal. XX. ita graphice describitur millenarium Christi regnum in terris, ut nihil apertius desiderari possit. Dicitur enim primo de sanctis v. 4. *vixerunt*, *& regnaverunt cum Christo mille annis*. Secundo de impiis dicitur v. 5. *ceteri mortuorum non vixerunt*, *donec consummentur mille anni*. Tertio duplex ibidem distinguitur sanctorum resurrectio, altera ad regnandum in terra mille annis, altera ut regnent postea sine fine in cœlis; dicitur enim v. 5. & 6., *hæc est resurrectio prima*; *beatus*, *& sanctus*, *qui habet partem in resurrectione prima*. Impiorum autem duplex quidem mors aperte insinuatur, sed una tantum resurrectio; videlicet primo morientur morte corporis, a qua resurgent; post autem morientur morte animæ sine ulla spe resurrectionis. Quarto prænunciantur futura sacrificia vers. 6. *erunt Sacerdotes Dei*, *& Christi*, *& regnabunt cum illo mille annis*. Quinto eo mille annorum curriculo diabolum ligandum esse, solvendum autem modico tempore exactis mille annis, quando scilicet mundo ad finem vergente veniet Antichristus. Vers. 2. *& apprehendit draconem*, *serpentem antiquum*, *qui est diabolus*, *& satanas ... & post hæc oportet illum solvi modico tempore*. Denique hæc omnia consequentur generale omnium judicium, æternæque vitæ, aut mortis retributio. Vers. 12. *& vidi mortuos magnos*, *& pusillos stantes in conspectu throni*, *& libri aperti sunt ... & judicati sunt mortui &c.*

228. Resp. hanc S. Jo. visionem esse omnium obscurissimam; eam tamen Chiliastarum systemati aptari non posse, patet primo, quia nulla hic habetur corporum mentio, sed tantum animarum; immo resurrectio corporum solum in fine capitis memoratur, ubi sermo est de extremo judicio; ita enim habetur commate 13. *& dedit mare mortuos*, *qui in eo erant*, *& mors*, *& infernus dederunt mortuos suos*, *qui in ipsis erant*, *& judicatum est de singulis*, *secundum opera ipsorum*. Secundo quia nullo modo videtur Sanct. regnantibus cum Christo in terris illud posse convenire, quod vers. 7. & 8. legitur; *& cum consummati fuerint mille anni*, *solvetur satanas de carcere suo*, *& exibit*, *& seducet gentes*, *quæ sunt super quatuor angulos terræ*, *Gog*, *& Magog*, *& congregabit eos in prælium*, *quorum numerus est*, *sicut arena maris*; *& ascenderunt super latitudinem terræ*, *& circuierunt castra Sanctorum*, *& civitatem dilectam &c.* Anne Sanctis post mille annorum regnum adhuc bella, persecutiones, aliaque hujusmodi mala imminent?

229. Omnium autem probabilissima hujus prophetiæ explicatio illa videtur, quam tradit S. Augustinus Lib. XX. *de civ. Dei* cap. 7. adoptat vero S. Thom. in Lib. IV. *Sentent.* dist. 43. qu. t,

(*a*) Clemens Alexandrinus Lib. III. *Stromatum* putat, hunc discipulum fuisse Philippum.

1. ad 4. nempe mille annorum regno illud tempus denotari, quod a Christi morte usque ad universale judicium interjacet; quod etiamsi mille annorum numerum longe superat, non insolita tamen sacr. Scripturarum phrasi potest millenario numero definiri, *ut perfecto numero notatur ipsa temporis plenitudo:* ita in Psal. CIV. dicitur: *verbi, quod mandavit in mille generationes*, hoc est in omnes generationes.

230. Porro hoc tempore dicuntur Sancti regnare cum Christo, quod S. Pater ibid. cap. 9. intelligit de Ecclesia, quæ regnat cum Christo *in vivis, & mortuis*. Impii autem nec regnant, nec vivunt, quia non vivunt nec vita corporis, nec vita animæ ad æternam mortem damnati: victuri autem sunt, cum in resurrectione corpora resument, *in mortem secundam cum ipsa carne transituri*, ut loquitur idem S. Pater.

231. Duplex resurrectio Sanctorum, quæ tertio loco opponebatur, & una tantum impiorum, facile cum eodem S. Patre explicatur, quia primo resurgere dicuntur Sancti, cum a morte corporis resurgunt ad vitam æternam; secundo autem, quando imminente universali judicio corpora sua dotibus gloriosis ornata resumeut. Impiorum autem duplex est mors, & una resurrectio.

232. Quod dicitur quarto loco, sanctos futuros Sacerdotes Dei, & Christi, verissimum est, non quasi debeant vetera sacrificia restitui; sed quia offerent Deo sacrificia immaculata, & undequaque placentia, spiritualia scilicet, non carnalia (*a*). Dicuntur etiam sedere super thronos, regnare, & judicare, quia Ecclesiæ præsunt, debitoque a fidelibus honore coluntur.

233. Quod de diaboli alligatione quinto loco dictum est, significat, toto hoc tempore satanam esse ligatum, quia ejus potestas, sin minus omnino ablata, saltem admodum diminuta, & quasi ligata per Christi passionem fuit; nec universas pene gentes effreni, ut olim, licentia seducens ubique dominatur. Solvetur autem modico tempore ante extremum judicium, nempe turbulentissimis illis Antichristi temporibus, in quibus omnes pene iterum seducendos esse, paucis electis exceptis, Scriptura sacra testatur Matth. XXIV. 24. & alibi. Quæ omnia universale judicium subsequetur, atque æterna præmii, ac pœnæ retributio.

234. Si vera esset hæc explicatio, visio ista pertineret ad omnes Sanctos, atqui S. Joann. non loquitur, nisi de Martyribus, seu de *animabus decollatorum propter testimonium Jesu:* ergo &c.

235. Resp. hac difficultate premi etiam Millenarios, qui regnum Christi in terris omnibus Sanctis commune futurum dicebant. Sed S. August. cit. c. 9. observat, in hac parte etiam ceteros Sanctos intelligi. Scite autem Bossuetus post S. Th. (In explicat. hujus c. Apoc.) notat, peculiariter Martyrum factam esse mentionem, quia hos solos inter adultos immediate in Christi regnum ad beatificam Dei visionem recipi, pro certo scitur. Hinc pro Martyribus nullas fundere preces consuevit Ecclesia, eosque statim post mortem ut patronos venerata est; quod etiam S. August. notavit Serm. 159. *de Verbis Apostoli*, hanc subdens rationem: *injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari*. Sanctorum ergo universitas per Martyres, qui eorum portio præcipua sunt, in Apocalypsi designatur (*b*).

236. Ob. ult. Millenarium Christi regnum in terris antiquissima Patrum traditione ab ipsis Apostolis dimanante fulcitur. Etenim primo Papias Hierapolitanus Episcopus, S. Jo. Evangelistæ auditor (ut eum vocant S. Irenæus lib. V. c. 33. S. Hieronym. Epist. 29. ad Theodorum, & antiqua Martyrologia) Papias, inquam, futurum mille annorum in terris regnum, tamquam doctrinam Apostolorum ore acceptam, tradidit apud Eusebium Lib. III. *Histor. Ecclesiast.* cap. ult. Secundo Millenariis suffragatur auctor librorum Sybillinorum, qui, ut eruditis videtur, sæculo Ecclesiæ II. floruit. Tertio eodem sæculo II. strenuus millenarii regni defensor fuit Sanctus Justinus,

(*a*) Non est prætereundus commentarius Hugonis Grotii, quem ab homine heterodoxo veritatis evidentia expressit: *Sicut*, inquit hunc locum commentans, *olim Deus preces Sacerdotum exaudiebat pro populo, ita nunc preces Martyrum exaudit pro Ecclesia*. Colendi ergo, & invocandi sunt Sancti Martyres, ut orent pro nobis.

(*b*) Hanc rudem tradidimus loci vexatissimi explicationem, haud ignari plurimas superesse difficultates, quæ tamen Millenarios non juvant. Grotius cum nonnullis aliis mille annorum initium ab anno 313. Æ. C. auspicatur, quando Constantinus centum gloriosis edictis pacem Ecclesiæ dedit. Decem porro sequentia sæcula tanta felicitate fuisse in Ecclesia exacta dicit, ut merito appellari potuerint Sanctorum regnum usque ad finem Sæculi XIII. in quo Thraces imperante Orcano Ottomani filio Ecclesiam devastare cœperunt; quam calamitatem aliæ postea consecutæ sunt, exortis paullo post Wicleff, aliorumque Novatorum hæresibus. Hanc Grotii interpretationem Bossuetus rejicit, tum quia multo ante Sæcul. XIII. Mahumeti successores magnas Ecclesiæ clades intulere; tum etiam quia ante Wiclefum hæreses Albigensium atque Waldensium multo funestiores Ecclesiæ fuerunt; ut nihil dicamus de Arianis, Macedonianis, Pelagianis, Nestorianis, Eutychianis, Monothelitis, Iconomachia, aliisque hujusmodi pestibus, quibus Sæculo IV. & seq. Ecclesia diu, multumque agitata fuit. Putat igitur Bossuetus, initia hujus regni melius posse a Christi resurrectione desumi; ex tunc enim Ecclesia nova semper in dies incrementa cepit, dirissimis persecutionibus, atque pestilentissimis hæresibus nequidquam obstantibus, usque ad Sæcul. X. quod eruditissimo huic viro videtur epocha cujusdam Ecclesiæ decrementi. Tunc enim totus Oriens fœdissimo schismate ab Ecclesia defecit, anno scilicet 1050. Leone IX. Rom. Pont., Patriarcha autem Constantinopolitano impio Mich. Cerulario. Magna etiam tunc cœpit Ecclesiasticæ disciplinæ relaxatio, quæ major semper postea facta est: quas Ecclesiæ calamitates semper aliæ, & aliæ usque ad nostra tempora consecutæ sunt.

nus, cui de hujus regni veritate adeo persuasum fuit, ut plane hæreticorum loco haberet, quicumque repugnare auderent. *Ego autem*, inquit in Dial. cum Tryphone n. 80., *& si qui recte in omnibus sentiunt Christiani, & carnis resurrectionem futuram novimus, & mille annos in Jerusalem instaurata, & exornata, & dilatata, sicut Prophetæ Ezechiel, & Isaias, & alii promittunt*. Quarto Irenæus Sæc. II. multis adductis scripturarum testimoniis (Lib. V. cap. 32. & seq.) totus est in eadem confirmenda sententia. Quinto eidem consensisse etiam S. Polycarpum ex eo conjicere possumus, quod hic fuerit Papiæ contubernalis, & S. Irenæi magister (apud S. Irenæum mox laud.). Sexto non minus firmiter huic sententiæ adhæsit Tertullianus, qui sæculis II. & III. magna doctrinæ laude in Ecclesia Africana florebat. Hos postea secuti sunt sæculo III. Nepos Ægypti Episcopus, & Victorinus Petaboniensis (apud S. Hieronymum in Cap. XXXVI. Ezechielis); sæculo autem IV. Lactantius Lib. VII. *Divin. institut.* cap. 24., Commodianus in Libro *Instructionum*, & Severus Sulpitius apud S. Hieronymum loco cit. Jam vero si hæc traditio non est, quæ ab Apostolorum ducta temporibus apud præcipuos græcæ, latinæque Ecclesiæ Patres servata fuit, quænam erit alia? Sane S. Hieronymus in Cap. XIX. Jeremiæ, horum Patrum auctoritate commotus inquit, *quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum, & Martyres ista dixerunt, & unusquisque in suo sensu abundet; & Domini reserventur judicio*.

237. Resp. Quanquam negari non potest, hanc de millenario in terris regno opinionem multorum Patrum animis insedisse; eam tamen in veri nominis traditionibus haud esse numerandam (*a*). Illud enim ex Vincentio Lirinensi *Commonit. I.* n. 2., ad veram pertinet traditionem, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus traditum est*; vel ex S. Augustino Lib. II. *de Baptismo contra Donatistas, quod per universam custoditur Ecclesiam*. At vero millenarii regni apud plures, & antiquos Ecclesiæ Patres nulla prorsus est mentio, ut apud S. Clementem Rom., apud Ignatium, Polycarpum, Clementem Alexandrinum, Cyprianum, aliosque. Insuper non pauci huic opinioni, tanquam judaicæ fabulæ totis viribus reluctati sunt, ut Cajus, Dionysius Alexandrinus, Origenes, Eusebius, Hieronymus, Augustinus. Multo autem minus dici potest, hanc opinionem semper in Ecclesia obtinuisse; sensim enim decrevit, ita ut adulto sæculo IV. generali fere omnium Ecclesiæ Patrum consensu fuerit explosa. Sed præcipuos Chiliasmi patronos breviter examinemus.

238. Ut nihil de Cerintho semi-Judæo, & hæretico dicam, Papias primus inter Patres hujus fabulæ disseminator, ut conjectatur Eusebius Lib. III. *Hist. Eccl.* cap. 39., *ita opinatus esse videtur, ex male intellectis Apostolorum narrationibus ... fuit enim mediocri ingenio præditus*, cujus proinde auctoritas non potest cum aliis Patribus longe gravioribus conferri.

239. Neque vero refert, quod idem Eusebius ibidem cap. 39. eum vocaverit *sua ætate celebrem, virum imprimis disertum, & eruditum, ac Scripturarum peritum*; hoc enim elogium, si vere Eusebii est, & non potius ab imperito scholiaste assutum, ut auspicatur Valesius, non evincit, ipsum fuisse tam acri ingenio, ut non potuerit hac in re a Cerinthi asseclis decipi, qui se Apostolorum discipulos jactabant.

240. Neque etiam certum est, Papiam fuisse S. Joannis Evangelistæ auditorem; Eusebius enim potius credit, eum fuisse discipulum alterius Joannis, qui *Senior* nuncupabatur: & scite observat, Papiam nullibi se dicere Apostolorum *spectatorem, atque auditorem*, sed ab eorum *familiaribus normam fidei se accepisse testatur*. Hæc prima traditionis, quæ prætenditur, millenarii regni origo, ut sæpe laudatus Eusebius notat, *plerisque ecclesiasticis scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate sententiam suam tuentibus* (*b*).

241. De auctore autem librorum Sybillinorum non est cur multa dicamus; saniorum enim Criticorum judicio plures similes fabulas collegit, quas emunctioris naris viri exsibilant. Vid. Nat. Alexander in Sec. I. Dissert. I., & Rem. Ceillier Tom. I. *des Aut. Eccles.* p. 532.

242. Post Papiam primas certe partes in defendendo Millenario regno tenet S. Justinus, qui tamen contrariam sententiam, quam apud multos catholicos viguisse fatetur, minime reprehendere ausus est. Ita enim loquitur in *Dial. cum Tryphone* n. 80.: *at multos rursus, eosque ex illo Christianorum genere, quod piam, & puram sequitur sententiam, id non agnoscere tibi significavi*. Neque audiendus est Josephi Medus, fanaticus Apocalypsis interpres, qui putavit, deesse hic particulam aliquam negativam, & legendum, *quod piam, & puram non sequitur sententiam*: præterquam quod enim id est contra omnium codicum probatorum fidem, etiam prorsus inverisimile videtur, voluisse S. Justinum contrariæ sententiæ patronos hæreseos insimulare.

243. Quod autem subdit: *ego autem, & si qui* re-

(*a*) Multoque minus ferendus est Henr. Dowellus, dum in Dissert. XI. *Cyprian.* §. 20. videtur asserere, omnes priorum sæculorum Christianos fuisse huic opinioni addictos.

(*b*) Mitto opinionem Auctoris du *Traité de la fin du monde* contendentis, Papiam millenarii erroris disseminatorem esse a Papia Hierapolitano Episcopo diversum, cum nulli sit satis solido fundamento innixa,

recte in omnibus sentiunt &c. duo continet, probe distinguenda; primo futuram esse carnis resurrectionem, & hoc ad fidei dogma pertinet: alterum, mille annos in urbe Jerusalem ædificata, exornata, & amplificata transigendos, & hoc in opinione hominum tunc situm erat; ita ut verba illa: *qui recte in omnibus sentiunt Christiani*, solum ad carnis resurrectionem referantur, quam nonnulli Justini ævo perperam, & ex errore negabant; non autem referuntur ad regnum mille annorum. Id constat ex verbis supra allegatis: *at multos rursus, eosque &c.*, ubi pios, & puros Christianos sibi refragari fatetur. Id ipsum confirmatur ex textu græco, in quo deest illa particula *sicut*, & tali cum interpunctione legitur: *ego autem, & si qui recte in omnibus sentiunt Christiani, & carnis futuram resurrectionem scimus, & mille annos in Jerusalem ædificata, & ornata, & amplificata Prophetæ Ezechiel, & Isaias, & alii promittunt* (*a*).

244. S. Irenæus Papiæ commentis nimiam habuit fidem; scribit enim cap. 23. „ Presbyteros, „ qui Joannem discipulum Domini viderant, audisse se ab eo, quemadmodum de temporibus „ illis docebat Dominus, & dicebat: venient dies, „ in quibus vineæ nascentur, singulæ decem millia palmitum habentes, & in uno palmite dena „ millia flagellorum; & in unoquoque flagello „ dena millia botruum; & in unoquoque botro „ dena millia acinorum; & unumquodque expressum habebit vigintiquinque metretas vini: & „ cum apprehenderit aliquis Sanctorum botrum, „ alius clamabit: botrus ego melior sum, me sume, per me Dominum benedic. Similiter & „ granum tritici decem millia spicarum generaturum, & unamquamque spicam habituram decem millia granorum, & unumquodque granum „ quinque bilibres similæ claræ mundæ. “ Hæc Irenæus ex quarto libro Papiæ *de interpretatione Dominicorum oraculorum* hausit, Papias autem ex spuriis Cerinthianorum, Judæorumque traditionibus (*b*).

245. De Polycarpo mera est suspicio, haud satis gravi fundamento innixa; cum in ea, quæ superest, ejus epistola ad Philippenses, nedum nullum Chiliasmi vestigium appareat, sed potius catholica Ecclesiæ doctrina de immediata gloriæ retributione, quæ cum Chiliastarum figmentis cohærere non potest, non obscure tradatur his verbis n. 9.: *persuasi, quod hi omnes, Paulus, Ignatius, Zozimus, & Rufus in vacuum non concurrerunt, sed in fide, ac justitia, & quod in debito sibi loco sint apud Dominum, cum quo & passi sunt*.

246. Tertullianus ex falsis Montanistarum visionibus in hac millenarii regni opinione confirmatus est, putans, Jerusalem divini operis esse de cœlo deferendam, ejusque effigiem jam in aere ostensam. *Constat enim*, inquit Lib. III. *contra Marcionem* cap. ult., *Ethnicis quoque testibus, in Judæa per dies quadraginta matutinis momentis, civitatem de cœlo pependisse, omni mœniorum habitu evanescente de profectu diei, & alias de proximo nullam*. Ceterum Pamelius (in nota ad cap. 30. Libri *de Animæ*) non sine ratione miratur, Tertullianum in Chiliastarum deliria incidisse, tum in Lib. *de anima* cap. 30. similem fabulam, quam Plato (Dial. X. *de Republ.*) cuderat, acute exploserit.

247. Nepotem feliciter confutavit Dionysius Alexandrinus Patriarcha, atque ut supra monuimus num. 205. veram sententiam in concilio confirmavit, Millenariis plane convictis, atque ad sanitatem reductis.

248. De Victorino Petabonienst res dubia est; nam in Comment., qui nunc supersunt super Apocal. p. 441. hæc habentur: *audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant* (*c*).

249. Lactantius vero non multum ponderis addit Millenariis, cum ex suppositiis Sybillinis libris suam sententiam dosumpserit, hæc etiam addens: *qui erunt in corporibus vivi, non morientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, & erit soboles eorum sancta, & Deo chara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ii præerunt viventibus velut judices. Gentes vero non extinguentur omnino, sed quædam*

(*a*) Maurinus Editor S. Justini retinendam esse putat particulam *sicut*. Bossuetus tamen in c. XX. Apocal. eam vitio interpretis tribuit. Certe in græco textu deest, qui sic habet: *ἐγὼ δὲ, καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα, καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ καὶ κοσμηθείσῃ, καὶ πλατυνθείσῃ, οἱ προφῆται Ἰεζεκιὴλ καὶ Ἠσαΐας, καὶ οἱ ἄλλοι ὁμολογοῦσιν*.

(*b*) Hoc Irenæi Capitulum 33., & quatuor alia sequentia fuerunt ab aliquibus suppressa, quia Millenariis favebant; sed ea postea restituit Fevardentius. Hunc S. Patrem ab errore Millenariorum purgare conati sunt Bellarminus Lib. I. *de Sanct. beatit.*, & Fevardentius in scholiis; sed non felicibus avibne, ut ait Renatne Massuetus Dissert. III. art. 10. num. 121.; qui tamen observat, Irenæum a communibus aliorum Chiliastarum placitis primo in eo discessisse, quod terreni hujus regni tempora nunquam definierit; nec unquam illo Apocalypseos loco abusus sit, *& regnabunt cum illo mille annis*: deinde quod Martyribus gloriam cælestem statim concedi putaverit Lib. IV. cap. 33. demum quod non omnes Beatos in cœlo futuros esse putaverit, sed aliquos in Paradiso terrestri, alios in civitate Jerusalem instaurata, & renovata; atque ita explicat mansiones diversas in domo Dei; concludit tamen, *ubique Deum videri, quemadmodum digni erunt videntes eum*.

(*c*) In Tomo I. *Biblioth. Patrum* edit. Parisiensis. Aliqui tamen, ut Sixtus Senensis, Tillemontius, & Ceillier, hunc locum corruptum esse putant, & expunctis iis, quæ Millenariis favebant, hæc fuisse aliena manu intrusa.

dam relinquentur in victoriam Dei, *ut triumphentur a justis*, *ac subjugentur perpetuæ servituti*. Ita facile est fabulis addere fabulas.

250. In dialogis, quos nunc habemus, Sulpitii Severi, nihil est, quod errorem Millenariorum redoleat. Immo idem Sulpitius in epist. II. de S. Martino loquens, cum minime lugendum esse dicit, *cui post evictum*, *triumphatumque sæculum nunc demum reddita est corona justitiæ*; quæ cum Millenariorum systemate haud facile conciliari queunt. Quamobrem aut Sulpitius sententiam mutavit, aut S. Hieronymus deceptus est (*a*).

251. Idem vero S. Hieronymus nullam Millenariorum opinioni notam inurere voluit, cum unanimis sua ætate non esset hac de re Doctorum consensus; eam tamen aliquando *Judaicam traditionem*, & sæpius *fabulam* appellare non dubitavit. Vide supra num. 212.

CAPUT XII.

Ostenditur, *animabus justis*, *quibus nihil luendum superest*, *sine ulla dilatione beatificam Dei visionem concedi* (*b*).

252. Hæc propositio præjudicata jam videri poterat in Concilio Lugdunensi anno 1274. sub Gregorio X. his verbis, quæ habentur in professione fidei: *Credimus ... illorum animas*, *qui post baptisma susceptum nullam omnino maculam incurrunt*, *eas etiam animas*, *quæ post contractam peccati maculam*, *vel in suis corporibus*, *vel iisdem exules corporibus sunt purgatæ*, *in cœlum mox recipi*; quæ ipsissima verba fuerunt a Rom. Pontificibus Clemente IV., Joanne XXII., & Clemente VI. usurpata (vid. Rainaldus ad annos 1267. num. 76., 1318. num. 10., 1321. n. 11., & 1351. num. 6.): unde etiam S. Thomas I. P. q. 64. art. 4. ad 3. contrariam sententiam aliquorum dicentium, *usque ad diem judicii differri pœnam sensibilem tam dæmonum*, *quam animarum*; *& similiter beatitudinem Sanctorum differri usque ad diem judicii*, non dubitavit *erroneam* appellare.

253. In ratum tamen, ac universale dogma fidei id non transivit, nisi postquam Benedictus XII. anno 1336. solemni sua Constitutione, quæ incipit *Benedictus Deus*, quæstionem hanc longo, maturoque examine discussam definivit, & Concilium Florentinum sub Eugenio IV. anno 1439. in decreto *Unionis* recitatis supra Concilii Lugdunensis verbis hæc alia adjecit: *& intueri clare ipsum Deum trinum*, *& unum*, *sicuti est*. Hoc ipsum pro inconcusso fidei dogmate habuit Concilium Tridentinum, dum sess. XXV. *de invocat. Sanct.* ait: *illos vero*, *qui negant*, *Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes*, *invocandos esse* ... *jam pridem damnarit*, *& nunc etiam damnat Ecclesia*.

254. Prob. autem hoc catholicorum dogma primo ex sacris litteris. Sanct. Paulus 2. Corinth. V. 6.; *dum sumus in corpore*, inquit, *peregrinamur a Domino* (*per fidem enim ambulamus*, *& non per speciem*): *audemus autem*, *& bonam voluntatem habemus*, *magis peregrinari a corpore*, *& præsentes esse ad Dominum*. Ex his verbis, ut post Sanctum Thomam Lect. II. in hunc locum observat Estius in *Comment.*, duplici argumento probatur, visionem beatificam statim post mortem animabus justis concedi. Nam primo Apostolus cupit peregrinari a corpore, hoc est rebus humanis eximi, ut præsens sit ad Dominum, quod idem est, ac beatifica Dei visione frui, eo plane sensu, quo idem Apostolus 1. ad Thessal. IV. 16. dicit, justos rapiendos in aera obviam Christo, subdens: *& sic semper cum Domino erimus*. Secundo innuit, corpore soluto, non amplius per fidem nos ambulaturos, sed per speciem, hoc est, ut alibi etiam clarius idem Apostolus loquitur, visuros nos Deum non amplius per speculum, & in ænigmate, *sed facie ad faciem*. Hinc S. Gregorius Magnus Lib. IV. *Dialogorum* cap. 25. *Qui Christum*, inquit, *in cœlo esse non dubitat*, *nec Pauli animam in cœlo esse negat* (*c*).

255. Prob. secundo ex sanctis Patribus cum græcis, tum latinis. Et primo Ipse S. Justinus, quanquam Millenariorum errori adhæserit, ut tamen observat P. Maranus ejus editor in Præf. P. II. cap. 12. num. 1., in utraque *Apologia* animas Sanctorum beatifica visione Dei statim perfrui declaratum ...

(*a*) Confer Hieronymum de Prato Dissert. V. in Sulpitium Severum Tomo I. Operum ejusdem Sulpitii edition. Veronensis anno 1741. pag. 259.

(*b*) Fuisse olim, qui de hac re dubitarent, clanculum tamen, testatur Aliquinus inquiens: *Est quoque in quibusdam clancula dubitatio*, *an animæ S. Apostolorum*, *& Martyrum*, *aliorumque perfectorum ante diem judicii in cœleste recipiantur regnum*. Epist. 97. in nova editione curata a Frobenio Abb. ac S. Emmerammum Ratisbonæ 1777.; in ver. autem edit. Andr. Quercetani Epist. 81. Insignis hic vir Anglus floruit sæc. VIII. magna doctrinæ, & pietatis laude.

(*c*) Addunt aliqui celebrem promissionem Christi Domini latroni pœnitenti Lucæ XXIII. 43. *Hodie mecam eris in Paradiso*. Sed Petavius non paucis adductis veterum testimoniis Lib. VII. *de Deo* cap. 14. non satis ex eo loco probari putat, Sanctos post exitum a corpore ad Dei visionem admitti. Etiam S. Jo. Chrysostomus apud S. Th. in *Catena aurea* dicit, quosdam sic legisse: *dico tibi hodie*, *mecum eris in paradiso*. Multi tamen hac Christi promissione utuntur ad dogma Catholicum de immediata gloriæ retributione comprobandum, ut Card. Bellarminus Lib. I. *de Sanct. beatit.* cap. 3., Muratorius *de Paradiso* cap. 14., Estius in Comment. ad hunc loc.; Catechismus Rom. P. I. *de Symbolo* cap. 6. art. 5. num. 6., & Benedictus XIV. *De Festis D. N. J. C.* n. 288., & seqq.

clarat. Idemque dicendum de Sancto Irenæo, saltem respectu Martyrum. Præterea Methodius Tyrus, quanquam & ipse Millenariorum erroribus implicitus, *fluxa*, inquit, *brevique vita dissoluta, habemus apud Deum habitationem*. (Apud Photium in *Bibliotheca* cod. 234.)

256. S. Gregorius Nazianzenus in Orat. X. (modo XI.), quam in laudem fratris sui Cæsarii scripsit, bene de ipsius salute ominans, inter alia dicit, *eum penetrasse cœlum, & magno Regi assistere, & emicante inde lumine compleri*. Gemina habet de sorore sua Gorgonia, & de S. Basilio Orat. XI. & XX., (in nova edit. VIII. & XLIII.)

257. S. etiam Gregorius Nyssenus de Pulcheria filia Theodosii senioris, *hinc avulsa est planta*, inquit, *verum in paradiso consita; a regno in regnum translata est; quam pulcher ille oculus est, qui Deum conspicit!* pro certo scilicet habens, Sanctos, de quorum numero Pulcheriam esse sperabat, illico beatifica Dei visione frui.

258. S. Jo. Chrysostomus in Orat. de S. Philogonio de sanctis loquens, *Deum*, inquit, *vident omnes, quantum capere possunt, tum præsentem, tum splendore majestatis suæ omnes, qui cum eo sunt, collustrantem*.

259. Immo in tota Ecclesia id fuisse semper creditum, liquet ex Menologio, in quo Sanctos vita functos in cælo Trinitati assistere dicitur. Sic ex. gr. de Basilio scriptum est: *Basili sapiens, qui assistis Trinitati*: non est autem putandum, Sanctos assistere Trinitati instar cæcorum, qui nihil vident.

260. Ex latinis autem Patribus nemo clarius hoc catholicum dogma de immediata visionis beatificæ concessione tradidit, quam S. Cyprianus, qui in aureo suo opere *de immortalitate* totus est, ut nobis auferat dolorem mortis, cum sit transitus a miseria ad beatam vitam in cœlis. Et in *exhortat. ad Martyrium* (in fine epist. ad Fortunat.) maximam esse felicitatem ostendit, *claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur, & Christus* (a).

261. S. etiam Hieronymus in epist. ad Marcellam loquens de obitu Lætæ, *nunc*, ait, *excipitur Angelorum choris, Christum sequitur, & dicit: quæcunque audivimus, vidimus in civitate Domini virtutum*.

262. Denique, ut alios omittam, S. Gregorius Magnus non minus perspicue, quam sæpe ut ratum, constitutumque dogma tradit, animas, quibus nihil luendum superest, in cœlo ad beatam vitam recipi. Unus instar omnium sit locus ille Lib. IV. *Dialogorum* cap. 24. & 25., ubi data opera quæstionem movet, num *ante restitutionem corporum in cœlo recipi valeant animæ justorum?* Distinguit autem justos imperfectos, quibus aliquid luendum superest, a perfectis, quos nulla peccatorum macula inficit, atque hos postremos in regni cœlestis sedibus illico recipi docet (b).

263. His omnibus accedunt etiam publicæ, & communes Ecclesiæ preces, quibus aut Sanctos, tanquam cœlesti jam beatitudine fruentes, Deoque propius assistentes invocamus, aut ipsis de adepta jam æterna felicitate gratulamur. Vid. Orationes in Festo S. Ludovici, S. Henrici, Eduardi &c.

264. Ob. primo (cum Calvino Lib. III. *Inst.* cap. 25. n. 6.) S. Scriptura tam bonorum præmium, quam malorum pœnam semper ad extremam judicii diem refert. Sane Matth. XXV., ubi describitur universale judicium, plura sunt, quæ luculenter ostendunt, nullam fuisse antea factam gloriæ, vel pœnæ retributionem. Nam primo tunc segregabuntur electi a reprobis; erant ergo antea simul commixti. Secundo, dicitur regnum *præparatum* electis a constitutione mundi; nondum ergo erat collatum. Tertio, ita Judex sententiam feret: *venite benedicti &c., discedite maledicti &c.*, ac demum concluditur: *& ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*; ut constet, utrosque primo *ire*, non autem *redire*, vel ad supplicium, vel ad regnum. Idem etiam habetur in pluribus aliis Scripturæ sacræ locis (Matth. XXIV. 31. &c.), ut ferme semper merces, ac pœna ab ultima judicii die pendeat. Unde Lactantius Lib. VII. *divin. institut.* cap. 21. ita fidenter concludebat, *nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari; nam omnes in una, communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen, &c.*

265. Resp., descriptionem judicii, quæ habetur apud S. Matthæum, & in aliis S. Scripturæ locis, pertinere ad finem mundi, atque ad homines in carne resuscitatos, quorum segregatio tunc primo fieri debet, non quantum ad animas, quæ vel in ipsa hypothesi adversariorum in locis separatis degunt, sed solum quantum ad corpora, quæ mo-

(a) Nicol. Rigaltius in not. ad epist. XV., & LVI. S. Cypriani dicit, *placuisse Patribus moram omnem felicitatis acquirendæ, martyrii prærogativa abrogari, ne forte illius obtinendæ spes in judicii sive resurrectionis tempus dilata minus strenuos Christi milites faceret*. Si his verbis arbitratus est, aut minus vere fuisse immediatam Dei visionem fidelibus promissam, aut solis Martyribus id fuisse singulari prærogativa reservatum, a veritate procul dubio aberravit; neque in re theologica tanti fieri solet ejus auctoritas, quanti in profana eruditione, in qua excelluit.

(b) Multo plura cum græcorum, tum latinorum Patrum testimonia dabunt Lud. Muratorius *de Paradiso* cap. 10., & seq.; Dion. Petavius Libr. VII. *de Deo* cap. 13., & 14., & passim Theologi. De mente autem Sanct. Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, ac Bernardi postea agemus.

modo confusa sunt. Eadem ratione dicitur paratum regnum cœlorum electis, respectu corporum, non respectu animarum, quæ jam erant in possessione æternæ beatitatis; quemadmodum cum dicitur reprobis, *discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*, non efficitur, Angelos malos ante judicium extremum non torqueri igne inferni. Denique vero dicet Christus electis: *venite benedicti &c.*; reprobis autem *discedite maledicti &c.*, quia tunc primum corpore resumpto ibunt homines vel in cœlum ad regnum, vel in igneia ad mortem.

266. Eodem modo explicari debent alia Scripturæ S. loca, ut parabola zizaniorum, quæ modo simul cum tritico crescere permittuntur, post autem in consummetione sæculi ab Angelis separabuntur Matth. XIII. 24.; alia item parabola sagenæ congregantis omnia genera piscium ibid. vers. 4. sequ.; tum quod Christus discipulis suis promisit Joann. XIV. 2.: *vado parare vobis locum ..... iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, & vos sitis*; quæ omnia ad extremum judicii diem referuntur; sed homines respiciunt ex corpore, & anima compositos, non autem animas solas.

267. Lactantii auctoritas in hac materia nihil nos movet, cum Millenariorum errori addictus fuerit, & nævis non paucis, nec levibus ejus opera scateant: unde merito fuerunt a Gelasio Papa in apocryphis numerata in Concilio Romano; & S. Hieronymus epist. XXXIX. ad Paul. optabat, *ut tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit*.

268. Inst. Nullum est in sacris litteris vestigium judicii alicujus particularis, cui animæ a corporibus solutæ subjiciantur; sed ubicumque de præmio agitur, vel de supplicio, utrumque ad universele judicium refertur.

269. Resp., judicii particularis mentionem fieri saltem implicitam Lucæ XVI., ubi describitur diversa sors Lazari mendici, qui ab Angelis in sinum Abrahæ deportatus fuit, & divitis, qui sepultus est in inferno; quod utique sine judicio particulari contingere non potuit. *Quis*, inquit S. Augustinus Lib. II. *de anima, & ejus origine* cap. 4., *adversus Evangelium tanta obstinatione mentis obsurduit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahæ, & in illo divite, cujus in inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?* scilicet *judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari*.

270. Quod si aliquis contenderet, eo loco non contineri historiam, sed parabolam; inde tamen saltem colligeretur, Christum hac parabola docere nos voluisse, quid hominibus contingat post mortem, ut scilicet bonorum, vel malorum operum statim præmium referant, aut pœnam.

271. Huc etiam spectant ea Christi verba ad latronem Lucæ XXIII. 43.: *hodie mecum eris in paradiso*; & alia Spiritus Sancti Eccles. XI. 28. *facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas*: hæc enim retributio sine judicio fieri nequit (*a*).

272. Ob. secundo celebre illud testimonium Apostoli Hebr. XI. 13., ubi de Sanctis vet. testam. dicitur: *juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes*; & postea subditur vers. 16.: *nunc autem meliorem* (patriam) *appetunt, idest cœlestem*. Quibus verbis declarat Apostolus, Sanctos vet. test. ne tunc quidem, quando hæc scribebat, scilicet multo post Christi ascensionem, fuisse visionem Dei beatificam consecutos. Ac demum ita totum caput concludit: *& hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*. Quod idem est, ac aperte asserere, omnes omnino sanctos uno, eodemque tempore esse cœlesti beatitudine donandos, quod nonnisi post finem mundi fieri potest.

273. Resp. dist. Apostoli textum: si nomine *repromissionum* intelliguntur temporales promissiones terræ Chanaan, *conc.*; spirituales regni cœlestis, subdist; & has veteres justi non sunt consecuti usque ad Christi ascensionem in cælum, *conc.*; post Christi ascensionem, *nego*, saltem quantum ad visionem beatificam. Apostolus vers. 13. loquitur non de æterna cœlesti patria, sed de terra Chanaan, quam utique Abraham, Isaac, Jacob, alique veteres Patriarchæ a longe aspexerunt, & salutarunt: quamquam enim nonnulli eorum in ea habitaverunt, ut peregrini, nemo tamen eam possedit, ut dominus ante Josue.

274. Cum vero subdit Apostolus vers. 16. *nunc autem meliorem* (patriam) *appetunt, idest cœlestem*, particula *nunc* hoc loco non significat tempus, sed habet vim illationis. Nempe Apostolus, ut evincat, veteres Patriarchas non de terrena, sed de cœlesti patria fuisse sollicitos, ita ratiocinatur: Illi confitebantur, se esse hospites, & peregrinos super terram; qui autem id dicunt, significant se patriam inquirere; sed quam patriam? non certe terrenam, de qua exierunt, quia si hanc quæsivissent, habebant utique tempus revertendi: *nunc autem*, seu quod idem est, *ergo meliorem appetunt, idest cælestem* (*b*).

275. In postremis autem versiculis Apostolus loqui-

(*a*) Aliqui putant, judicii particularis mentionem fieri iis Apostoli verbis Hebr. IX. 27. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*. Sed Estius, aliique interpretes non ignobiles ea ad universale judicium referenda esse, ostendunt.

(*b*) En integrum Apostoli textum e Vers. 13. *Juxta*

quitur quidem de promissione cœlesti, sed consummata, & perfecta, quæ scilicet non animabus solis, sed corporibus quoque in extremo judicii die est retribuenda; unde etiam non dixit: *ut non sine nobis remunerarentur*, *sed consummarentur*.

276. Loqui autem Apostolum in hoc capite de duplici repromissione, terrena altera, altera cœlesti, manifestum est. Nam vers. 33. dicit, Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetas *adeptos fuisse repromissiones*: loquitur ergo de repromissionibus terrenis. Rursus cum in fine capitis de omnibus dicit: *non acceperunt repromissionem*, de alia repromissione necessario intelligi debet, nempe cœlesti, & consummata, quam omnes simul una cum corporibus recipiemus in fine mundi.

277. Dices. Hac posita interpretatione intelligi nequeunt illa verba: *Deo pro nobis melius aliquid providente*. Quid enim præ antiquis justis accipimus, si omnes simul cum corporibus coronandi sumus?

278. Resp., etiam posita Adversariorum sententia, qui volunt, beatificam visionem esse differendam usque ad judicii diem, adhuc quæri posse, quidnam Deus pro nobis melius providerit? S. Jo. Chrysostomus vult, Apostolum esse more humano locutum, ubi censentur honoratiores, qui expectantur, quam qui expectant: unde Apostolus colligebat, meliorem esse conditionem nostram, qui statim post mortem ad beatificam visionem introducimur, quam veterum justorum, qui novæ legis tempus expectare debuerunt, ut eamdem felicitatem consequerentur.

279. Ob. tertio. Idem Apostolus 2. ad Timoth. IV. 8. ita seipsum consolatur: *reposita est mihi corona justitiæ*, *quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*; *non solum autem mihi*, *sed & iis*, *qui diligunt adventum ejus*: ubi per coronam justitiæ certe intelligit non accidentalem solum, & consummatam, sed ipsam essentialem beatitudinem, quæ erat præcipuum ipsius spei objectum. Per *illam* autem *diem* intelligit diem judicii extremi, quo sensu in eadem epistola cap. I. 12. dicebat: *certus sum*, *quia potens est depositum meum servare in illum diem*, scilicet diem judicii.

280. Resp., Apostolum loqui de corona, quæ reddenda est hominibus, seu animabus simul, & corporibus, non animabus solis: *quam reddet mihi*; hæc autem non est sola visio beatifica, quæ justis statim post mortem conceditur; sed gloria consummata animæ, & corporis, quæ nonnisi in die judicii hominibus resuscitatis conferenda est. Nisi ita explicetur Apostolus, secum ipse pugnabit, cum scilicet desiderabat *dissolvi*, *& esse cum Christo*, *& peregrinari a corpore*, *ut posset esse præsens ad Dominum*. Vide sup. num. 254.

281. Ob. quarto. S. Joannes 1. epist. III. 2. *Scimus*, inquit, *quoniam cum apparuerit* (Christus Dominus in fine mundi), *similes ei erimus*, *quoniam videbimus eum*, *sicuti est*: ergo ante finem mundi Deum visuri non sumus.

282. Resp., duplicem esse posse illius loci sensum: primo ut verba illa *cum apparuerit* non ad Christum referantur, sed ad publicam hominum notitiam; dixerat enim Apostolus immediate antea: *charissimi*, *nunc filii Dei sumus*, *& nondum apparuit*, *quid erimus*. *Scimus*, *cum apparuerit &c.*; quasi dicat: feliciora venient tempora, in quibus apparebit, quid simus, cum nempe videntes Deum, similes quodammodo ei erimus in gloria. Secundo verba illa *cum apparuerit* possunt ad Christum judicem referri; & in hoc sensu illa verba: *similes ei erimus* sunt explicanda de gloria, qua corpus nostrum resurgens spirituale circumdabitur ad similitudinem gloriæ corporis Christi; unde illud Apostoli Pauli *Coloss.* III. 4. *cum Christus apparuerit vita vestra*, *tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*.

283. Ob. quinto. Apoc. VI. 9. & seq. dicitur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei*.... *& clamabant voce magna dicentes*: *usquequo Domine* (*sanctus*, *& verus*) *non judicas*, *& non vindicas sanguinem nostrum de iis*, *qui habitant in terra*? *Et dictum est illis*, *ut requiescerent adhuc tempus modicum*, *donec compleantur conservi eorum &c.*; quo loco significatur, animas Sanctorum non visuras Deum, donec compleatur electorum numerus, quod non erit, nisi in fine mundi.

284. Resp., S. Thomas in IV. *Sentent.* dist. 45. qu. 3. art. 3. ad 1., *illam orationem non esse aliud*, *quam eorum desiderium de obtinenda stola corporis*, *& societate Sanctorum*, *qui salvandi sunt*, *& consensum*, *quo consentiunt divinæ justitiæ punienti malos*. Dicuntur autem illæ animæ esse *subtus altare*, quia, ut exponit Estius, adhuc sunt infra conditionem gloriosi corporis Christi, nondum resumptis corporibus. Post resurrectionem autem extollentur supra altare, quia similes Christo erunt in corpore glorioso dotibus exornato. Ceterum eas ipsas animas frui visione Dei beatifica, haud obscure innuit idem S. Joannes inquiens Apocal. VII. 9.: *Vidi turbam magnam*.... *ex omnibus gentibus & tribubus*, *& populis*, *& linguis stantes ante thronum*, *& in conspectu agni &c.*

285.

fidem defuncti sunt omnes isti, *non acceptis repromissionibus*, *sed a longe eas aspicientes*, *& salutantes*, *& confitentes*, *quia peregrini*, *& hospites sunt super terram*. *Qui enim hæc dicunt*, *significant*, *se patriam inquirere*. *Et si quidem ipsius meminissent*, *de qua exierunt*, *habebant utique tempus revertendi*. *Nunc autem meliorem appetunt*, *idest cœlestem*; *ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum*; *paravit enim illis civitatem*.

285. Ob. sexto. In Libro secundo Machabæorum XII. 44. de Juda Machabæo dicitur: *nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis:* putabat ergo Judas, qui non tantum dux, sed & Pontifex erat, totam animæ felicitatem a corporis resurrectione pendere: ergo &c.

286. Resp., Judam Machabæum eo loci sperasse resurrectionem animarum, pro quibus preces & sacrificia offerebat, a pœnis purgatorii; unde concludit: *sanctu ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Non autem ille locus intelligi potest de resurrectione corporis, pro qua nullæ necessariæ sunt, immo nec offerri solent preces, & sacrificia.

287. Ob. septimo, Ut S. Thomas recte docet I. P. quæst. 64. art. 4. ad 3., eodem modo sentiendum est de justorum mercede, quæ sita est in Dei visione beatifica, ac de impiorum pœna; atqui hæc non infligitur ante diem judicii; ergo &c. Prob. min. cum ex sacris litteris, tum ex sanctis Patribus. Nam primo S. Petrus 2. epist. II. 4. inquit: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari* (*a*). Cui simile est illud Judæ in sua epistola canonica dicentis vers. 6.. Angelos malos *in judicium magnæ diei vinculis æternis sub caligine reservari*. Præterea Dæmones apud Matth. VIII. 29. clamabant: *quid nobis, & tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos:* ante tempus, hoc est *ante diem judicii*, ut explicat S. Augustinus Lib. VIII. *de civit. Dei* cap. 23. Lucæ etiam VIII. 31. Dæmones rogabant Christum, ne imperaret in abyssum ire.

288. Idem tradunt sancti Patres. Nam primo S. Justinus in utraque *apologia* non dicit: *torqueri dæmones*, sed *torquendos*. Secundo, S. Irenæus Justini auctoritatem allegans Lib. IV. *Hist. eccl.* cap. 18.) *bene*, inquit, *Justinus dixit, quoniam ante Domini adventum nunquam ausus est Satanas blasphemare Deum, quippe nondum sciens suam damnationem* (*b*). Tertio S. Augustinus Lib. VIII. *de civit. Dei* cap. 23. dæmones tempore judicii dicit *æterna damnatione puniendos cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur, sicut Religio loquitur, quæ nec fallit*, nec *fallitur*. Quarto. Consentiunt Ss. Ambrosius *Comment.* in cap. VIII. Lucæ, Hieronymus, & Chrysostomus in cap. VIII. Matth., Gregorius Magnus Lib. IV. *Moral.* cap. 10., aliique apud Bellarminum Lib. I. *de beat. sanct.* cap. 6., & Petavium Lib. III. *de Angelis* c. 4. Quod autem de dæmonibus dicitur, pari jure ad ceteros reprobos extendi potest.

289. Accedit, quod Ecclesia ipsa in Missa pro Defunctis sic Deum orat: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum &c.* Quæ sane oratio supervacanea esset, si animæ defunctorum statim post mortem præmium, vel pœnam consecutæ essent.

290. Resp. primæ difficultati neg. min. Primum autem locum ex secunda epist. S. Petri, & alterum ex epist. S. Judæ communiter explicant Theologi de pœna quadam adventitia, & accidentali, quæ dæmonibus post extremi judicii diem reservatur, quando ipsis potestas omnis nocendi ablata fuerit, & quando ab Angelis, & hominibus condemnabuntur, quæ pœna erit superbis illis spiritibus acerbissima.

291. Similiter etiam de pœna accidentali intelligendæ sunt eæ dæmonum querelæ: *venisti huc ante tempus torquere nos;* quatenus Christus Dominus eos cogebat ab obsessis corporibus exire; multoque magis, quia mox erat sua morte totum genus humanum ab eorum tyrannide liberaturus: unde Evangelista Marcus eam ipsam dæmonis querelam referens, causam etiam subjungit capit. V. 8.: *dicebat enim illi: exi spiritus immunde ab homine*. Idem habet etiam S. Lucas c. VIII. 28. & 29. Porro querebantur dæmones, hoc fieri ante tempus; neque enim tam cito suum imperium abrogandum esse putabant: *quod futurum quidem, sed tardius ominabantur*, inquit S. Augustinus Lib VIII. *de civit. Dei* cap. 23. Illud etiam Lucæ VIII. 31. *rogabant illum* (Jesum), *ne imperaret illis, ut in abyssum irent*, explicat S. Thomas I. P. qu. 64. art. 4. ad 3., quod scilicet pœnam sibi reputabant, excludi a loco, in quo possent hominibus nocere.

292. Eodemque sensu explicanda sunt testimonia sanct. Patrum, de majori scilicet pœnarum incremento, quod ipsis accedet post ultimi judicii diem. Quod si qui durius locuti sunt, quam ut possint eorum verba emolliri, ab iis modeste recedendum erit. Ita de Justino, Irenæo, Lactantio, Eusebio, Epiphanio, & Œcumenio pronunciat Estius (*c*).

293. Ceterum quidquid sit de dæmonibus, de quorum pœna fortasse non adeo clare S. Scriptura loquitur, impios terræ homines statim post mortem æternis flammis damnari, luculenter nos docet

(*a*) Hic locus clarior reddi potest ex textu græco, qui sic habet: Ὁ Θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου παρέδωκεν εἰς τηρουμένους. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed catenis caliginis detrudens in tartarum tradidit in judicium servatos*.

(*b*) Satanam ante Christi adventum non fuisse de æterna sua damnatione omnino certum, etiam S. Epiphanius opinatus esse videtur *Hæresi* XXXIX. quæ est *Sethianorum* §. 8. Auctor *Carminis contra Marcionem* inter opera Tertulliani Lib. I., Isidorus Pelusiota Lib. II. Epist. 90. & Œcumenius in c. ult. Epist. S. Petri idem sensisse videntur.

(*c*) *Hæc autem Veterum opinio*, addit Petavius Lib. III. *de Angelis* c. 4. n. 20. *etsi hoc tempore recepta*

cet exemplum divitis Epulonis, ut nullus videatur dubitandi locus.

294. Neque obest, quod S. Petrus in laud. 2. epist. 11. 3. dicat etiam de hominibus peccatoribus: *novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos*. Hæc enim verba intelligi debent de pœna corporis impiorum, quæ ipsis post diem judicii reservatur.

295. Preces autem Ecclesiæ vel referuntur ad animas in purgatorio detentas; quod non incongrue dici potest *infernus*, *profundus lacus*, *os leonis &c.* attenta scilicet pœnarum atrocitate; vel possunt referri ad illud temporis punctum, quo animæ sunt de suis corporibus egressuræ: eo fere modo, quo eadem Ecclesia in nonnullis Christi Domini festivitatibus ita orat, quasi mysteria illa, quæ celebrantur, tunc primo contingerent, nec fuissent jam multo antea peracta. Sic tempore *adventus* orat: *veni Domine*, *noli tardare &c.* Nec inutiles dici possunt illæ orationes posteriores, quia Deus, ut inquit S. Augustinus Lib. XII. *de civit. Dei* c. 12., *non aliter invocantes exaudit, quam invocaturus videt* (a).

296. Ob. octavo, Christus nonnisi post corporis resumptionem ad cœlos ascendit: *quomodo ergo*, concludit S. Irenæus Lib. V. cap. 31. *magister noster non statim evolans abiit ..... sic & nos sustinere debemus definitum a Deo resurrectionis nostræ tempus &c.* quo in loco S. Irenæus contrariæ sententiæ patronos hæreseos accusare non dubitat.

297. Resp. Justos futuros esse Christo conformes in multis, sed non in omnibus. Decuit, Christum post tres dies a mortuis resurgere, aliquandiu in terris commorari, ac demum in cœlum ascendere; idque ex altissimis divinæ suæ providentiæ finibus, quanquam ille, homo simul & Deus, beatifica Dei visione nullo unquam tempore caruit. Alii justi in eo conformes Christo sunt, quod statim post mortem divinæ visionis participes fiunt, & in die judicii corpus resument configuratum corpori claritatis ejus.

298. Irenæi auctoritas nullum hac in re pondus habet, cum exploratum omnibus sit, eum Millenariorum erroribus fuisse addictum; quanquam ipse videtur putasse, saltem Martyribus privilegium immediatæ beatificæ Dei visionis fuisse concessum; inquit enim Lib. IV. cap. 33. *Ecclesia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem Martyrum omni tempore præmittit ad Patrem*.

299. Ob. nono. Ecclesia tam latina, quam græca a primis usque temporibus in suis precibus, & liturgiis orare consuevit pro omnibus sanctis, ne quidem beatissima Virgine Maria excepta, ut requiem, & gloriam consequantur; censet ergo, eos nondum beata Dei visione frui. Antec. prob. ex variis liturgiis Ecclesiæ græcæ, & orientalis, nempe Jacobi, Marci, Basilii, Gregorii theologi, Cyrilli Jerosolymitani, Epiphanii, Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, Æthiopica, & Syriaca; in quarum postrema dicitur: *Deus præsta eis* (nempe Sanctis) *requiem*, *bonamque memoriam*, *& potissimum sanctissimæ Deiparæ Mariæ* (Tomo VI. *Biblioth. Patrum*).

300. Id ipsum precabatur quondam Ecclesia occidentalis, ut videre est in antiquissimo Sacramentario, quod Card. Thomasius edidit sub nomine S. Gelasii, in liturgia B. Gregorii, in antiquis Missalibus Romanis, in Missa Mosarabica &c., atque ut patet ex Innocentio III. (cap. *cum Mar-*

non est, quia dæmones damnationis suæ pœnos omnes expendere, quæ quidem essentiales vocantur, Theologi fere omnes sentiunt, non est tamen erroris, nedum hæresis accusandus qui asserat, diabolum, & ejus angelos nondum extremo, ac summo supplicio cruciari, sive ignis efficientiam illam experiri, in quo damnationis illorum, quod ad sensum, & perpessionem attinet, summa consistit ... Nam neque Scriptura, neque Concilium ullum hactenus docuit, dæmones extrema illa supplicia perpeti, quæ parata iis esse Judex ipse dicit.

Jo. Cadonici in opere, cui titulum posuit: *D. Aurelii Augustini quæ videtur sententia de beatitate Sanctorum &c.* c. 7. longius progressus nonnullis argumentis probare nisus est, *dæmones nondum in inferno sepultos, fortasse non torqueri pœna sensibili ignis materialis; ipsis autem, sicc non damnatis hominibus probabilius nonnisi in fine sæculi hoc etiam accessurum supplicium*. Hæc tamen doctrina aperte refellitur a S. Thoma, qui in II. *Sentent.* Dist. 6. art. 3. ad 6. inquit: *Quidam dicunt, pœnam sensibilem ipsorum dæmonum dilatam esse usque ad diem judicii. Sed hoc videtur esse & contra Sanctorum auctoritates; & contra rationem divinæ justitiæ, quæ statim animas damnatorum pœnæ infernalis ignis adjudicat, quarum tamen peccatum non est majus peccato dæmonum.* Et 1. P. quæst. 64. art. 4. ad 5. *Aliqui dixerunt, usque ad diem judicii differri pœnam sensibilem, tam dæmonum, quam animarum, & similiter beatitudinem Sanctorum differri usque ad diem judicii; quod est erroneum, & repugnans Apostoli sententiæ 2. Corinth. V.: Si terrestris domus nostra &c. Alii vero licet hoc non concedant de animabus, concedunt tamen de dæmonibus. Sed melius est dicendum, quod idem judicium sit de malis animabus, & malis Angelis; sicut idem est judicium de bonis animabus, & bonis Angelis &c.* Vid. Estius in Lib. II. *Sent.* dist. 6. Paragr. 13. & 14. Fatendum est tamen, nullam de dæmonum pœna esse Ecclesiæ definitionem; nam in Concilio Florentino solum definitum fuit, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*. Etiam Benedictus XII. in sua Constit. *Benedictus Deus* solum definiverat, *animas decedentium in actuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descendere, ubi pœnis infernalibus cruciantur*.

(a) Vid. Bellarminus Libro II. *de purgatorio* capit. 5., Theophilus Rainaudus in *Heteroclitis Spiritual.* Sect. 3. puncto 2. quæst. 6., & Joann. Bapt. Thiersius *de superst. circa Sacram.* Libro V. cap. 10.

Marthæ Lib. III. *Decret.* tit. 41. *de celebr. Missar.* c. 6.) in die S. Leonis olim dicebatur: *Annue quæsumus Domine, ut animæ S. Leonis hæc prosit oblatio.* Immo nunc etiam in Orat. secreta ejusdem festi dicitur: *ut per hæc pia placationis officia & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet;* & in aliquibus *Collectis* post communionem ita oramus: *Sumpsimus, Domine, sancta mysteria, quæ sicut sanctis prosint ad gloriam, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam.* Aliæ similes preces invenientur apud Witasse Dom. I. q. XI. sect. 5. & Nic. l' Herminier Tomo I. pag. 167. edit. Ven. 1761.

301. Resp. in liturgiis, aliisque Ecclesiæ precibus orari pro omnibus defunctis, sed non eadem ratione; videlicet, ut S. Augustinus jamdiu observavit in *Enchiridio* cap. 110. iis, qui purgatorii pœnis nondum expiati sunt, Ecclesia precatur plenam peccatorum veniam, & cœlestem gloriam: pro Sanctis vero, qui jam beata Dei visione fruuntur, gratias Deo reddit, iisque cupit gloriam aliquam accidentalem, ut nempe eorum cultus propagetur, & augeatur. *Cum Sacrificia*, inquit laud. S. Pater, *sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis omnibus defunctis offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt.* Hinc etiam antiqua Ecclesia eodem S. Augustino teste Serm. 149. *de verbis Apostoli*, Martyrum, de quorum corona jam certa erat, non *propitiatoriam*, sed *eucharisticam, & gratulatoriam* faciebat mentionem; *injuria est enim*, inquit S. Pater, *pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

302. Hinc etiam Concilium Tridentinum sess. XXII. de *Sacrificio Missæ* cap. 3. de Sacerdote Missam in honorem Sanctorum celebrante inquit, „ Deo de illorum victoriis gratias agens eorum „ patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis interce- „ dere dignentur in cœlis, quorum memoriam fa- „ cimus in terris. *Et multo antea Innocentius* „ *III. laud. supra cap.* cum Marthæ. Cum sa- „ cræ scripturæ, *inquit*, dicat auctoritas, quod „ injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, „ idem est ratione consimili de Sanctis aliis sen- „ tiendum... Unde quod in plerisque orationibus „ continetur, prosit... huic Sancto ad gloriam, „ & honorem, ita sane debet intelligi, ut ad hoc „ prosit, quod magis ac magis a fidelibus glori- „ ficetur in terris, aut etiam honoretur. *Quapropter ibid. etiam observat, recte fuisse im-* „ *mutatam orationem pro festo S. Leonis, &* „ *cum prius diceretur:* annue nobis Domine, ut „ animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio; „ *fuisse postea ita positum:* ut intercessione bea- „ ti Leonis hæc nobis prosit oblatio. “

303. Cum autem in liturgia Syrorum, vel in aliqua alia dicitur: *Deus præsta eis* (nempe Sanctis omnibus) *requiem, bonamque memoriam, & potissimum Sanctissimæ Deiparæ Mariæ*, id debet congrua distributione accipi, ut scilicet Ecclesia iis precetur veniam, requiem, & gloriam, de quorum salute nondum est omnino certa; bonam autem memoriam, scilicet honorem, & cultum Martyribus, aliisque Sanctis, potissimum autem Sanctissimæ Deiparæ Mariæ. Nisi forte requiem, quam Sanctis Ecclesia precatur, pacem esse dicamus, quam iisdem Sanctis ab iis exoptat, qui eorumdem cultum execrantes, iis quasi bellum inferre videntur (*a*).

304. Ob. ultimo. Anima non meretur sine corpore: ergo nec debet sine corpore mercedem accipere.

305. Resp. neg. cons. hoc enim animam inter & corpus intercedit discrimen, quod istud sine anima nullius felicitatis sit capax, utpote truncus inanimis; anima vero a corpore sejuncta, seipsa subsistens, & vivens illico præmii capax est. Addo, totum hominis meritum ab anima pendere, quæ corpori imperat, eoque tamquam instrumento utitur: hinc etiam merces præcipue pertinet ad animam, quæ corpore exuta maximam, atque essentialem suæ felicitatis partem habuit in beata visione Dei sitam, corpori autem conjuncta majori aliquo gaudio cumulabitur, accidentali tamen, & ex corporis gloria promanante.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex Sanctis Patribus Hilario, Ambrosio, Chrysostomo, Augustino, & Bernardo.

306. Obj. primo. S. Hilarius in Psalm. II. n. 48. homines nonnisi in extremi judicii die præmium, vel pœnam reportaturos aperte docet; inquit enim: „ judicii dies, vel beatitudinis retribu- „ tio est æterna, vel pœnæ: tempus vero mortis „ habet interim unumquemque suis legibus, dum „ ad judicium unumquemque aut Abraham re- „ servat, aut pœna; *eo plane sensu, quo Millenarii credebant*, omnes animas in una com- „ munique custodia detineri, donec tempus ad- „ ve-

(*a*) Consuli possunt de hoc argumento præter laud. Witassium, & l'Herminier, Card. Bona L. II. *Rerum liturgic.* cap. 14. & Nic. Cabasila Episcopus Thessalonic. Sæc. XIV. *Exposit. liturg. græc.* cap. 33. Illud etiam observari debet, non omnia, quæ in privatis quarumdam Ecclesiarum liturgiis continentur, esse ad litteram presse accipienda, & fuisse aliquando immutata, ut patet in exemplo supra allato Orationis in festo S. Leonis, ac demum non omnes, quæ sub nomine Apostolorum circumferuntur, liturgias esse genuinas, ut ostendunt Critici saniores, Leo Allatius in Epist. ad Bertholdum Nihusum, Card. Bona *de rebus liturg.*, Nat. Alexander in *Histor. Ecclesiast.* Sæc. I. Tillemontius, Ceillier, aliique.

„ veniat, quo maximus Judex meritorum faciat „ examen (*apud Latinum sup. n.* 264.) *Et iterum in Psal. CXX. n.* 16. *fideles omnes reservari dicit in sinu Abrahæ*, quousque ineundi rursum in regnum cœlorum tempus „ adveniat; *quorum gemina sæpe habet*. „

307. Resp. S. Hilarium in primo loco loqui de retributione plena, perfecta, & consummata tum gloriæ, tum pœnæ, quando scilicet post ultimum judicium totus homo, anima, & corpore constans, retributionem accipiet, non autem de retributione essentiali quidem, sed nondum perfecta, quæ animæ statim post mortem conceditur. Id patet ex contextu; eodem enim modo loquendum est de beatitudine, ac de pœna ex regula ab eodem Hilario tradita in Ps. LXVII. n. 4. ubi dicit: *æqua judicii cœlestis, & justa moderatio est, ut peccatores morte conficere, ita & justos lætitia munerari*. At vero S. Hilarius pro certo habuit, pœnam statim post mortem animabus impiorum infligi; immediate enim ante verba nobis objecta ad id comprobandum utitur historia evangelica divitis & mendici, inquiens: *testes nobis evangelicus dives, & pauper, quorum unum Angeli in sedibus Beatorum, & in Abrahæ sinu locaverunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeo autem statim pœna mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in supernis manerent: nihil illic dilationis, aut moræ*. Et si nihil dilationis, aut moræ in pœna est, cur erit in præmio?

308. Addo quod Lib. X. *de Trinit.* n. 34. habet de bono latrone, cui promissum fuisse dicit paradisum, *& consummatæ beatitudinis delicias*. Et rursus Lib. IX. *de Trinit.* n. 50. *cum Pater*, inquit, *velit, credentes in Filio vitam æternam habere, Filius vult, illic ubi ipse sit, esse credentes. Nisi forte cohabitare cum Christo non sit æternitas, aut non perfecta, & beata in se credentibus tribuat Christus*.

309. In secundo loco objecto S. Hilarius duplex distinxit Beatorum regnum, alterum cum Christo usque ad carnis resurrectionem, alterum æternum cum Deo: in utroque tamen vult, animas Sanctorum Dei visione beandas; explicans enim ea verba Psal. CXLII. 9. *non avertas faciem tuam a me, & similis ero descendentibus in lacum*, inquit: *ergo nisi facies Dei, qui utique Christus est, qui imago Dei invisibilis est, unicuique Sancto adfuerit, erit illis similis, qui pœnæ inferni deputati e vita hac sine spe quietis excesserint*.

310. Inst. primo. S. Hilarius docet, nonnisi in regno Dei, quod post universale judicium inchoabitur, Sanctos visione Dei esse beandos: inquit enim in Psalm. LXII. n. 5. *hoc animæ desiderium, hæc sitis spei ejus est, ut Dei sibi proveniat aspectus*. Et Lib. XI. *de Trin.* n. 39. *tradet autem*, inquit, *Christus Deo Patri regnum, & tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt*: ergo, &c.

311. Resp. S. Hilarium his locis exponere desiderium, quo Sancti flagrant, ut videant regnum Dei, quod Hilarius a regno Christi distinguebat, non quidem in eo, ut in regno Christi nulla esset divinæ essentiæ visio, sed quod non esset ita perfecta, & completa, quemadmodum erit in regno Dei. Eadem ferme ratione idem S. Hilarius in Psalm. LXV. n. 13. Christum dicit, *tunc solum in virtute sua sæculum dominaturum, cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem*; non quasi modo non dominetur, sed quia non ita perfecte dominatur, sicut dominabitur, quando evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & novissima destruetur mors, ut ipse Hilarius se ibidem explicat.

312. Inst. secundo. Idem S. Pater in Psalm. CXXXVIII. n. 20. docet, omnes animas ea esse adstrictas necessitate, ut post mortem in inferis detineantur: *humanæ*, inquit, *ista lex necessitatis est, ut consepultis corporibus, ad inferos animæ descendant; quam descensionem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit*.

313. Resp. S. Hilarium tantummodo putasse, aliquam esse legem omnibus impositam ad inferos descendendi, quemadmodum Magister, ac Redemptor noster fecit; quod etiam Tertullianus Lib. *de anima* cap. 55. aliique nonnulli veteres opinati sunt; non autem ut ibi perpetuo manerent usque ad universæ carnis resurrectionem, beatifica Dei visione orbatæ.

314. Inst. tertio. Quotiescumque S. Hilarius de statu animarum post mortem loquitur, eas solum esse in loco *quietis* asserit: ergo non in statu *visionis*.

315. Resp. Cum S. Hilarius, aliique nonnulli Patres asserunt, animas *requiescere*, non intelligunt placidam illam quietem, somno similem, qua adversarii fingunt, animas detineri usque ad resurrectionem corporum, quasi dixerim sopitas, non secus ac infecta quædam brumali tempore; sed intelligunt beatam vitam in cœlo justis promissam, de qua Apostolus inquit Heb. IV. 11. *festinemus ingredi in illam requiem*. Unde idem S. Hilarius in Psal. XCI. n. 9. *Si Christus*, ait, *Dei requies est, ergo hi, qui in Christo erunt, erunt in Dei requie*. Quid autem est in Dei requie esse, nisi ejus beatifica visione frui? (a)?

316. Obj. secundo ex S. Ambrosio, qui in Lib. de

(a) Nonnulla alia Sancti Hilarii testimonia, quæ nobis adversari videntur, uberioremque eorumdem explicationem exhibet Muratorius *de Paradiso* cap. 11. & 12. qui tamen fulgidissimum hoc Ecclesiæ Gallicanæ lumen fuisse aliquando Chiliastarum figmentis deceptum suspicatur, & illud Sancti Hieronymi dictum Epist. 107. ad Lætam: *Hilarii libros inoffenso decurrat pede*, indicare vult tenebrosam, & intricatam ejus

de bono mortis cap. 10. Tom. I. quartum librum Esdræ suppositititium secutus, primo Sanctorum animas adhuc remunerationem debitam expectare definit: ergo, inquit, *dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam*. Postea addit cap. seq. sanctarum animarum per ordines quosdam esse digestam lætitiam, & septem numerat ordines, in quibus varios felicitatis gradus constituit, nulla prorsus visionis beatificæ facta mentione: immo eam aperte excludit, dicens: *septimus vero ordo is erit, ut exultent cum fiducia, & sine ulla cunctatione confidant, & sine trepidatione lætentur, festinantes vultum ejus videre*: ergo &c.

317. Resp. primo testim. piorum animas debitam remunerationem expectare, idest perfectam, & adæquatam, quæ ad glorificationem corporis pertinet, quam nonnisi in die judicii consequentur. Sed illam remunerationem, quæ essentialis est, & in beata Dei visione consistit, Sanctorum animas jam consecutas, clare, & aperte S. Ambrosius fatetur, dum non procul a loco objecto inquit n. 49. *justi hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud, quod illuminat omnem hominem*; & epist. 59. loquens de S. Acholio Corinthiorum Episcopo, ait, *eum videre facie ad faciem manifestata lumen sine sole perpetuum*. Et Lib. X. in Lucam dicit, Petrum jam *insertum esse choro Angelorum*, qui utique semper vident faciem Dei.

318. Quidquid vero sit de septem illis ordinibus beatitudinis, quos apocrypho Esdræ libro deceptus constituit, aliquam Dei visionem in iisdem futuram S. Ambrosius inquit; de quinto enim dicit, *Sanctos exultationis uberrimæ in eo habituros suavitatem*. Quod vero addit, *in septimo ordine justos festinare vultum Dei videre*, explicari potest de immenso illo desiderio, quo Beati Deum videntes nunquam satiati eum semper magis videre desiderant; vel de perfectiore visione, quam resumtis corporibus fortasse habebunt, ut nonnullorum opinio est.

319. Inst. Idem Ambrosius Lib. II. *de Cain & Abel* c. 2. T. II. *Solvitur*, inquit, *de corpore anima, & post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri ambigua suspenditur: ita finis nullus, ubi finis esse putatur*: ergo &c.

320. Resp., hæc verba, quæ certe duriora sunt, & plus probant, quam adversarii cupiunt, nempe justorum animas futuras esse usque ad finem mundi de sua sorte incertas, ea ratione posse emolliri, ut vel referantur ad extremum illud momentum, quo homo ex hac vita egreditur, de sua sorte adhuc incertus; vel ad justos imperfectos, quos fortasse censuit Ambrosius in purgatorio esse de sua æterna sorte adhuc incertos (a). Vel demum non aliud innuere voluit Mediol. Antistes, quam vel ipsas beatas mentes latere, quandonam carnis resurrectio, quam vehementer exoptant, futura sit, dicente Christo Matth. XXIV. 36. *de die illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum*.

321. Ob. tertio ex S. Jo. Chrysostomo, qui ea S. Pauli verba 1. Corinth. XV. 19. *Si in hac vita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, ita commentatur Hom. XXXIX. in epist. 1. ad Corinth. *Quid dicis, o Paule?... Licet anima maneat, licet millies esset immortalis, ut est, bona illa ineffabilia sine corpore non accipiet, quemadmodum nec punietur... enim resurgat corpus, incoronata manet anima extra illam beatitudinem, quæ in cælis est*: ergo &c.

322. Resp. S. Jo. Chrysostomum eo loco conjungere simul beatitudinem corporis cum beatitudine animæ non tempore, sed certitudine, ut hæc sine illa esse nequeat, attenta Dei justitia, & providentia. Ita enim fere colligit S. Præsul: *æquum est, ut quoniam simul anima, & corpus in bonis, vel in malis consortes fuerunt, consortes sint etiam in præmio, vel in pœna: ergo vel anima omni præmio, & pœna carebit, vel corpus resurget*. Quod argumentum est etiam ab aliis veteribus usurpatum, ad probandam corporum resurrectionem.

323. Nisi ita explicatur hic locus, illud consequetur, etiam impiorum supplicium ad mentem S. Jo. Chrysostomi esse post carnis resurrectionem differendum, quod tamen ab ejus doctrina est omnino alienum; centies enim illum infelicem divitem commemorat, qui statim post mortem sepultus est in inferno, & in ejus flammis cruciabatur. Quod si Chrysostomus impios statim post mortem suorum scelerum pœnas luere putavit, idem potiori jure de beatitudinis præmio justis collato statuit; regula est enim apud ipsum Hom. XXXVI. in Matth., *quod non ad puniendum solum, verum etiam multo magis ad bona largienda paratus est Deus*.

324. Inst. primo. Dicit, Abraham, & Apostolum Paulum expectare, quando & nos consummati fuerimus, *ut tunc tandem possint mercedem*

orationem, quæ aliquando vel peritioribus non leve negotium facessit. Certe idem Sanctus Hieronymus in Epist. 49. ad Paulinum scribit, Hilarium *a lectione fratrum simpliciorum procul esse*. In rem nostram Vid. Præfatio ad ipsius opera §. 6.

(a) Hanc tamen sententiam falsam appellat S. Thomas in IV. *Sentent.* Dist. 21. quæst. 1. art. 1. solut. 4. ubi referens opinionem quorumdam, quod Sancti in purgatorio *sunt ita absorpti pœnis, quod nesciunt, se per pœnam purgari, sed putant, se esse damnatos*, subdit: *sed hoc est falsum, quia nisi scirent, se esse liberandos, suffragia non peterent, quod frequenter faciunt*. Ceterum de mente S. Ambrosii videri possunt præter Muratorium *de Paradiso* c. 13. & 14. Patres Benedictini in Admonitione ad cap. XI. libri *de bono mortis*, & passim Scholastici.

dem accipere Homil. XXXVIII. in ep. ad Hebræos. Ideinque prius dixerat de veteribus Patriarchis ibid. Homil. XXVIII.

325. Resp., istas, similesque locutiones cum S. Jo. Chrysostomi, tum etiam aliorum quorumdam Patrum accipiendas esse de corona totius hominis, quam anima simul cum corpore in die judicii consequetur; non autem de beatifica Dei visione, quam animabus justis jam concessam esse non dubitavit. Nam *Pauli animam versari in summo cælo*, dicit, *prope ipsum Regis solium*, *ubi Cherubim*, *& Seraphim volitant* Hom. XXXII. in epist. ad Roman. Et rursus explicans ea Apostoli verba 2. Corinth. V. 6. *Audemus autem*, *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore*, *& præsentes esse ad Dominum*, inquit Hom. X. in hunc loc. *Sensus horum verborum est hujusmodi*: *vitam nostram is non extinguit*, *qui nos oppugnat*, *ac morte afficit*: *ne timeas*, *fidentem animum præbe*, *quum concideris*, *atque obtruncaris*; *neque enim ille duntaxat te a corruptione vindicat*, *ac gravi sarcina levat*, *sed etiam ad Domini conspectum confestim transmittit*.

326. Inst. secundo. Sedes justorum sinum Abrahæ esse, ait Hom. LII. in Matth. easque *sacra vestibula* nominat ἱέρα πρόθυρα. Paradisum etiam a regno cælorum distinguit, atque in illum, non istud pium latronem introductum fuisse, censet Hom. VII. Genes.

327. Resp., quæstionem hanc esse solum de loco animarum sanctarum, & quidem parvi, vel nullius momenti. Chrysostomus, & nonnulli alii veteres Patres opinati sunt, animas quibusdam tabernaculis extra cælum interea detineri, eoque esse triumphali more deducendas, postquam fuerint suis corporibus iterum copulatæ. Non tamen putarunt, eas interim esse visione beatifica orbatas. Ab hac autem, non a loco essentialis Sanctorum felicitas dependet. Vid. Muratorius *de Paradiso* cap. 15. & 16., & Nat. Alexand. *Hist. Eccl.* Sæc. IV. cap. 16. art. 10.

328. Obj. quarto ex S. Augustino, qui in *Enchiridio* c. 109. *tempus*, inquit, *quod inter hominis mortem*, *& ultimam resurrectionem interpositum est*, *animas abditis receptaculis continet*, *sicut unaquæque digna est vel requie*, *vel ærumna*. Eadem secreta animarum receptacula alibi sæpe commemorat (Lib. XII. *de Civit. Dei* c. 9. Lib. XII. *de Genesi ad literam* cap. 35. Lib. IX. *Confessionum* c. 3. &c.) & enarrat. 1. in Ps. XXXVI. n. 10. *post vitam istam parvam*, inquit, *nondum eris*, *ubi erunt Sancti*, *quibus dicetur*: *venite benedicti &c. nondum ibi eris*, *quis nescit*? *Sed jam poteris ibi esse*, *ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus*, *& sterilis in mediis suis tormentis vidit a longe requiescentem*. *In illa requie positus certe securus expectabis judicii diem*.

329. Resp. Quidquid sit de receptaculis animarum, quod ad rem præsentem partum attinet, illud certum est, iisdem si justæ, & plene purgatæ essent, ubicumque tandem degerent, nunquam fuisse visionem Dei beatificam ab Augustino denegatam. *Ubicumque sit paradisus*, inquit S. Doctor ep. 187. c. 3. *quisquis beatorum ibi est*, *cum illo ibi est*, *qui ubique est*. Et parvulos post baptismum morientes aperte docet intrare in regnum Dei Lib. IV. cont. Julianum c. 8. Quid est autem regnum Dei, ipso interprete S. Augustino Serm. XIV. *de verbis Apost.* cap. 3. & 4. *nisi vita æterna?* Ac demum vita æterna, ut idem semper Augustinus interpretatur Tract. XXI. in Jo. n. 15. est *videre Deum*. Etiam in Ps. CXIX. idem S. Doctor de cælesti Jerusalem loquens, *ibi*, inquit, *omnes justi*, *& Sancti*, *qui fruuntur verbo Dei sine lectione*, *sine literis*; *quod enim nobis per paginas scriptum est*, *per faciem Dei illic cernunt* (n). Unde Jo. Lud. Vives hæc loca commentans apposite inquit: *non dubitat Augustinus de animarum gloria*, *etiam ante judicium*, *sed de loco gloriæ*.

330. Inst. primo. S. Augustinus diserte negat, animas Sanctorum ante judicii diem clara Dei visione fruituras. Nam Lib. I. *Retract.* c. 14. Tomo I. emendans illud, quod olim de mortuis scripserat (*de utilitate credendi* c. 11.) jam eos in ipsa possessione Dei esse, inquit: *Angeli quidem sancti*, *quod ibi sint*, *nulla quæstio est*; *sed de sanctis hominibus jam defunctis*, *utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere*, *merito quæritur*. Et post pauca: *utrum*

ad

(a) S. Thomas in IV. Sent. Dist. 45. qu. 1. art. 1. in solut. 2. ad 2. dicit: *inter illa abdita receptacula*, *de quibus Augustinus loquitur*, *etiam sunt computandi infernus*, *& paradisus*, *in quibus animæ aliquæ ante resurrectionem continentur*. *Sed ideo distinguitur tempus ante resurrectionem*, *& post*, *quia ante resurrectionem sunt ibi sine corpore*, *post autem erunt cum corpore*; *quia in aliquibus receptaculis nunc sunt animæ*, *in quibus post resurrectionem non erunt*. Et art. 2. ad 2. explicans ea verba S. August. Lib. IX. *Conf.* c. 31. *quidquid illic est*, *quod sinus Abraham vocatur*, *ibi Nebridius meus vivit*, ait: *sicut requies Sanct. Patrum ante Christi adventum dicebatur sinus Abrahæ*, *ita & post Christi adventum*, *sed diversimode*; *quia enim ante Christi adventum Sanctorum requies habebat defectum requiei adjunctum*, *dicebatur idem infernus*; *& sinus Abrahæ*; *sed quia post Christi adventum Sanctorum requies est completa*, *cum Deum videant*, *talis requies dicitur sinus Abrahæ*, *& nullo modo infernus*. Et sane non uno in loco S. Augustinus, animas Sanctorum statim in cælum recipi docet, ut Lib. II. *Qu. evang.* Qu. 38. ubi inquit: *jam sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris*, *quo post passionem resurgens assumptus est Dominus*. *Ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo*. Tom. III.

ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando inquirere. Et adhuc clarius in ap. 148. ad Fortun. c. 2. allato quodam testimonio S. Hieronymi dicentis, *non esse visuros Deum, quando de hominibus in Angelos profecerimus*, subdit: *quod erit utique in resurrectione mortuorum*. Et Ser. 328. *de diversis* c. 8. *Nondum*, inquit, *receptis fructibus suis beati sunt modo sancti Martyres, quoniam cum Christo sunt animæ eorum. Quid autem paretur illis in resurrectione, quis potest verbis explicare? Quod oculus non vidit &c.*

331. Resp. S. Augustinum in his, aliisque similibus locis non agere de visione intuitiva, quantum ad substantiam, sed quantum ad modum, ejusque perfectionem. Nempe Sanctus Doctor in ea fuit opinione, quæ, ut observat continuator Gullielmi Nangii (ad annum 1302. Tomo II. *Spicilegii*) pluribus veteribus placuit, scilicet Beatorum animas desiderio resumendi corpus aliquatenus impediri, ne toto mentis conatu ferantur in Deum; hinc visionem Dei, & beatitudinem inde promanantem multo majorem, & undequaque completam futuram post carnis resurrectionem, quando animæ corporibus unitæ a nulla prorsus re impedientur, quin tota quanta possunt intensione ferantur in Deum (a). Id clare exponit S. Doct. in laud. L. I. *Retract.* subdens: *adhuc expectant etiam ipsi redemtionem corporis sui .... sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando inquirere*.

332. Et quantum spectat ad illud testimonium S. Hieronymi, certum ex S. Augustino est, nos similes futuros Angelis etiam statim post mortem. Etenim exhortans nos ad tolerandas hujus vitæ tribulationes Serm. II. in Psalm. XXXVI. n. 16. Tom. IV. *quia pauci dies sunt tota vita hominis*, subdit: *quo labore transacto veniet regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus*. Quanquam id perfecte, & consummate non sit futurum, nisi in resurrectione.

333. Inst. secundo. S. August. in Ps. LXIII. n. 5. *illa visio*, inquit, *facie ad faciem liberatis in resurrectione servatur*; quod probat iis Apostoli verbis *Coloss. III. 4. cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Et postea concludit: *tunc ergo nobis servatur visio illa facie ad faciem, de qua & Joannes dicit 1. ep. III. 1. dilectissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus: scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*. Ubi S. Pater loquitur non tantum de visione intensiore, & perfecta, sed de visione intuitiva absolute, prout tantummodo opponitur visioni ænigmaticæ; nam visionem facie ad faciem, quam Sanctis in resurrectione reservatam dicit, opponit visioni ænigmaticæ, quam veteres Patres in hac vita habuerunt, inquiens Deo: *etiamsi tu per tuam prorsus substantiam, qua es, quidquid es, occultus es, nec per hoc quod es, interfuisti Patribus, ut facie ad faciem te viderent; tamen per quamlibet creaturam tu mandas salutem Jacobi; etenim illa visio facie ad faciem liberatis in resurrectione servatur*.

334. Resp. eodem modo S. Augustinum intelligendum esse de visione Dei intuitiva in statu suo perfecto, & intensiore. Nec refert, quod eam opponat visioni ænigmaticæ, quam habuerunt veteres Patres in hac vita; huic enim potuit S. Augustinus arbitratu suo opponere sive visionem intuitivam imperfectam, qua Sancti ante carnis resurrectionem fruuntur, val perfectissimam, quæ iisdem in resurrectione reservata est. Placuit autem fortasse S. Augustino potius hanc secundam visioni ænigmaticæ opponere, ut majus discrimen in-

(a) Hanc suam opinionem præcipue exponit S. Doctor L. II. *De Genesi ad litteram* c. 35. eamdemque approbat S. Thomas 1. 2. qu. 4. art. 5. ad 4. inquiens: *Separatio animæ a corpore dicitur retardare animam, ne tota intensione tendat in visionem divinæ essentiæ. Appetit enim anima sic frui Deo, quod etiam ipsa fruitio derivetur ad corpus per redundantiam, sicut est possibile, & ideo quamdiu ipsa fruitur Deo sine corpore, appetitus ejus sic quiescit in eo, quod tamen ad participationem ejus vellet suum corpus pertingere*. Vid. etiam ibid. ad 5. & ad 6. Sed Jo. Cadonici in suis *Vindiciis Augustinianis* c. 17. & 18. alia ratione explicandum putat testimonium S. Augustini ex epistola ejusdem ad Fortunatianum; vult nempe, S. Doctorem dixisse, *nos visuros Deum in resurrectione* in sententiam plurium veterum, putantium, Angelos habere corpora sibi unita, atque oculis corporeis videre Christi humanitatem. In hac enim hypothesi animæ Beatorum modo sunt æquales Angelis in eo, quod Deum in sua essentia *oculis mentis*, & spiritualiter videant: erunt autem post resurrectionem iterum æquales Angelis etiam in hoc, quod Deum in natura assumpta *oculis corporeis* videbunt, quomodò Deum anima separata a corpore videre non poteat. Obsarvat autem, S. Augustinum hanc de corporibus Angelorum sententiam adoptando a veritate quidem recessisse, sed multo tolerabilius errasse, quam si Millenariorum deliriis consentians visionem beatificam usque ad resurrectionem differendam esse docuisset. Nam S. Thomas Qu. XVI. *de malo art.* 1. inquit: *sive dæmones habeant corpora sibi naturaliter unita, sive non habeant, hoc non multum refert ad fidei christianæ doctrinam; dicit enim Augustinus L. XXI. de Civ. Dei c. 10. sunt quædam etiam sua dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus eisum est &c.* Sed idem S. Thomas I. P. q. 51. art. 1. ad 1. S. Augustinum corpora Angelis tribuisse dicit, *non asserendo, sed opinione Platonicorum utens*. Adisis Card. Norisium in *Vindiciis Augustinianis* c. 4. §. 10.

inter utramque appareret; quemadmodum & nos solemus uni extremo alterum extremum, quod remotius est, opponere.

335. Nisi hæc S. Augustini verba hoc, vel simili modo intelligantur, non poterunt cum catholica doctrina, quam alibi luculenter exponit, amice conciliari. Ut enim alia omittam, celebre est illud ejusdem Sancti testimonium Tract. XXXVI. in Joann. num. 16. Tom. III. *cum dixisset* (Christus): *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, continuo subjecit: & ego resuscitabo eum in novissimo die, ut habeat interim secundum spiritum vitam æternam in requie, quæ Sanctorum spiritus suscipit; quod autem ad corpus attinet, nec caro ejus vita æterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum in novissimo die.*

336. Inst. tertio. S. Pater sententiam Chiliastarum professus est Serm. 259. atqui ex ea sequitur beatæ Dei visionis dilatio: ergo &c.

337. Resp. S. Doctorem ab hac sententia postea recessisse, ut constat ex Libro XX. *de civit. Dei* cap. 7. ubi loquens de Millenariorum opinione, *quæ*, inquit, *esset utcumque tolerabilis, si aliquæ deliciæ spirituales in illo Sabbato adfuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos opinati fuimus aliquando.*

338. Ob. quinto. S. Bernardus apertius, quam omnes alii, beatam visionem Dei usque ad finem mundi differendam esse docuit. Primo enim Ser. II. in Festo omnium Sanct. Tom. III. ubi data opera agit de statu Sanctorum ante resurrectionem, ait n. 4. *consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo.* Præterea triplici eos gaudio exultare dicit: *nempe de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, & de certa expectatione futuræ consummationis.* Tertio addit ibid. Serm. III. *tres esse Sanctorum status animarum, primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata. Primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei.* Quarto ibid. Serm. IV. explicans ea verba Apocal. VI. 9. *Vidi subtus altare animas interfectorum &c. quonam igitur modo*, inquit, *super altare dixerim exultandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? Visione utique, & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius, sicut pollicitus est, semetipsum non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem, & Spiritum Sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis* (a).

339. Resp. S. Bernardum (*b*) non negare Sanctis ante diem judicii summam illam beatitudinem, quæ in Dei visione intuitiva posita est, sed duntaxat plenam illam, perfectam, ac consummatam, qua fruentur animæ iterum corporibus copulatæ, tum propter gloriam in corpus redundantem, unde dicit de Sanctis in primo loco objecto: *gaudium habituri & in ipso corpore suo*; tum quia, ut post S. Augustinus opinabatur, intensius anima Deum visura sit, postquam fuerit corpori unita, nullo amplius ejus desiderio retardata.

340. Hoc sensu intelligendum esse S. Bernardum, multis argumentis suadetur. Primo ex ipsis verbis, quibus nominat *plenam, perfectam, integram, ac consummatam beatitudinem*, illam, qua Sanctos nunc privatos existimat. Secundo in ipso Serm. III. duplicem distinguit animarum stolam: *stola prima est*, inquit, *quam diximus, felicitas, & requies animarum; secunda vero immortalitas, & gloria corporum*; & primam jam Sanctis collatam dicit: *acceperunt jam singulas stolas*; & solum secundam ipsis in die judicii reservari: *sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos*: censet ergo nonnisi gloriam corporis Sanctis deesse. Tertio alibi diserte fatetur, Sanctos Dei visione jam frui, ut proinde nimiæ inconstantiæ arguendus foret, si in locis objectis eam usque ad carnis resurrectionem differendam esse doceret. *Hauriunt*, inquit de Sanctis in Serm. III. *de diversis*, *aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti.* Et ut alia omittam, insignis est ille locus, ubi S. Bernardus de Martyribus loquens epist. 98. n. 7. Tomo I., *nostri Martyres*, inquit, *cupiunt dissolvi, & esse cum Christo, certi ubicumque est corpus, illo sine mora congregatum iri & aquilas.*

(a) Vid. Muratorius cap. 17. Jo. autem Cadonici in *Vindiciis Augustinianæ ab imputatione regni millenarii doctrinæ* ann. 1747. tum in tribus *Dialogis* ann. 1753. & in alio opere *de Augustini sententia de beatitate sanctorum ante Christi Domini descensum ad inferos* 1763. aliam ad Augustini defensionem inivit viam, contendens, S. Doctorem veris Millenariis nunquam consensisse, sed putasse solum, justos mille annis ante impios resurrecturos regnoque spiritualibus deliciis pleno in terris cum Christo fruituros, ita tamen ut beatifica Dei visione nunquam carerent; hanc autem sententiam, etsi falsam, *tolerabilem* tamen a S. Augustino dici, quia nihil continet fidei catholicæ contrarium. Ceterum sermonem 259. esse inter opera S. Augustini apocrypha, aut saltem dubia rejiciendum, quamquam a doctissimis editoribus Maurinis in genuinis annectetur Tom. V. idem Auctor censet.

(*b*) Durandus Episcopus Meldensis apud Rainaldum ad an. 1333. n. 57. S. Bernardum ab errore dilationis visionis beatificæ nulla ratione excusari posse putavit. Idem censent Petavius Lib. VII. *de Deo* cap. 14. Sixtus Senensis L. VI. *Biblioth. Sancta* an. 356. aliique non multi; major enim Theologorum pars S. Abbatem Claravallensem ab hoc errore purgat.

las. Mox inquam ibi exultant justi in conspectu Dei, & delectantur in lætitia. Ibi, benignissime Jesu, ibi statim ac de hoc sæculo nequam sanctus quisque eripitur, adimpletur lætitia cum vultu tuo. Infra autem declarat, non solis Martyribus hæc convenire, sed omnibus, qui in Domino moriuntur.

341. Dissimulandum tamen non est, postremum locum ex Sermone IV. de omnibus sanctis majorem difficultatem ingerere; cui solvendæ respondemus, animas post judicium extremum exaltandas esse super altare per visionem Dei perfectam, & consummatam. Ut enim mox observavimus, S. Bernardus post S. August. & nonnullos alios in ea erat sententia, animam desiderio corporis resumendi ab intensissima Dei visione aliquatenus retardari. Quamobrem in Serm. præcedenti ajebat: *Unde hoc tibi, o misera caro, o fœda, o fœtida, unde tibi hoc? Animæ sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant, & ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest, adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, & rugam faciat dum inclinatur desiderio corporis*.

342. Inst. S. Pater nullam aliam ante resurrectionem corporum Sanctis tribuit felicitatem, quam immunitatem a malo: *In iis* (atriis) inquit Serm. IX. in Dedicat. templi n. 5. *liberatio magis a malo, quam boni muneratio est: nisi quod dura nos nostræ necessitatis experientia cogit, absentiam mali boni cumulos æstimare; quemadmodum conscientia graviorum immunitatem criminum plenitudinem reputat sanctitatis. Hinc advertere est, quam longe agimus a summo bono, qui carere culpa justitiam, carere miseria beatitudinem judicamus*. Nihil luculentius afferri posse videtur ad probandum &c.

343. Resp. hæc non sine aliqua exaggeratione esse dicta, & si ad litterarum apicem accipiantur, nedum cum Ecclesiæ doctrina pugnare, sed cum iis ipsis, quæ S. Bernardus in eodem sermone habet. Ibidem enim antea dixerat: *in tabernaculis gemitus est pœnitentium, in atriis gustus lætitiæ, in te satietas gloriæ ... Hic primitiæ spiritus, illic divitiæ, in te plenitudo; ubi bona illa mensura conferta, & coagitata, & superfluens datur in sinus nostros*. Ut itaque S. Pater, nedum cum Ecclesiæ, sed etiam cum sua propria doctrina concilietur, ita ejus dicta intelligenda sunt, ut tota comparatio inter utrumque statum, ante, & post corporum resurrectionem in his duobus consistat: primo ut Sanctorum beatitudo ante corporis glorificationem non sit completa, nec consummata: secundo ut anima ante resurrectionem corporis imperfectiore Dei visione fruatur, retardata desiderio corporis; quæ opinio, ut jam diximus, & S. Augustini, & nonnullorum aliorum fuit (a).

344. Obj. ult. (cum Burneto *de statu mortuorum* pag. 66.) Quando laudati hactenus sancti Patres, præcipue autem Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, & Bernardus docere videntur, Sanctos jam essentiali beatitudine frui, verisimile est eos oratorio more exaggerate fuisse locutos, felicitatem, quæ in fine mundi futura est, ut jam præsentem describantes, secundum illam S. Augustini regulam epist. 187. n. 27. *multa dicuntur in Scripturis, tamquam facta sint, cum in spe adhuc esse intelligantur*. Saltem potius eis arit fides adhibenda, quando negaut, beatificam visionem statim concedi, quam cum affirmant; multæ enim ipsis esse poterant affirmandi causæ, ut consolationis argumentum haberent contra hujus sæculi tribulationes, contra mortis horrorem; & aliquando etiam contra tyrannorum persecutiones; at vero nulla alia esse poterat causa id negandi, quam evidentia veritatis.

345. Resp. si semel admittatur hæc Patrum interpretandorum regula, nullum amplius esse in Religione tam sanctum, & firmum fidei, morumque dogma in eorum operibus expositum, quod simili licentia convelli non possit. Firmissime ergo tenendum est, animas plene purgatas statim ad Dei conspectum admitti, quod sacræ litteræ, quod multi sancti Patres aperte, luculenterque tradiderunt, atque Ecclesia veritatis magistra definivit. Quod si aliqui non ita perspicue, nec omnino constantes in hac materia locuti videntur, non propterea deserendi sunt, sed commode, quantum fieri potest, exponendi; præsertim post solemnes Ecclesiæ definitiones, quæ antiquæ traditionis custos est, & interpres. Pauci vero, qui Millenariorum fabulis decepti nobis adversantur, non possunt veteris traditionis filum interrumpere, aut nostri dogmatis veritati præjudicium inferre.

CAPUT XIV.

Quid Joannes XXII. R. P. in hac controversia de visionis beatificæ tempore senserit.

346. Joannes XXII. humili stirpe natus egregiis animi dotibus, atque virtutibus ad summum Pontificatus apicem evehi meruit an. 1316. quem turbulentissimis temporibus diu, ac præclare administravit, usque ad an. 1334. Primis sui Pontificatus annis antiquam Ecclesiæ fidem de imme-

(a) De menta S. Bernardi præter Witassium, Tournellium, L'Herminier, aliosque Scholasticos Vid. Mabillonius in Præf. Tom. III. S. Bernardi, Muratorius *de Paradiso* c. 19. qui S. Patrem ab erronea, si quam admisit, opiniona recessisse ait, & Nat. Alexander in Sæc. XII. c. 6. art. 10. & 3.

mediata gloriæ cælestis retributione aperte professus est; quod colligitur non solum ex duabus ipsius fidei professionibus, altera Ossinio Regi Armeniæ data an. 1318. altera Fidelibus inter Tartaros degentibus an. 1321. (apud Rainaldum ad dictos annos) in quibus dicitur apertissime, animas plene purgatas *in cœlum mox recipi*; sed multo adhuc luculentius ex iis, quæ habet in *diplomate*, quo Ludovicum Tolosatem Episcopum Caroli II. Siciliæ Regis filium, Ord. Minorum, Sanctorum albo adscripsit: *in medio domus tuæ*, inquit, *ad Deum contemplandum facie revelata est ingressus*. Gemina repetit in canonizatione Thomæ Herfordiensis anno 1320., & Angelici præceptoris nostri Thomæ Aquinatis anno 1323.; quibus verbis nihil luculentius pro catholico dogmate adstruendo desiderari potest (*a*).

347. Anno circiter 1331. ut Rainaldus observat, quæstio de visionis beatificæ dilatione agitari cœpit, quo tempore Joannes Pontifex Avenione, ubi tunc erat Sedes Pontificia, semel, & iterum, imo tertio publice e suggestu prædicavit, Sanctos usque ad diem universalis judicii non visuros faciem Dei, seu divinam essentiam, sed tantummodo humanitatem Christi. Hinc ansam sumpserunt aliqui contra illum acrius debacchandi, eumdem accusantes, quod nedum huic errori adhæserit, sed etiam quod ipsum supremo oraculo definierit (*b*).

348. E contra communiter creditur, Joannem in erroneam sententiam inclinasse quidem, eam tamen *ex cathedra*, ut inquiunt, seu supremo judicio nunquam definivisse, ut proinde error in privatam solum ejus personam, nullatenus vero in Apostolicam Petri sedem refundi debeat.

349. Immo non desunt, qui contendant Joannem XXII. nec *assertive* unquam erroneam illam opinionem docuisse, sed permisisse solum, rem in utramque partem disputari, ut ita veritate magis magisque detecta quæstio hæc solemni, ut meditabatur, judicio definiri posset. Hoc sin minus undequaque certum, saltem ut valde probabile existimant Nat. Alexander Diss. XI. in Sæc. XIV. art. 2. & Billuard in *Digress. Hist.* Vid. etiam P. Laur. Berti Lib. III. *theol. discipl.* c. 11. Nostram sententiam declarat sequens

PROPOSITIO.

Joannes XXII. nunquam definivit, animabus plene purgatis divinæ essentiæ visionem usque ad extremum universalis judicii diem esse differendam. Immo ante mortem catholicam Ecclesiæ doctrinam aperte professus est.

350. Prima hujus propos. pars prob. certissimis documentis. Nam primo Ulricus Doctor Germanus, & auctor coævus (ap. Rainaldum ad an. 1333. n. 45.) *Si sermo Papalis*, inquit, *pie, & sane intelligitur, non proprie sermo, nec definitio, nec determinatio, seu prædicatio, sed magis quædam scholastica disputantium collatio esse perpenditur*.

351. Secundo Pontifex in ep. ad Philippum Galliæ Regem an. 1333. aperte testatur, fuisse de hac controversia coram se, præsentibus etiam Prælatis, ac Magistris in Theologia, disputatum *pro, & contra, ut sic plenius inveniri posset veritas* (ap. Rainaldum n. 46.) Postea Philippum rogat, ut adhuc de hac re disputari permittat, *donec aliud ordinatum per sedem fuerit Apostolicam*. Nihil itaque in hac materia definitum fuerat usque ad ann. 1333. qui fuit Joannis penultimus.

352. Tertio accedit etiam publicum Facultatis theologicæ Parisiensis testimonium. Hæc enim a Philippo Valesio Rege in saltu Vincennarum 2. Jan. 1333. congregata ad judicium censorium in hac controversia ferendum: *Multorum*, inquit, *fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodo disputando*. Tantum abest, ut Pontifex aliquid *ex cathedra* determinaverit (*c*).

353. Quarto. Quod si an. 1333. nullum adhuc in hac re oraculum Jo. XXII. protulerat, multo minus id fecit, posteaquam Parisiensis facultatis judicio, diligentique aliorum inquisitione Ecclesiæ catholicæ veritas bono in lumine collocata, ac vindicata fuit; & postquam Rex se in eos animadversurum comminatus est, qui contrarium defenderent (*d*).

354. Sed præterea nihil fuisse a Pontifice definitum, testis est locupletissimus Benedictus XII. e-

(*a*) Nihil protuli ex Bulla *Sabbatina Jo.* XXII. cui adhæserunt Daniel Papebrochius, ejusque sodales, qui *Acta Sanctorum* illustrarunt. Ejusdem tamen Bullæ defensionem susceperunt scriptores plures Ord. Carmelit., Gregorius Nazianz. a S. Basilio, M. Ant. Casanatensis, Jo. Cheronius, Thomas Aquinas a S. Joseph, Daniel a Virgine Maria, aliique. Vid. *Responsio* Dan. Papebrochii *ad exhibitionem eorum per A. R. P. Sebast. a S. Paulo* Parte I. art. 3. §. 15.

(*b*) Dupinius Diss. X. *Sur l'Apoc.* p. 457. scribit, Jo. XXII. omnem adhibuisse conatum, ut ejus error in tota Ecclesia reciperetur. Bossuetus autem L. IX. *Def. Declar. Eccl. Gallic.* c. 46. a Joanne, non tamquam a privato Doctore, sed ut a publico Ecclesiæ Pastore errorem defensum fuisse, contendit, sed minime probat.

(*c*) Hoc instrumentum refertur a Nat. Alexandro Diss. XI. In Sæc. XIV. art. 2. a Billuart *Hist. Univ.* Tom. IV. p. 236. a Launojo *Hist. Nav.* Tom. I. p. 61. ejus autem autographum servatur in Archivio Majoris Conventus FF. Prædicatorum Parisiensium.

(*d*) Vid. Monachus S. Dionysii continuator Chronici Guillelmi Nangii apud Duchesne T. V.

ejusdem Joannis successor in sua Bulla, quæ incipit *Benedictus Deus*, in qua inquit: *Cumque idem prædecessor noster, ad quem determinatio prædictorum pertinebat, ad decisionem hujusmodi concertationum se prepararet, in Consistorio suo publico tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis, & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes, injungendo districtius, & mandando, ut super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberate dicerent, unusquisque quod sentiret; tamen morte præventus sicut Domino placuit, perficere illud nequivit*. Hoc testimonium decretorium est, & si alia deessent, vel solum sufficeret. Quis enim suspicetur, Benedictum XII. tam impudenter voluisse mentiri, cum facile posset mendacii coargui?

355. Secunda autem propositionis pars facile prob. ex solemni illa declaratione, quam Joannes P. lethali morbo correptus coram publicis Tabellionibus edidit anno 1334. (apud Rainaldum num. 35.) ubi *fatemur*, inquit, *& credimus, quod animæ purgatæ, separatæ a corporibus sunt in cœlo ... & vident Deum, ac divinam essentiam facie ad faciem clare, inquantum status, & conditio compatitur animæ separatæ. Si vero alia, vel aliter circa materiam hujusmodi per nos dicta, prædicata, seu scripta fuerunt ... ea in quantum sunt consona fidei catholicæ, determinationi Ecclesiæ, S. Scripturæ, ac bonis moribus, approbamus, aliter autem illa habemus, & haberi volumus pro non dictis, prædicatis, & scriptis, & ea revocamus expresse*. Hæc Joannis XXII. declaratio fuit a Benedicto XII. suæ constitutioni inserta.

356. Utraque etiam propositionis pars traditur ab historicis bene multis, nempe a Gobelino in *Cosmodromio* ætate VI. c. 71., a Paulo Langio in *Chronico* ad an. 1334., a Continuatore Nangii ad eumdem annum a Rainaldo ad annos memoratos, aliisque.

357. Ob. primo. Plures tum coævi, tum proximi scriptores satis clare innuunt, Joannem XXII. erroneam de visionis Dei dilatione doctrinam tenuisse, ac definivisse. Primo Okamus Nominalium princeps ex Minoritarum familia in *Compendio errorum Joannis P.* cap. 7. se vidisse dicit, ac legisse unum magnum opus, quod pro hac hæresi confirmanda Joannes composuit; atque addit cap. 8., Pontificem *neminem permisisse magistrari Parisiis in theologica facultate, nisi tactis sacrosanctis juraverit, quod institutiones suas supradictas de visionis dilatione sanas, & catholicas in perpetuum reputaret, & nunquam ipsas impugnaret*. Hoc sane demonstrat, quæstionem fuisse jam definitam, alias liberum unicuique fuisset, quod vellet, opinari.

358. Secundo idem evincitur ex eo, quod narrat continuator Guillelmi Nangii ad annum 1333., nempe quemdam Fr. Prædicatorem (Thomam Wallensem Anglum), qui contra errorem istum prædicaverat, in carcerem fuisse detrusum. Idem narrat Bulæus Tomo IV. pag. 2351., Durandus etiam a S. Portiano Episcopus Meldensis in eamdem calamitatem incidisset, nisi Regis patrocinio fultus judicium declinasset. Eos contra benigne excipere solebat Pontifex, immo beneficiis ditare, qui aliquid afferrent in sui erroris patrocinium. Ita habet Jo. Villani Lib. X. cap. 229.

359. Tertio Pontifex Parisios misit Gerardum Eudum magistrum generale FF. Minorum, & Arnaldum a S. Michaele Ord. Præd. suum Pœnitentiarium, sub specie quidem pacis conciliandæ inter Regem Angliæ, & Regem Scotiæ, reipsa tamen, ut Magistros in Theologia regentes ad suam opinionem pertraherent, quod omni modo tentarunt, Gerardus præcipue, qui publice erroneam opinionem propugnavit. Vid. Rainaldus ad ann. 1334. n. 45., & Wadinghus eodem anno n. 12.

360. Quarto Cardinalis de Alliaco in quodam sermone coram Rege recitato anno 1406. narrat, Regem Philippum fuisse Pontifici ignem comminatum, nisi palinodiam caneret.

361. Quinto Gerson in Serm. de Festo Paschali Joannis sententiam de visione beatifica fuisse damnatam scribit a Theologis Parisiensibus coram Rege Philippo cum sono buccinarum.

362. Sexto Adrianus VI. Tract. de Sacram. Confirmat. *Plures*, inquit, *fuerunt Pontifices Romani hæretici, & novissime fertur de Joanne XXII., qui publice docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quod animæ purgatæ &c.*

363. Demum eadem fere invenimtur apud plures alios scriptores, scilicet Marsilium de Hinghen in IV. quæst. 13. art. 3., Gobelinum in *Cosmodromio* ætate VI. capit. 71., Alb. Krantzium Lib. VIII. *Vandaliæ* Cap. 16., Giacconium in vita Joannis XXII., Erasmum in præf. ad Lib. III. S. Irenæi &c.

364. Resp., omnia fere allata testimonia si quid valent, tantum probare, Joann. XXII. incaute fuisse in eum errorem prolapsum, de qua re minime disputamus; non autem probant, errorem fuisse Pontificio oraculo definitum, quod unum in controversiam modo adducitur. Ceterum singula facile explicari possunt.

365. Et primo, hac in re non multam esse Okamo fidem adhibendam, facile apparet, cum ipse fuerit partibus Ludovici Bavari addictus, Joanni Rom. Pont. infensissimi. Sed fortasse opus ab Okamo visum erat Collectio locorum ex S. Scriptura, & ex Sanctis Patribus, quam Pontifex postea recitavit coram Cardinalium Consistorio, adeo prolixa, ut nonnisi quinque diebus fuerit absoluta (vid. Rainaldus ad ann. 1334. n. 28.); in qua tamen nihil fuisse determinatum certo scimus testimonio Benedicti XII. & Universitatis Parisiensis.

366. Quod vero Okamus addit, Pontificem *neminem permisisse magistrari &c.* omnino falsum est,

est, & cum historia pugnat, qua notum est, in theologica facultate Parisiensi catholicum dogma fuisse semper propugnatum.

567. Ad secundum. Bzovius ad an. 1331. n. 11. dicit, Thomam Wallensem fuisse carceri addictum, non quia veram sententiam de immediata gloriæ cœlestis retributione prædicasset, sed quod nimio zelo incalescens in contrariæ doctrinæ patronos fuerit debacchatus (*a*). Durandus etiam, qui liberius, quam deceat, theologicas disciplinas tractabat, limites transilivit, quædam admiscendo, quæ offensionem parerent; ex. gr. quod nisi animæ justorum illico essentiam Dei viderent, nullum amplius esset mori lucrum; quasi scilicet beata quies, & contemplatio humanitatis Jesu Christi nulla esset felicitatis pars (*b*). Quod autem Pontifex eos benigne foveret, qui argumenta afferebant, ad probandam beatificæ visionis dilationem, si verum est, probat tantummodo, eum in hunc errorem inclinasse, non autem illum definivisse. Quanquam id fortasse fecit Pontifex, ut collectis simulque collatis utriusque sententiæ momentis tota controversia dirimeretur.

568. Ad tertium. Calumniam hanc a se abstergit Pontifex ipse, addita jurisjurandi religione in epistola ad Regem Philippum inquiens: *asserimus coram Deo, quod nunquam hoc cor nostrum intravit, nec exivit ab ore*. Apud Wadingum ad ann. 1333. n. 1., & Rainaldum ann. 1334. n. 30.

569. Ad quartum. Fortasse Cardinalis de Alliaco, qui nonnisi Sæc. XIV. desinente floruit, falsa narratione deceptus fuit, & quod Philippus Rex Gerardo Eudo comminatus est de ipso Pontifice retulit. Hac certe de re auctores coævi silent: immo contrarium eruitur ex instrumento Facultatis theologicæ Paris.; ex eo enim apparet, cum Theologorum omnium, tum Regis ipsius summa erga Pontificem reverentia. Joan. etiam Villani refert, Regem Galliæ una cum Roberto Rege Scotiæ humanissimis litteris Pontificem monuisse, ut catholicam sententiam definiret Lib. X. capite 229.

570. Ad quintum. Gersoni, qui centum fere annis post hanc controversiam floruit, repugnant documenta authentica illius ævi. Nihil modestius inveniri potest judicio censorio lato a Parisinis Doctoribus, qui ita Regem alloquuntur: *Attendimus specialiter id, quod ab ore vestro ibidem audivimus, quod nihil in hac materia quærebatis, quod tangere posset sanctissimum Patrem ac Dominum nostrum Joannem, Dei providentia sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summum Pontificem, cujus sumus devoti servi & filii, quinimo sicut filius ejus devotissimus honorem suum in his, & aliis zelabatis &c.* Deinde addunt, *se multorum fide dignorum relatione audivisse, quod quidquid in hac materia sua Sanctitas dixit, non asserendo, seu opinando protulit, sed solummodo recitando*. Nihil hic de buccinarum sono; imo nihil, quod Pontifici injurium videri possit.

571. Ad sextum. Adrianus historiam hujus controversiæ non omnino compertam habuisse videtur, sed potius ex incertis rumoribus id collegisse, quod scribit; quod etiam non obscure indicat illud verbum *fertur*.

572. Ad ult. Idem etiam dici debet de aliis recentioribus scriptoribus, qui facile decipi potuerunt falsis rumoribus, calumniisque contra Pontificem divulgatis ab ejus hostibus, quos multos habuit Joannes XXII. propter notissima ejus dissidia cum Ludovico Bavaro. Quanquam potissima istorum scriptorum pars nihil aliud asserit, nisi Pontificem, ut privatum Doctorem errori de visionis beatificæ dilatione incaute adhæsisse: quod verum nec ne sit, non multum refert.

573. Obj. secundo cum Bossueto (*Def. declarat. &c.* Lib. IX. cap. 46.). Joannes suum errorem publice in Ecclesia prædicavit; atqui hoc est unum ex præcipuis summi Pontificis muniis; neque hoc munus appellari potest Doctoris privati: ergo Joannes, non ut Doctor privatus, sed ut universalis Ecclesiæ Pastor errorem hunc credendum proposuit.

574. Resp., omissa maj.; multi enim post Raihaldum ad annum 1331. n. 44. putant, ita Joannem suam de visionis beatificæ dilatione sententiam prædicasse, ut liberum tamen auditoribus reliquerit contrariam tenere; dist. min.; & hoc sufficit ad definitionem dogmatis proprie dictam, & *ex cathedra*, *nego*. Neque enim statim ac Rom. Pontifex in publica concione aliquid profert, censetur illud *ex cathedra* definire, sed ad hoc adhiberi solent quædam juris formulæ, quas certe non servavit Joannes XXII.; alias non permisisset hac de re disputare; neque ad hanc controversiam definiendam se præparasset.

575. Scholion. Quamvis Joannes XXII. errori dilationis visionis beatificæ imprudenter, & mordicus adhæsisset, non tamen adeo graviter peccasset, ut quidam ejus Adversarii exaggerant. Primo enim hæc controversia eo tempore nondum erat omnino perspicue ab Ecclesia definita; quod postea ab ejus successore Benedicto XII. anno 1336., &

(*a*) Vid. de hoc Scriptore P. Echardus Tomo I. p. 599. seq. ubi nonnulla ex ejus sermone excerpta afferuntur, quæ tamen non contra summum Pontificem, sed contra quemdam Haombaldum, & nonnullos alios Pontificis adulatores scripta videntur. Ceterum Fr. Thomas sua constantia celebris, fuit non multo post carcere liberatus, & de suis adversariis triumphavit.

(*b*) Commentarium Durandi a S. Portiano a Prædicatorum Instituto ad Episcopatum Meldensem assumpti, ex MS. Vaticano descripsit Odoricus Rainaldus ad an. 1333. n. 48. in ipso Scripturas male contortas, & argumenta pleraque non satis firma adhiberi ad catholicum dogma comprobandum, scribit Fleury Lib. 94. *Hist. Eccl.* n. 35.

& a Concilio Florentino anno 1439. solemniter factum est. Quamvis enim in Concilio Lugdunensi II., & in pluribus fidei professionibus statutum esset, *animas plene purgatas mox in cœlum recipi*; non erat tamen clare explicatum, easdem ibidem divinæ essentiæ visione frui, quod additum postea fuit a Benedicto XII., & a Concilio Florentino (a). Secundo, ut etiam Flaurius observat Lib. 94. *Hist. Eccl.* n. 55., Joannis opinio non ita perniciosa erat, quantum Rex Galliæ Philippus aliique sibi persuadebant, putantes ea posita, & Indulgentiarum fructum tolli, & Sanctorum cultum, atque invocationem; hæc enim consectaria falso deduci, quisqua facile vidit.

CAPUT XV.

An veteres justi ante Christi mortem in sinu Abrahæ quiescentes fruerentur intuitiva Dei visione?

576. Antiqua & communis fere Theologorum opinio est, hoc inter justos veteris, & novi testamenti intercessisse discrimen, quod istorum animæ plene purgatæ illico ad conspectum divinæ essentiæ admittantur, ut hactenus probatum est; secus ac aliis ante Christi ascensionem contigerit; tunc enim nondum reseratis paradisi januis animæ justorum etiam plena a peccatorum maculis purgatæ cœlestem Dei visionem, & beatitudinem expectare cogebantur, in sinu Abrahæ interim quiescentes.

577. Hanc sententiam ita exponit S. Thomas 3. P. quæst. 52. artic. 5. „ Per passionem Christi liberatum est genus humanum non solum a „ peccato, sed etiam a reatu pœnæ. Dupliciter „ autem homines reatu pœnæ erant adstricti: uno „ modo pro peccato actuali, quod quilibet in sua „ persona commiserat; alio modo pro peccato totius humanæ naturæ, quod a primo parente in „ omnes originaliter devenit, ut dicitur Roman. „ V.; cujus quidem peccati pœna est mors corporalis, & exclusio a vita gloriæ, ut patet ex „ his, quæ dicuntur Gen. II. & III.; nam Deus „ hominem de paradiso post peccatum ejecit, cui „ ante peccatum mortem fuerat comminatus, si „ peccaret. Et ideo Christus descendens ad inferos virtute suæ passionis ab hoc reatu Sanctos „ absolvit, quo erant a vita gloriæ exclusi, ut „ possent Deum per essentiam videre, in quo consistit perfecta hominis beatitudo. Per hoc autem Sancti Patres detinebantur in inferno, quod „ eis ad vitam gloriæ propter peccatum primi „ parentis aditus non patebat. Et sic Christus descendens ad inferos sanctos Patres ab inferis liberavit. Et hoc est, quod dicitur Zachar. IX. „ 11. Tu vero in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo erat aqua. Et Coloss. II. dicitur, quod expolians principatus, „ & potestates, scilicet infernales, auferendo Abraham, & Isaac, & Jacob, & cæteros justos „ traduxit eos, id est longe ab hoc regno tenebrarum ad cœlum duxit, ut Glossa ibidem „ dicit. “

578. Eamdem sententiam tradit Catechismus Rom. de quinto Symboli artic. n. 3. inquiens: „ tertium receptaculi genus est, in quo animæ „ Sanctorum ante Christi Domini adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu (b) „ beata redemptionis spe sustentati quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, „ quæ in sinu Abrahæ Salvatorem expectabant, „ Christus Dominus ad inferos descendens liberavit. *Et infra n.* 5. Christus Dominus descendit, non ut aliquid pateretur, verum ut sanctos, & justos homines ex misera illius custodiæ molestia liberaret, eisque passionis suæ fructum impertiret. *Et iterum n.* 6. His expositis „ docendum erit, propterea Christum Dominum „ ad inferos descendisse ut ereptis dæmonum spoliis, sanctos illos Patres, cæterosque pios e carcere liberatos secum adduceret in cœlum, quod „ ab eo admirabiliter, summaqua cum gloria perfectum est; statim enim illius aspectus clarissimam lucem captivis attulit, eorumque animas „ immensa lætitia, gaudioque implevit; quibus „ etiam optatissimam beatitudinem, quæ in Dei „ visione consistit, impertivit; quo facto id comprobatum est, quod latroni promiserat illis verbis Lucæ XXIII. hodie mecum eris in paradiso. Hanc vero piorum liberationem Oseas tanto ante prædixerat in hunc modum cap. XIII. „ 14. ero mors tua, o mors: morsus tuus ero, „ inferne. Hoc etiam significavit Zacharias Propheta cum ait cap. IX. 11. tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de la- „ cu,

(a) Melchior Canus Lib. VI. *de loc. theol.* c. 8. de Jo. XXII. hæc habet: *Nec si, antequam esset Pontifex, errorem illum habuerit, hæreticus censendus est, sicut nec Irenæus, nec Chrysostomus, nec Theophylactus, nec Bernardus, quos re nondum expresse per Ecclesiam definita illius opinionis fuisse, sunt, qui contendant: vere ne, an falso contendant, non est dicì, locique hujus disputare.*

(b) Angelicus 3. P. qu. 52. art. 2. ad 4. non videtur omnem dolorem a sinu Abrahæ ante Christi adventum exclusisse; dicit enim: *Alio modo potest considerari* (sinus Abrahæ) *quantum ad privationem gloriæ speratæ; & secundum hoc habet rationem inferni, & doloris;* & art. 5. ad 1. *Christus contulit eis* (sanctis Patribus) *quantum ad adeptionem gloriæ, & per consequens solvit eorum dolorem, quem patiebantur ex dilatione gloriæ.* Facile tamen apparens hæc antilogia evanescit, si consideremus, animas Sanctorum fuisse cruciatuum, pœnarumque sensus expertes, certa etiam visionis Dei beatificæ spe felices, ac suo modo tranquillas, ejusdem tamen beatificæ visionis carentia, ac desiderio animi dolore tortas; unde etiam Catechismus n. 5. dicit, Christum liberasse justos, *ex misera illius custodiæ molestia.*

„ eu, *in quo non est aqua*. Idipsum denique expressit Apostolus illis verbis Coloss. II. 15. Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Quamobrem antequam ille (*Christus Dominus*) moreretur, ac resurgeret, cæli portæ nemini unquam patuerunt; sed piorum animæ cum e vivis excessissent, vel in sinum Abrahæ deferebantur, vel, quod etiam nunc iis contingit, quibus aliquid diluendum, & persolvendum est, purgatorii igne expiabantur." Catechismo autem Romano omnes plane alii Catechismi aliarum Ecclesiarum hac in re omnino consentiunt.

379. Præterea hanc D. Thomæ, communemque aliorum sententiam ut certam habuisse videtur Benedictus XII., dum in sua dogmatica constitutione *Benedictus Deus* ita definit: *Quod secundum communem Dei ordinationem animæ Sanctorum omnium, qui ante D. N. J. C. passionem decesserunt ... etiam ante resumptionem corporum & judicium generale, post ascensionem Salvatoris D. N. J. C. in cœlum, fuerunt, sunt, & erunt in cœlo, cœlorum regno, & paradiso cœlesti cum Christo, sanctorum Angelorum collegio aggregatæ, ac post D. N. J. C. passionem, ac mortem viderunt, & vident, & videbunt divinam essentiam visione intuitiva, & etiam faciali*.

380. Accedit Scholasticorum magnus consensus, cujus est, teste Melch. Cano Lib. VIII. *de locis theol.* cap. 4., tanta auctoritas, ut nonnisi *impudenter, & temere* rejici possit: ab eoque decedere, *si hæresis non est, est certe hæresi proximum*. Imo aliqui eorum hanc sententiam ad fidem spectare crediderunt, ut Suarez in 3. P. S. Thomæ disput. 42. Sect. 1. Gravesonius *de vita, & mysteriis Christi* Dissert. XXI. §. 2., aliique.

381. Sed & multis sacræ Scripturæ, sanctorumque Patrum testimoniis hæc sententia confirmatur. Nam præter verba Oseæ, Zachariæ, & Apostoli Pauli a Catechismo Rom. laudata, idipsum prædicitur Ecclesiastici XXIV. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Ac demum Hebr. IX. 15. Christus appellatur *novi testamenti mediator, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis*. Et postea cap. XI. 13. de Abraham, aliisque veteribus Sanctis dicitur: *juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes & salutantes ... Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur*.

382. Pauca addamus etiam sanct. Patrum testimonia. S. Ambrosius Lib. IV. *de fide* cap. 1. n. 5. Tom. III. Opp. *Nam Moysem*, inquit, *licet corpus ejus non apparuerit in terris, nusquam tamen in gloria cœlesti legimus, nisi posteaquam Dominus resurrectionis suæ pignore vincula solvit inferni, & piorum animas elevavit*.

383. S. Hieronymus epist. XXII. ad Paulam discrimen afferens inter justos novi ac veteris testamenti, dicit, *luxisse Jacob filium, quem putabat occisum, ad quem & ipse erat ad inferos descensurus, quia necdum paradisi januam Christus effregerat .... Unde & Abraham licet in loco refrigerii, tamen apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur ... in Jesu vero, idest in Evangelio, per quem paradisus est apertus, mortem gaudia prosequuntur*.

384. S. Gregorius Magnus Lib. XIII. in cap. XLIV. Job. *Priores Sancti*, inquit ... *e corporibus educti adhuc ab inferni locis liberari non poterant, quia necdum venerat, qui illuc sine culpa descenderet, ut eos, qui ibi tenebantur, ex culpa liberaret ... Grave tædium electis fuit; post solutionem carnis adhuc speciem non videre creatoris*.

385. Gennadius etiam Massiliensis, sive quilibet alius auctor libri *de ecclesiasticis dogmatibus* cap. 44. & 45. (inter opera S. Augustini Tomo VIII.) *Ante passionem Domini*, inquit, *omnes animæ Sanctorum inferno sub debito prævaricationis Adæ tenebantur, donec auctoritate Domini per indebitam ejus mortem de servili conditione liberarentur. Post ascensionem Domini ad cœlos omnium Sanctorum animæ cum Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadunt, expectantes resurrectionem corporis sui, ut ad integram, & perpetuam beatitudinem cum ipso pariter immutentur*.

386. Denique, ut multos alios omittam, S. Bernardus epist. XCVIII. de Machabæis scribens, *& ipsos*, dicit, *pro tempore non ad cœli mox gaudia, sed ad inferni tenebras descendisse: ne tunc quippe apparente primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cœlorum ... cum ante illam salutiferam passionem non festiva gaudia, sed claustra tenebrosa quosque morientes exciperent*. Et postea discrimen afferens inter veteris, novique testamenti morientes justos, inquit: *ceterum illa qua ratione mors festiva reputabatur, quam nulla gaudiorum festivitas comitatur? Aut unde gaudium sumeret moriturus, qui se & ad infernales descendere tenebras certus erat, nec certi quidpiam secum ferebat, unde in proximo de sui liberatore consolaretur? ... Quid in his solemnis lætitiæ, quid festivæ celebritatis apparet? Nostri autem martyres cupiunt dissolvi, & esse cum Christo, certi ubicumque est corpus, illo sine mora congregatum iri & aquilas. Mox inquam ibi exultant justi in conspectu Dei &c.*

387. Vulgari huic, communique sententiæ de beatifica visione Dei justis veteris testamenti dilata usque ad Christi mortem aliqui non ita pridem refragati sunt, contendentes, animabus justis plene purgatis ante Christi mortem, non secus ac me-

modo, fuisse statim Dei visionem concessam: quæ vero in sacris litteris, vel apud sanctos Patres de Christi descensu ad inferos, atque de Sanctorum liberatione, ac translatione in regnum cælorum leguntur, esse intelligenda de animabus in purgatorio detentis, quas Christus e carcere liberavit, & secum triumphans in Paradisum duxit. Neque vero pauca, aut levia ad hanc sententiam confirmandam proferunt argumenta; quorum nonnulla breviter expendemus (a).

588. Ac primo quidem pugnant auctoritate S. Augustini, qui epist. 164. cap. 3. loquens de descensu Christi ad inferos, *utrum*, inquit, *omnes quos in eis invenit* (a doloribus inferni liberaverit), *an quosdam*, *quos illo beneficio dignos judicavit*, *adhuc requiro : fuisse tamen eum apud inferos*, *& in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse*, *non dubito*. *Unde illis justis*, *qui in sinu Abrahæ erant*, *cum ille in inferna descenderet*, *nondum quid contulisset*, *inveni*, *a quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis numquam video recessisse*.... *Profecto igitur in paradiso*, *atque sinu Abrahæ etiam ante jam erat beatificante sapientia*, *& apud inferos judicante potentia*.

589. Sed hunc perdifficilem S. Augustini locum ita fidelis ejus discipulus, & interpres S. Thomas exponit 3. P. quæst. 52. art. 5. ad 1. *Augustinus ibi loquitur contra quosdam*, *qui æstimabant*, *antiquos justos ante adventum Christi in inferno doloribus pœnarum fuisse subjectos* (nempe pœnarum sensibilium, quibus animæ in purgatorio cruciantur): *unde parum ante verba inducta præmittit dicens :* „ Addunt quidam, hoc beneficium antiquis etiam Sanctis fuisse concessum ... ut cum Dominus in infernum venisset, a doloribus solverentur: sed quonam modo intelligatur, Abraham, in cujus sinum etiam pauper ille susceptus est, in illis fuisse doloribus, ego quidem non video ; *& ideo cum postea subdit*, *se nondum invenisse quid descensus Christi ad inferos antiquis justis contulerit*, *intelligendum est*, *quantum ad absolutionem a doloribus pœnarum ; contulit tamen eis*, *quantum ad adeptionem gloriæ*, *& per consequens solvit eorum dolorem*, *quem patiebantur ex dilatione gloriæ ; ex cujus tamen spe magnum gaudium habebant*, *secundum illud Joann. VIII. Abraham pater vester exultavit ; ut videret diem meum ; & ideo subdit : a quibus eum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis nunquam video recessisse*, *inquantum scilicet ante adventum Christi erant beati in spe*, *licet nondum essent perfecte beati in re*.

590. At enim videtur adversariis difficultatem instaurare, & augere, quod S. Pater ibidem addit: *Ne ipsos quidem inferos uspiam scripturarum in bono appellatos potui reperire*. *Quod si nusquam in divinis auctoritatibus legitur*, *non utique sinus ille Abrahæ*, *idest secretæ cujusdam quietis habitatio*, *aliqua pars inferorum esse credenda est*.... *Quapropter si in illum Abrahæ sinum Christum mortuum venisse scriptura dixisset*, *non nominato inferno*, *ejusque doloribus*, *mirarer*, *si quisquam ad inferos eum descendisse auderet asserere*. *Sed quia evidentia testimonia & infernum commemorant*, *& dolores*, *nulla causa occurrit*, *cur illo venisse credatur Salvator*, *nisi ut ab ejus doloribus salvos faceret*. *Sed utrum omnes*, *quos in eis invenit*, *an quosdam*, *quos illo beneficio dignos judicavit*, *adhuc requiro ; fuisse tamen eum apud inferos*, *& in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse non dubito*. Ex quibus efficitur, S. Augustino persuasum fuisse, Christum nulla alia de causa ad inferos descendisse, nisi ad liberandos eos, qui in purgatorii pœnis detinebantur, non autem ut veterum justorum animas

(a) Jo. Cadonici Venetus, Cremonensis autem Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, anno 1747. Cremonæ edito libro, cui titulus: *Vindiciæ Augustinianæ ab imputatione regni millenarii* demonstrare conatus est, justis vet. test. ante Christi mortem in sinu Abraham quiescentibus beatificam Dei visionem nunquam defuisse; atque hanc suam opinionem a privatis P. Frider. Pallavicini S. J. scriptis impugnatam illustravit, & vindicavit in tribus *Dialogis* italico sermone editis Roboreti, seu potius Venetiis anno 1753. In aciem postea contra Cadonicum prodiit P. Liberatus Fassonius scholarum piarum edito eleganti opere inscripto *de piorum in sinu Abrahæ beatitudine* Romæ 1760. Sed Fassonius vel inter suos Concellitas non contemnendum adversarium invenit P. Angelum Mariam Feltri, qui Cadonici opinionem confirmare nisus est, præcipua auctoritate S. Hilarii Pictavorum Episcopi in opusculo, cui titulus: *S. Hilarii Pictav. Episcopi de piorum statu in sinu Abrahæ ante Christi mortem sententia*, *nunc primum illustrata*. Eidem Feltrio tribuuntur etiam sex epistolæ italico sermone conscriptæ, quæ ad tuendam Cadonicianam sententiam Venetiis sine nomine prodierunt anno 1763. Ac demum pro sua ipsius causa iterum pugnavit Cadonicus edito eodem anno 1763. novo opere typis Venetis: *D. Aurelii Augustini Hipp. Episcopi*, *quæ videtur*, *sententia de beatitate Sanctorum*, *Patriarcharum*, *Prophetarum*, *ceterorumque justorum antiquæ testam. ante Christi Domini descensum ad inferos &c.* Neque paucos, aut infimi subsellii suffragatores invenit; inter alios enim Cadonici sententiam non sine laude sæpius retulit in suis Ephemeridibus Jo. Lamius, eamque Lud. Muratorius olim suo calculo approbaverat, ut iis quodammodo incerta videretur. Sed postremus huic se concertationi immiscuit vir multis aliis editis operibus toto orbe litterario laudatissimus P. Thomas Maria Mamachius, veteremque Theologorum sententiam plane restituit, duobus libris Romæ editis anno 1776. *De animabus Justorum in sinu Abrahæ ante Christi mortem expertibus beatæ visionis Dei* ; in quibus hanc obscuram materiam luculenter declaravit, ac penitus exhausisse visus est; unde etiam nos pauca pro nostro instituto delibavimus, Auditores, qui plura cupiunt, ad fontem copiosissimum amandantes.

mas nova visionis Dei beatificæ felicitate augeret.

591. Verumtamen hunc etiam locum ita possumus explicare ex Angelico 3. P. quæst. 52. art. 1. ad 1. *Nomen inferorum*, inquit S. Doctor, *sonat in malum pœnæ, non autem in malum culpæ; unde decuit, Christum in infernum descendere, non tanquam ipse esset debitor pœnæ, sed ut eos, qui erant pœnæ obnoxii, liberaret*. Et iterum art. 2. ad 4. *Sinus Abrahæ potest secundum duo considerari: uno modo secundum quietem, quæ ibi erat a pœna sensibili, & quantum ad hoc non competit ei nomen inferni, nec sunt ibi aliqui dolores. Alio modo potest considerari, quantum ad privationem gloriæ speratæ, & secundum hoc habet rationem inferni, & doloris; & ideo nunc dicitur sinus Abrahæ illa requies beatorum, non tamen dicitur infernus, nec dicuntur nunc in sinu Abrahæ esse doloris*. Quamobrem quando S. Augustinus negat, inferos in sacra scriptura esse *appellatos in bono*, interprete S. Thoma, intelligendus est de bono, prout opponitur malo, sive pœnæ, sive culpæ: reipsa enim in sinu Abrahæ neque erat malum culpæ, neque malum pœnæ, saltem sensibilis. Et rursus quando dicit, sinum Abrahæ non esse in inferno, explicandus est de inferno considerato secundum pœnam sensibilem, quæ utique nulla erat in sinu Abrahæ; non autem de privatione gloriæ speratæ.

592. Ceterum alibi S. Augustinus sinum Abrahæ in inferis collocavit. *Si enim*, inquit Lib. XX. *de civ. Dei* cap. 15., *non absurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret, profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti prorsus inferos nesciunt, donec etiam receptis corporibus bona recipiant, quæ merentur*. Et in Psalm. LXXXV., de Christo loquens *nondum*, inquit, *venerat ad infernum, ut erueret inde omnium Sanctorum præcedentium animas, & tamen Abraham in requie ibi erat*.

593. At vero inquiunt, quid sibi volunt ea S. Doctoris verba: *a quibus* (justis degentibus in sinu Abrahæ) *eum secundum beatificam præsentiam suæ divinitatis nunquam video recessisse?*

594. Resp., beatificam Dei præsentiam in phrasi S. Augustini non semper significare intuitivam Dei visionem, sed *aliquando* etiam Dei gratiam sanctificantem, eamque felicitatem, quam Deus justis sine intuitiva suæ essentiæ visione concedit; ut cum Lib. VIII. *de Genesi ad litteram* cap. 12. loquens de homine justificato, *Dei præsentia*, inquit, *justificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante, & custodiente Deo, dum obedienti, subjectoque dominatur*.

595. Alter S. Augustini locus, non minus explicatu difficilis est Tract. XI. in Joann. n. 10., ubi inquit: *Promissa est resurrectio etiam carnis .... vita æterna cum Angelis: hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, videte ex quo requiescunt, posteriores Prophetæ, recentius Apostoli, multo recentiores sancti martyres, quotidie boni fideles. Et alii in ista requie jamdiu sunt, alii non tamdiu, alii paucioribus annis, alii nec recenti tempore. Cum vero ab hoc somno evigilabunt, simul omnes quod promissum est, accepturi sunt*. Quibus verbis S. Pater eamdem prorsus constituit Sanctorum utriusque testamenti sortem: ut proinde si veteres beatifica Dei visione fruiti non sunt, nec recentiores frui dicendum sit: vel si isti ea potiuntur, potiti sunt semper & illi.

596. Huic difficultati, quæ levis non est, nihil aliud reponi potest, nisi a S. Augustino requiem hic sumi non uno sensu; ut proinde quando S. Doctor loquitur de Patriarchis, & Prophetis, intelligat eam requiem, quam ante Christi adventum habuerunt in sinu Abrahæ. Cum autem loquitur de Apostolis, martyribus, bonisque fidelibus, nomine quietis etiam visionem beatificam comprehendat. Simile exemplum requietis sumptæ in hoc duplici sensu alibi nobis suppeditat idem S. Pater (*de catechizandis rudibus* cap. 17. n. 28.) inquiens de Christo: *in quo requiescunt Angeli, & omnes cœlestes mundissimi spiritus in sancto silentio; homo autem peccato lapsus perdidit requiem, quam habebat in ejus divinitate, & recepit eam in ejus humanitate*. Ubi certum est, aliter sumi requiem quam habent Angeli in divino Verbo; & eam, quam habuit Adam, antequam peccaret, in eodem Verbo, quod nonnisi cognitione abstractiva per creaturas videbat. Et de S. Augustino pro nostro instituto satis multa.

597. Sunt etiam plurima alia, quæ ex Sanctis Hilario Pictaviensi, & Jo. Chrysostomo in contrariæ sententiæ patrocinium advocari solent, quæque apud superius laudatos auctores, præcipue autem apud eruditissimum Mamachium fusius pertractata invenientur.

DISSERTATIO IV.

De Scientia Dei.

1. Hactenus pro solis ferme fidei dogmatibus pugnantes, fusiori calamo scribendum esse censuimus; scholasticas autem quæstiones vel plane omisimus, vel obiter tantum, ac molliori brachio tractavimus. Nunc ab hac nostra methodo non parum declinare nos cogent celebres illæ quæstiones de scientia Dei, quæ magna animorum contentione jam fere a duobus sæculis agitantur. Sobrie tamen, ac temperanter de iis nos tractaturos pollicemur, ea omnia resecantes, quæ minus neces-

cessaria videbuntur, eaque animi moderatione, ut illud semper præ oculis habere videamur, quod alia occasione S. Augustinus dicit *de vera relig. cap. 1., qui scholas habemus dissentientes, templa habemus communia.*

CAPUT I.

An in Deo sit scientia; cujusmodi sit, & quotuplex?

2. Esse in Deo scientiam aperte tradunt sacræ Litteræ 1. *Regum II.* 3. *Deus scientiarum Dominus est*; sive, ut Hebræus textus habet, אל דעות יהוה *Deus cognitionum Dominus*. In Psalmo LXXII. 7. & sequ. reprehenditur illorum iniquitas, qui dixerunt: *quomodo scit Dominus, & si est scientia in excelso?* Item ad Coloss. II. 3. de Christo Deo, & homine dicitur: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ*; & ad Rom. XI. 33. *o altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!*

3. Id ipsum naturalis ratio ita evidenter demonstrat, ut facilius sit invenire, qui Deum funditus tollant, quam qui eum omni orbatum intelligentia, & quasi stipitem sibi fingant; deesset enim Deo perfectio maxima, si illi deesset scientia. Immo putarunt aliqui, nomen Dei græce esse a visione desumptum. Θεὸς, inquit auctor *quæstionum*, quæ olim fuere S. Athanasio tributæ quæst. 2. Tomo II. Opp. S. Athanasii edit. Patav. 1777. pag. 280.) λέγεται ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν τὰ πάντα *Deus dicitur, quod omnia videat; vox enim ea græca est a videndo, quasi dicas contemplatorem omnium.*

4. Et hæc quidem sine controversia dicuntur, si scientiæ nomine certa atque infallibilis cognitio solummodo significetur; sed si intelligatur *cognitio rei per causam*, subtiles aliqui Theologi veri nominis scientiam a Deo ablegant, veriti, ne duos actus in Deo ponere oporteat, alterum, quo principia, seu causas, alterum, quo effectus cognosceret; quod sine imperfectione aliqua esse non posset.

5. Sed hanc difficultatem ita expedit S. Thomas I. P. quæst. 14. art. 1. ad 2. afferens discrimen, quod inter perfectissimam scientiam Dei, & nostram intercedit. *Homo*, inquit S. Doctor, *secundum diversa cognita habet diversas cognitiones; nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam; scientiam vero secundum quod cognoscit conclusiones; sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam; consilium, vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia. Sed hæc omnia Deus una, & simplici cognitione cognoscit. Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest; ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam prædicationem venit, secludatur quidquid imperfectionis est, & retineatur quidquid perfectionis est.*

6. Scientia Dei est ipsius substantia; in Deo enim, ut inquit Angelicus cit. quæst. art. 4., *non est forma, quæ sit aliud, quam suum esse, unde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quod ipsum ejus intelligere sit ejus essentia*. Hinc etiam patet, scientiam Dei unam esse in se, & simplicissimam: multipliciter tamen pro nostro concipiendi modo dispescitur. Sed duplex hic potissimum consideranda est divinæ scientiæ partitio.

7. Primo enim dividitur in *speculativam*, & *practicam*. Speculativa in nuda rerum contemplatione sita est, sine ullo ordine ad earum productionem, cujusmodi est in Deo sui ipsius, & omnium possibilium cognitio. Practica est, qua Deus res cognoscendo eas producit; unde illa Sanct. Patrum locutio, non ideo res a Deo cognosci, quia sunt, sed contra ideo esse, quia cognoscuntur a Deo. „ Universas creaturas suas, *S. Augustinus Lib XV.* de Trinit. *cap.* 13. *Tomo VIII.*, & spirituales, & corporales, non quia „ sunt, ideo novit (*Deus*); sed ideo sunt, quia „ novit; non enim nescivit, quæ fuerat creatu- „ rus: quia ergo scivit, creavit; non quia crea- „ vit, scivit; nec aliter ea scivit creata, quam „ creanda; non enim ejus sapientiæ aliquid ac- „ cessit ex eis; sed illis existentibus, sicut opor- „ tebat, illa mansit, ut erat... longe est ergo „ huic scientiæ scientia nostra dissimilis. Vid. S. „ Thom. I. P. qu. 14. art. 8., & 15. "

8. Dividitur secundo scientia Dei in *necessariam, seu simplicis intelligentiæ*, & *liberam*, seu *visionem*. Prima est, quæ antecedit libera divinæ voluntati decreta, quaque Deus cognoscit seipsum, omnia possibilia, & quæ sunt omnino necessaria. Altera est, qua Deus cognoscit res præteritas, præsentes, & futuras, quæ proinde pendet a divinis decretis, quibus Deus libere voluit ab æterno, & vult hæc existere. Vid. S. Thomas I. P. qu. 14. art. 9. & 1. *contr. Gent.* cap. 66. & 69.

9. Et hæc divinæ scientiæ partitio omnibus veteribus sufficiens semper visa fuit; sed P. Ludov. Molina tertiam quamdam scientiam inter utramque *mediam* conatus est invehere, quæ amplam nobis inferius suppeditabit dicendi materiam.

CAPUT II.

De objecto divinæ scientiæ.

10. Primum, perfectissimum, & adæquatum divinæ scientiæ objectum est ipsemet Deus; unde illud Apostoli 1. Corinth. II. 11. *Quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Quod S. Thomas hac ratione confirmat I. P. q. 14. art. 2. „ cum Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit a- „ ctus purus, oportet, quod in eo intellectus, & „ intellectum sint idem omnibus modis, ita scili- „ cet, ut neque careat specie intelligibili, sicut in-

„ intellectus noster, cum intelligit in potentia; „ neque species intelligibilis sit aliud a substantia intellectus divini, sicut accidit in intellectu „ nostro, cum est actu intelligens; sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus, & „ sic seipsum per seipsum intelligit." Artic. autem seq. probat Angelicus, hanc cognitionem, quam Deus habet sui ipsius, esse comprehensivam.

11. Objectum secundarium divinæ scientiæ sunt omnia alia a divina essentia diversa; ut enim inquit Apostolus epist. ad Hebr. IV. 13. „ non est „ ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia „ autem nuda, & aperta sunt oculis ejus." Id autem hac ratione Sanct. Thom. confirmat art. 5. „ Manifestum est, quod Deus seipsum perfecte „ intelligit: alioquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si „ autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, „ quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus „ autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, „ nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est, quod Deus alia a „ se cognoscat.

12. Neque vero res hujus mundi cognoscit Deus in communi solum, ac secundum rationes universales, ut Alexander Aphrodisæus, Themistius, & Averroes falso opinati fuisse dicuntur, & quorum errorem suscitasse visus est Pomponatius Lib II. *de fato*, *libero arbit.* & *prædest.* cap. 1.; sed Deus omnia videt omnino distincte, ac secundum particulares, atque individuales rationes. Nam, ut scite S. Thomas observat art. 6. „ cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet „ essentia cujuscumque rei alterius; & adhuc amplius, Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere; propria enim natura uniuscujusque consistit, secundum quod per aliquem „ modum divinam perfectionem participat. Non „ autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi „ cognosceret, quomodocumque participabilis est „ ab aliis sua perfectio: nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi: unde manifestum est, „ quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum quod ab aliis distinguuntur."

13. Sed & mala quæcumque, sive naturæ, ut sunt monstra, sive pœnæ, sive etiam culpæ, divinam non fugiunt cognitionem. Et quidem mala naturæ, & pœnæ ipse Deus facit; unde dicitur Amos III. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus;* quod de pœnis, quas ab impiis poscit Deus, oportet intelligi.

14. De malis vero culpæ dicebat David Psal. LXVII. 6. *delicta mea a te non sunt abscondita*. Et S. Thomas art. 10. modum exponit, quo Deus ea cognoscit, inquiens: „ quicumque perfecte cognoscit aliquid, oportet, quod cognoscat „ omnia, quæ possunt illi accidere. Sunt autem „ quædam bona, quibus accidere potest, ut per „ mala corrumpantur; unde Deus non perfecte „ cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. „ Sic autem est cognoscibile unumquodque secundum quod est, unde cum hoc sit esse mali, quod „ est privatio boni, per hoc ipsum, quod Deus „ cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per „ lucem cognoscuntur tenebræ; unde dicit Dionysius VII. cap. de div. num. quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videre tenebras, quam a lumine." Et hæc nullam fere continet difficultatem, ut proinde necesse non sit in iis diutius immorari.

15. Sed plerisque difficile visum est, certam futurorum contingentium, vel liberorum notitiam Deo tribuere; veriti enim sunt, ne, si ea Deo concedatur, omnis rerum contingentia, atque humana libertas tolleretur (a) contra quos sit

CAPUT III.

Deus futura contingentia, & libera certo cognoscit: neque tamen ejus præscientia rerum contingentiam tollit, aut humanam lædit libertatem.

16. Prima pars hujus catholici dogmatis prob. primo ex sacris literis. Susanna Dan. XIII. 42. ita in angustiis suis Dominum precata est: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant.* Ecclesiastici XXIII. 28. *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super*

(a) Cicero in Lib. II. *De divinit.* omnes futurorum contingentium cognitionem Deo denegavit putans, eam cum hominis libertate non posse consistere; sic enim colligebat c. 7. *nihil est tam contrarium rationi, & constantiæ, quam fortuna; ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu, & fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet; si certe eveniet, nulla fortuna est; est autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.* Hinc, ut bene S. August. observat Lib. V. *de civit. Dei* c. 9. *vir magnus, & doctus, & vitæ humanæ plurimum, ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum, atque ita dum vult homines facere liberos, facit sacrilegos.* Vid. etiam S. Thom. Lib. III. *cont. Gent.* cap. 94. Nec defuerunt inter Christianos, qui futura libera a Deo cognosci negarent, ut Marcion sæc. II. hæresiarcha, qui, ut Tertullianus innuit in libro II. contra ipsum c. 5. peccatum primi hominis a Deo prævisum fuisse inficiabatur. Sociniani futurorum contingentium notitiam quidem conjecturalem, & incertam Deo tribuunt, certam autem denegant. Ita Socinus in *Prælect.* cap. 11. Crellius in cap. VI. epist. ad Roman. & Smalzius Disp. XII. contra Frantzium. Hunc errorem adoptavit auctor *epistol. Persicarum* epist. 52. contra quem vid. P. Touron *Traité de la providence* cap. 4. p. 178. & 185.

per solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita; & Sap. XIX. 2. *præsciebat* (Deus) *futura illorum* (a).

17. Facile esset alia hujus generis testimonia coacervare, sed divinam futurorum præscientiam multo luculentius demonstrant innumeræ prædictiones, quarum veritatem probavit eventus; unde illud sapienter a Tertulliano dictum Lib. II. contra Marcionem c. 5. *præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit prophetas*. Immo Deus ipse Isaiæ XLI. 23. videtur veræ divinitatis characterem in præscientia futurorum reponere, ita enim Deorum gentium inanitatem demonstrat: *annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*. Unde iterum apposite Tertullianus in *Apologetico* c. 20. *testimonium*, inquit, *divinitatis est veritas divinationis*; & Origenes Lib. VI. contra Celsum n. 10. *propria*, inquit, *divinitatis nota est, res futuras ita prædicere, ut prædicendi ratio vires humanas superet, & ex eventu judicetur, divinum spiritum esse prædictionis auctorem*.

18. Prob. alterius hac brevi, sed efficaci ratione. Si aliquid vel minimum futurum Deus a tota æternitate ignorasset, aliqua ejus scientiæ fieret in tempore accessio perfectionis, cum nempe aliquid de novo eveniens cognosceret, quod antea ignorabat: Deo autem nulla fieri potest perfectionis accessio, cum ejus natura sit infinite perfecta. Hinc Sanct. Augustinus Lib. V. *de civit. Dei* cap. 5. recte concludebat, *confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est*.

19. Aliam rationem ex Sanctis Patribus addit Petavius Lib. IV. *de Deo* cap. 6. num. 4. diligenter notandam. *Est autem*, inquit, *causa illa, ratioque, propter quam futura necesse est a Deo cognosci, eadem, quam supra reddidimus, quod eorum auctor sit, & effector, & quidem talis, ut per intelligentiam, ac notitiam, hoc est per Verbum suum, moliatur, ac designet omnia, idque ex æterno. Hinc enim & fecisse jam dicitur quæ futura sunt*. Nempe paucis verbis, nihil est futurum, nisi per voluntatem, & decreta Dei: ergo Deus nihil futurorum ignorare potest. Quam eamdem rationem ex Scoto proponit Estius in Lib. I. *Sentent.* distinct. 38. §. 3. Laudatus autem Petavius hanc rationem vel ab ipsis profanis auctoribus agnitam, ac probatam fuisse ostendit. Non vero hac ipsa ratione contra Molinistas feliciter utemur (b).

20. Secunda autem pars nostræ assertionis prob. primo ex sacris litteris, quæ non minus homini libertatem, quam Deo certam futurorum præscientiam tribuunt. Ecclesiastici XV. 17. *Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam*. Et cap. XXXI. 10. laudatur ille dives, qui divitiis non abutens, *potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*: censent ergo sacræ paginæ, utrumque simul amico fœdere componi, divinam futurorum præscientiam, & hominum libertatem.

21. Prob. secundo ex sanctis Patribus, quorum testimonia huc afferre, & nimis longum esset, & minime necessarium; plerique enim illorum data opera nullum ex Dei præscientia humanæ libertati detrimentum afferri demonstrarunt; ut S. Augustinus sæpissime Lib. III. *de lib. arb.* cap. 2. & seq. *de prædest. sanct.* cap. 10. &c.), S. Hieronymus in Cap. XXVI. Jeremiæ, Auctor librorum *de vocatione gentium* Lib. II. c. 24. Boetius lib. V. *de consolat. Philos.* prosa 3. & sequ. & S. Anselmus *de concordia præsc. & lib. arb.*

22. Prob. tertio ratione, quam post S. Augustinum Boetius affert loco cit. Qui res præsentes contemplatur, vel præteritarum meminit, nullam certe eis necessitatem imponit; atqui Deus in sua æternitate eodem simplicissimo intuitu videt res futuras, quo res præsentes, vel præteritas, cum omnia sint Deo in æternitate præsentia: immo si accurate loqui velimus, Deo in æternitate nihil est præteritum, nihil futurum, sed omnia præsentia; adeo ut quidam Sancti Patres præsentiam Deo non tribuant, sed solummodo scientiam (vide infra num. 32. quia nempe ratione mox explicata nihil est Deo futurum: ergo &c.

23. Præterea vel præscientia divina considera-tur

(a) Omisimus illud testimonium Sap. VIII. 8. *Signa, & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum, & sæculorum*, quod tamen a plerisque afferri solet; quia non videtur illud posse intelligi de divina futurorum præscientia, sed potius esse ad sapientiam Salomonis referendum, qua ex præteritis futura conjectabatur. Textus enim græcus sic habet: Εἰ δὲ πολυπειρίαν ποθεῖ τίς, οἶδε τὰ ἀρχαῖα, καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζειν· ἐπίσταται στροφὰς λόγων, καὶ λύσεις αἰνιγμάτων, σημεῖα, καὶ τέρατα προγινώσκει, καὶ ἐκβάσεις καιρῶν καὶ χρόνων. *Si quis autem multarum rerum scientiam desiderat, hæc novit antiqua, & futura auguratur: hæc callet sermonum subtilitates, ænigmatumque enodationes, signa prævidet, & portenta, temporumque opportunitates, & eventus*. Vid. Bossuetus in Comment. ad hunc locum.

(b) Dixi, hanc rationem esse a sanctis Patribus suppeditatam, quorum unum vel alterum hic breviter exscribere non piget. S. Hilarius in Ps. LXVII. num. 28. *Dei scientiam*, inquit, *non subterfugiunt, quæ gerenda sunt, quia natura ejus universa, quæ erunt, virtutis suæ potestate complexa est*. S. Ambr. Lib. V. *de fide* c. 7. *Quomodo*, inquit, *facta sunt, quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus, & scientia comprehendit numerum omnium sæculorum? ... Ergo qui fecit, quæ futura sunt, eo genere, quo sunt futura, cognovit*. Et S. Thomas I. P. q. 75. art. 4. probat, solum Deum cognoscere internas hominum cogitationes, & affectiones, *quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, & ipse solus in ea operari potest*.

tur pro nostro concipiendi modulo, ut speculativa tantum est; & tunc cum nihil prorsus ex ipsa in res cognitas dimanet, non potest ullam rebus necessitatem afferre; quemadmodum qui hominem sedentem videt, illum ad sedendum minime adigit. Vel consideratur Dei præscientia ut reipsa est in se, nimirum practica, & rerum effectrix; & tunc tantum abest, ut contingentiam, vel libertatem tollat, quin potius eam producit, tanquam prima ejus causa; neque enim solum Deus facit, ut nos faciamus, sed etiam ut libere faciamus, attingendo sua efficacia non solum substantiam, sed etiam modum liberum actus; & Deus ab æterno non solum præscivit effectum futurum, sed etiam contingenter, & libere futurum.

24. Obj. primo contra primam partem. Geneseos XXII. 12. Deus dixit Abrahamo: *nunc cognovi, quod timeas Deum*: antea ergo hoc ignorabat. Præterea Prophetæ nonnulla ex divina revelatione prædixerunt, quæ postea minime evenerunt; ut Isaias cap. XXXVIII. prædixit Regi Ezechiæ mortem: *dispone domui tuæ, quia morieris;* Rex tamen ex illo morbo convaluit. Et Jonas cap. III. 4. prædixit Ninivitis: *adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur;* nec tamen ea urbs subversa est. Demum Exodi IV. 8. dixit Deus Moysi de Ægyptiis, *si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis;* qui tamen nec secundo, nec sequentibus Moysis miraculis crediderunt: ergo &c.

25. Resp. primæ difficultati, illud fuisse dictum Abrahamo per ἀνθρωποπαθῶς, *humano more*, quod frequentissime occurrit in sacris libris; scilicet Deus voluit indicare, se manifesto, atque externo experimento cognovisse obedientiam Abrahami, quam tamen antea in occultissima sua præscientia non ignorabat.

26. Sanctus tamen Augustinus Lib. I. *de Trinit.* cap. 12. alio modo ita hunc locum interpretatur: *nunc cognovi, idest nunc feci, ut cognosceres; quia & ipse* (Abraham) *sibi in illa tentatione probatus, innotuit*. Quam explicationem alio in loco (quæst. 58. in Genes.) ex consequentibus confirmat, ubi dicitur, *& vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit*, quatenus ab Abrahamo videri se fecit, significans per causam efficientem id, quod efficitur; sicut frigus pigrum dicitur, quia pigros facit. Hanc interpretationem etiam tradunt S. Ambrosius Lib. V. *de fide* cap. 6. & 8., & S. Hilarius Lib. IX. *de Trinit.* num. 60. & sequ.

27. Alterum de prophetiis solvit S. Thomas 2. 2. qu. 171. art. 6. ad. 2. observans, *quandoque sensus prophetiæ esse: quod inferiorum causarum dispositio, sive naturalium, sive humanorum actuum hoc habet, ut talis effectus eveniat, & secundum hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis: morieris, non vives, idest dispositio corporis tui ad mortem ordinatur; & quod dicitur Jonæ III.: adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur: idest hoc merita ejus exigunt, ut subvertatur* (a).

28. Ceterum non latuisse Deum, quod reipsa futurum erat, apertissime liquet ex loco ipso Isaiæ objecto, ubi Propheta non solum Regem Ezechiam ex eo morbo convaliturum, sed etiam quindecim ulterius annos ejus vitæ adjiciendos prædixit. Immo ne ulla de vaticinii veritate suboriri posset dubitatio, fidem verbis suis insigni prodigio fecit, jubens, ut sol decem lineis in horologio Achaz retrogrederetur.

29. Postremum ex cap. IV. Exodi facillime solvitur, observando iis verbis non fuisse prædictam conversionem Ægyptiorum; nam v. 21. dixit Dominus eidem Moysi: *vide, ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum;* sed solum vim miraculorum, quæ semper major esse debebat ad extorquendam fidem ab induratis. Quanquam ea verba potius spectare videntur ad filios Israel, quos Moyses ex Dei mandato congregare, & alloqui debebat. Illi autem crediderunt; dicitur enim in fine capitis: *fecit signa coram populo, & credidit populus*.

30. Inst. Deus ore Prophetarum futura prænuncians utitur verbis, quæ exprimunt incertitudinem, *forte, forsitan*. Jerem. XXVI. 5. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & convertantur*. Ezech. II. 5. *Hæc dicit Dominus, si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant*. Christus ipse Joann. IV. 10. mulieri Samaritanæ inquit: *tu forsitan petiisses*, & cap. V. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi;* quibus omnibus videtur significari cognitio futurorum duntaxat incerta, & conjecturalis.

31. Resp. cum S. Hieronymo in cap. XXVI. Jeremiæ, verbum illud *forsitan* esse positum, non ad designandam incertitudinem in Deo, quæ omnino nulla esse potest, sed ad denotandam rerum contingentiam, & libertatem, quæ a divina præscientia non tollitur. *Verbum ambiguum forsitan*, inquit S. Pater, *majestati Domini non potest convenire; sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex præscientia ejus quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur*. Eodem ferme sensu explicat S. Augustinus verba Psalmi II.: *ne quando irascatur Dominus;* nempe incertitudo ostenditur respectu nostri, non autem respectu Dei.

32.

(a) S. Augustinus in Psalm. L. n. 11. *Ego autem puto*, inquit, *impletum fuisse, quod Propheta prædixerat. Respice, quæ fuit Ninive, & vide, quia eversa est: eversa in malo, ædificata in bono; sicuti eversus Saulus persecutor, & ædificatus Paulus prædicator*.

32. Obj. secundo, Deo nihil est futurum, sed omnia præsentia: non ergo præscit Deus futura. Hinc S. Augustinus Lib. II. ad Simplicianum qu. 2. *Quid est præscientia*, inquit, *nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Idem repetit in exposit. Psalmi XLIX.; idemque habent S. Gregorius Magnus Lib. XX. *Moralium* cap. 23., Boetius *de Consolat. philosophiæ* prosa 6., & alii apud Petavium Lib. IV. *de Deo* cap. 6. num. 2.

33. Resp. levem hanc esse de nomine difficultatem, non de re. Nemo Sanct. Patrum inficiatus est, ea a Deo cognosci, quæ nobis futura sunt; sed solum aliqui eorum animadvertentes, Deo in æternitate esse omnia præsentia, nihil ei futurum esse dixerunt, adeoque cognitionem harum rerum, quæ nobis futuræ sunt, scientiam in Deo esse appellandam, non præscientiam. Unde S. Augustinus loco laud. inquit: *si enim scientia Dei res ipsas habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes: ac per hoc non jam præscientia, sed tantum scientia dici potest*. Vid. S. Thomas qu. 2. *de verit.* art. 12. & P. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* T. I. P. II. Tract. ult. c. 15.

34. Inst. S. Thom. I. P. qu. 14. art. 15. docet, contingens, consideratum ut futurum, & ut nondum determinatum ad unum, *non subdi per certitudinem alicui cognitioni*, nec aliam de eo cognitionem haberi posse nisi *conjecturalem*: ergo &c.

35. Resp. S. Thomam loqui de re contingenti, considerata sine determinatione causæ primæ, nempe Dei, ex cujus voluntate pendet ejus futuritio respectu nostrum, atque præscindendo ab ejus præsentia in æternitate. Mentem suam perspicue aperit Angelicus; primo enim absolute pronunciat, *Deum contingentia futura cognoscere*. Post autem ita prosequitur: „contingens aliquod „ dupliciter potest considerari: uno modo in se„ ipso, secundum quod jam in actu est; & sic „ non consideratur ut futurum, sed ut præsens, „ neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut de„ terminatum ad unum; & propter hoc sic in„ fallibiliter subdi potest certæ cognitioni, utpo„ te sensui visus, sicut cum video Socratem se„ dere. Alio modo potest considerari contingens „ ut est in sua causa; & sic consideratur ut fu„ turum, & ut contingens nondum determinatum „ ad unum, quia causa contingens se habet ad „ opposita; & sic contingens non subditur per „ certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque „ cognoscit effectum contingentem in causa sua „ tantum, non habet de eo, nisi conjecturalem „ cognitionem. Deus autem cognoscit omnia con„ tingentia, non solum prout sunt in suis causis, „ sed etiam prout unumquodque eorum est actu „ in seipso "; nempe quia omnia, quæ sunt in „ tempore, & quæ nobis successive apparent, Deo sunt ab æterno præsentia (a).

36. Obj. tertio. Futura contingentia possunt non evenire; adeoque nulla eorum est determinata veritas; nec ergo possunt a Deo certo cognosci.

37. Resp. futura contingentia posse non evenire *absolute*, non tamen *hypothetice*. Si enim futura sunt, debent aliquo certo tempore esse; futurum enim illud dicitur, quod modo non est, aliquo tamen tempore erit.

38. Ob. quarto, contra secundam partem. Tam necesse est, quod Deus præscit, evenire, quam impossibile est, Deum omniscium in sua præscientia falli; atqui *absolute*, & omnino impossibile est, Deum omniscium falli: ergo etiam *absolute*, & omnino necesse est, quod Deus præscit, evenire; adeoque &c.

39. Resp. Dist. primam partem maj. Tam necesse est, quod Deus præscit, evenire, *necessitate consequentiæ, & hypothetica*, conc. necessitate *absoluta*, nego. Duplex est necessitas, alia absoluta & omnimoda, cum scilicet res ita est, ut aliter eam esse repugnet; & hæc omnem contingentiam tollit, & libertatem: alia est necessitas *hypothetica*, & *conditionata*, quæ a libera alicujus causæ determinatione pendet; & hæc neque contingentiam tollit, neque libertatem evertit. Deum esse infallibilem, omnino, & absolute necesse est; oppositum enim repugnat. Evenire autem quæ a Deo prævisa sunt, necesse est, non *absolute*, sed *hypothetice* tantum, posita scilicet determinatione causæ contingentis, & liberæ. Res illustrari potest exemplo. Deus dum res præsentes intuetur, Petrum e. g. stare, aut ambulare, eodem modo infallibilis est, ac cum videt rem fortuitam, & futuram; in utroque enim casu absolute, & omnino impossibile est, Deum falli; at qui nemo sanæ mentis inde colliget, omni, atque *absoluta* necessitate Petrum stare, vel ambulare, sed solum hæc facere necessitate quadam *hypothetica*, & *consequentiæ*, quæ ex libera ejus determinatione dependet: ergo pari jure &c.

40. Inst. primo. Omnis propositionis conditionalis, cujus antecedens est necessarium *absolute*, etiam consequens debet esse necessarium *absolute*, sic enim se habet antecedens ad consequens, sicut principia ad conclusionem; ex principiis autem necessariis sequitur conclusio pariter necessaria: sed hujus propositionis conditionalis *si Deus scivit hoc futurum esse, hoc erit*, antecedens est necessarium; tum quia est æternum, tum quia significatur, ut præteritum: ergo & consequens est necessarium *absolute*.

41. Resp. primo cum Estio in Lib. I. *Sentent.* distinct. 38. §. 8. neg. min. scilicet antecedens hujus

(a) Obiter moneo, probe notandam esse hanc S. Præceptoris doctrinam; ea enim efficax nobis suppeditabit argumentum contra Molinisticum systema.

jus conditionalis *si Deus scivit, hoc futurum esse, hoc erit*, esse necessarium *absolute*. Quemadmodum enim hæc propositio: *Adam peccabit* contingens est, ita contingens est etiam ista, *Deus prævidit Adam peccaturum*. Nec refert antecedens illius propositionis esse præteritum, immo æternum: quemadmodum enim in futuris, & præsentibus, ita etiam in præteritis, & æternis reperiri potest contingentia absoluta, & sola necessitas hypothetica; ut si ista propositio fortuita sit, & contingens: *Deus vidit Adamum peccantem*. Observandum est etiam cum eodem Estio, scientiam Dei posse appellari *absolute* necessariam, prout est ipsa Dei essentia, increata, immutabilis; appellari nihilominus posse etiam contingentem, quatenus connotat respectum ad res fortuitas, & contingentes (*a*).

42. Resp. secundo, cum S. Thoma (*b*) dist. maj. etiam consequens est necessarium in *sensu composito*, conc.; in *sensu diviso*, nego. Hæc distinctio magno est usui in hujus generis controversiis, adeoque accurate notanda. Sensus compositus est, quando res, quæ fortuita dicitur, simul cum divina præscientia componitur; & hoc modo res a Deo præscita non potest non evenire, quia Dei scientia falli non potest. Sensus autem divisus est, quando res fortuita consideratur tantum in se ipsa, absolute, & simpliciter; & hoc sensu res, quæ fortuita est, potest evenire. Quod est impossibile tantum in sensu composito, est impossibile solum hypothetice, & non absolute, quod neque contingentiæ, neque libertati obest. Res per se subtilis, & obscura clarior fiet exemplo vulgari. Hæc propositio: *loquens potest tacere*, vera est in sensu diviso, falsa in sensu composito; quia tamen lædatur loquentis libertas. Nimirum loquens absolute, & simpliciter potest tacere, adeoque libere loquitur: non autem potest tacere in sensu composito, hoc est componere simul locutionem cum silentio, simul tacere, ac loqui; neque ista impotentia in sensu composito libertati loquentis opponitur.

43. Inst. secundo. Ex hac doctrina sequitur, in sensu composito cum divina præscientia tolli rerum contingentiam, & libertatem; & solum res futuras concipi ut fortuitas in sensu diviso, hoc est, facta præcisione a divina præscientia, easque nude, & in seipsis considerando.

44. Resp. neg. sequelam. Nam (quod bene perpendendum est) quemadmodum in homine actu loquente vera est potentia ad silendum; ad silentium, inquam, non ut conjungendum cum locutione, quod fieri non potest, sed ad silentium in sensu diviso, & absolute: ita cum divina præscientia componitur potentia ad non ponendum effectum, adeoque & rerum contingentia, atque libertas. Cujus hæc ratio est, quia non invicem pugnant hæc duo: *Deus præscit, Petrum peccaturum*, *& Petrus potes non peccare;* sed hæc duo simul pugnant: *Deus præscit Petrum peccaturum*, *& Petrus non peccabit*. Unde etiam Scholastici dicunt, esse sub divina præscientia *simultatem potentiæ*, idest simul potentiam ad appositum absolute; non autem *potentiam simultatis*, seu potentiam ad oppositum, ut simul cum divina præscientia conjungendum.

45. Inst. tertio. Ideo verum est, loquentem posse tacere in sensu diviso, quia in eo est potentia ad tollendam locutionem, quæ cum silentio componi non potest, atqui in nobis potentia non est

(*a*) Estio consentit Sylvius, immo id esse ad mentem S. Thomæ contendit in artic. 13. *Quæritur* 4. nam S. Doct. in Lib. 1. *Sentent.* dist. 39. qu. 1. artic. 1. postquam probavit, Deum absolute, & divisim potuisse non scire, quæ scit, ita ad 3. respondet: *Deo scire necesse est, dum scit; non tamen necesse est eum scire, nisi necessitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit;* quibus verbis alia explicari possunt, quibus S. Doctor aliquando docere videtur, scientiam Dei esse necessariam *absolute*. Vid. etiam P. Lemos in *Panoplia* Tom. I. P. II. pag. 327.

(*b*) I. P. quæst. 14. art. 13. ad 2. ubi postquam rejecisset varias hujus difficultatis solutiones, ita respondet: *quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actus animæ, consequens est accipiendum non secundum esse, quod in se est, sed secundum quod est in anima. Aliud enim est esse rei in seipsa, & esse rei in anima; ut puta si dicam: si anima intelligit aliquid, illud est immateriale, intelligendum est, quod illud est immateriale, secundum quod est in intellectu, non secundum quod est in ipso. Et similiter si dicam: si Deus scivit aliquid, illud erit, consequens intelligendum est, prout subest divinæ scientiæ, scilicet prout est in sua præsentialitate. Et sic necessarium est, sicut & antecedens, quia omne quod est, dum est, necesse est esse, ut dicitur in I. Perihermenias*. Eadem responsione utitur Angelicus in 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 3. inquiens: *quia eadem est veritas prophetiæ, & divinæ præscientiæ, hoc modo illa conditionalis est vera: si aliquid est prophetatum, erit, sicut ista: si aliquid est præscitum, erit; in utraque enim antecedens est impossibile non esse: unde & consequens est necessarium, non secundum quod est futurum respectu nostri, sed ut consideratur in suo præsenti, prout subditur præscientiæ divinæ*. In laud. autem art. 13. I. Part. in resp. ad 3. inquit: *hæc propositio: omne scitum a Deo necessarium est, esse consuevit distingui, quia potest esse de re, vel de dicto. Si intelligatur de re, est divisa, & falsa; & est sensus: omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto, & sic est composita, & vera, & est sensus, hoc dictum scitum a Deo esse est necessarium;* quibus omnibus verbis, licet inter se diversis eadem significatur doctrina, quam solent Thomistæ explicare celebri distinctione sensus compositi, & divisi. Eam autem perperam nonnulli scholæ nostræ osores ut ludricam, & vanam contemnunt, & explodunt; cum omnes veteres Theologi eamdem, licet sub aliis verbis, adhibuerint; nec sine illa difficultates quædam in ipsa etiam Philosophia enodari queant, ut rerum periti norunt. Parum autem debemus esse solliciti de verbis, ubi res ipsa satis intelligatur.

est ad tollendam divinam præscientiam, quæ est æterna, & immutabilis: ergo &c.

46. Resp. dist. min. si divina præscientia absolute, & ut est in se, consideretur, *conc.*; si consideretur cum relatione ad nostram libertatem, cujus exercitium vel supponit, vel efficit, *nego*. Nam vel sermo est de divina præscientia, prout *abstractive* consideratur ut solum speculativa est, & res tantummodo contemplatur; & tunc ista subsequitur liberam nostræ voluntatis determinationem ab æterno prævisam; unde nostræ libertatis exercitium jam supponit. Vel sermo est de præscientia Dei *practica*, quæ adjunctum habet divinæ voluntatis decretum, & rerum efficit futuritionem; & nec ista libertatem lædit, sed potius perficit. Etenim Deus nedum decernit, & præscit actum futurum, sed decernit, & præscit actum *libere* futurum; & totum illud in nobis, & nobiscum facit, quod sola voluntas nostra faceret, si prima causa foret, & independens, ut proinde sola seipsam determinaret. Idque S. Thomas perpetuo repetit a summa, & infinita divinæ voluntatis efficacia, quæ non solum attingit substantiam, sed etiam modum liberum actus; atque ut alia loca prætermittam, illud sufficiat, quod S. Doctor habet Lib. III. *cont. Gent.* cap. 94. ubi respondens simili difficultati, inquit: *si Deus providit hoc futurum, hoc erit, sicut Deus providit illud esse futurum; providit autem, illud esse futurum contingenter: sequitur ergo infallibiliter, quod erit contingenter, non necessario*.

47. Inst. quarto. Illud est possibile, quo posito nullum sequitur absurdum; atqui si poneretur contrarium ejus, quod Deus præscivit, magnum consequeretur absurdum, error scilicet in divina præscientia: ergo contrarium ejus non est possibile, adeoque tollitur rerum contingentia, & humana libertas.

48. Resp. dist. maj. Si ponatur eo modo, quo est possibile, scilicet in sensu diviso, nullum sequitur absurdum, *conc.*; si ponatur eo modo, quo non est possibile, scilicet in sensu composito, *nego*. Eademque est responsio, quæ iterum illustrari potest exemplo hominis loquentis, qui eodem tempore tacere potest in sensu diviso, non autem in sensu composito.

49. Inst. quinto. Si ea, quæ a Deo præscita sunt, reipsa non evenirent, falleretur Dei præscientia: ergo etiam si possent non evenire, posset Dei præscientia falli. Ab actu enim ad potentiam valet consequentia, ut Dialecticorum habet adagium.

50. Resp. neg. conseq. ad cujus probat. dico, posse utique nos argumentari ab actu ad potentiam, quotiescumque non variatur suppositio, quæ reipsa in argumento proposito variatur. Dum enim in prima propositione dicitur: *Si ea quæ a Deo præscripta sunt, reipsa non evenirent, falleretur Dei præscientia*, fit sensus compositus, & conjungitur Dei præscientia simul cum non eventu rei præscitæ, quod, ut diximus, impossibile est. Dum autem subditur: *Si possent non evenire, posset scientia Dei falli*, fit sensus divisus, & simul conjunguntur Dei præscientia, & potentia non eveniendi, quæ est in re contingenti; & hæc duo simul non pugnant; quemadmodum actualia locutio non pugnat cum potentia tacendi, pugnat vero simul locutio, & silentium.

51. Inst. sexto. Eadem ratio est præscientiæ divinæ, & prædictionis Prophetarum; sed ex prædictione sequitur necessitas rei prædictæ: ergo etiam ex præscientia. Minor prob. ex cap. XII. Jo. 39. ubi de Judæis dicitur: *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*.

52. Resp. neg. min. ad cujus probat. dico, causam, cur Judæi non poterant credere, non fuisse prædictionem Isaiæ, sed cæcitatem, & duritiem cordis, quam Isaias spiritu prophetico prævidit, & prædixit. Ulterius illud *non poterant* non est intelligendum de impotentia absoluta, sed solum de impotentia *hypothetica*, & *conditionali*, facta scilicet hypothesi cæcitatis, quæ voluntaria erat, & tolli absolute poterat.

53. Ob. quinto. S. August. in Psalm. CVI. de quibusdam, qui ab Ecclesia recesserant, *Si fortasse*, inquit, *nostri sunt in occulta præscientia Dei, necesse est, ut redeant*. Item S. Anselmus *de concordia præsentiæ Dei cum lib. arb.* cap. 2. *Ea*, inquit, *quæ præscivit Deus, necesse est futura esse*: ergo &c.

54. Resp. utrumque S. Patrem loqui de necessitate improprie dicta, nempe *hypothetica*, & *conditionali*, quæ libertati, & contingentiæ non opponitur; non autem de necessitate antecedenti, & absoluta.

55. Ob. postremo. Non convenit inter Theologos, quomodo Deus videat future libera: Thomistæ enim pugnant com Molinistis: nec isti omnino sibi ipsi consentiunt in determinando medio, in quo Deus ea futura prævideat: ergo &c.

56. Resp. neg. cons. Videre Deum non solum præsentia, & præterita, sed etiam futura, dogma fidei est, in quo confitendo omnes catholici uno consensu conspirare debent; determinare autem medium, in quo Deus ea omnia videat, controversia est, quæ salvo fidei vinculo inter Theologos agitatur, cum nihil hactenus fuerit hac de re ab Ecclesia definitum. Et multa alia in religione sunt, quæ sive revelatione, sive naturali ratione nobis certo innotescunt, quantum ad substantiam; quorum tamen modus ignoratur.

57. Corollarium. Non solum Deus omnia futura libera certo, exploratoque cognoscit, ut hactenus demonstratum est; verum etiam soli Deo hæc certa futurorum cognitio competit; unde Isaiæ XLI. 23. dicitur: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*; & cap. XLV. 11. *Hæc dicit Dominus sanctus Israel.... ventura interrogate me*. Sanct.

Thomas I. P. quæst. 57. artic. 3. probat, Angelos non posse ex vi suæ conditionis, & naturæ res fortuito futuras cognoscere; & quæst. 86. art. 4. idem probat de intellectu humano, ac semper concludit, solius Dei esse proprium, futura omnia cognoscere. Hinc vanitas ostenditur divinationis, de qua multa egregie disputat Cicero in Lib. II. *de divinatione*. Vid. Estius in Lib. I. *Sent.* distinct. 38. §. 4.

CAPUT IV.

De futurorum præsentia in æternitate.

58. Nihil apud S. Thomam frequentius, quam futura omnia esse Deo præsentia in æternitate, quæ omne tempus modo quodam indivisibili, atque immutabili complectitur. Idipsum non raro etiam apud veteres Ecclesiæ Patres invenitur (vid. Petavius Lib. IV. *de Deo* cap. 4.). Sed oritur ex hoc perdifficilis quæstio, an hæc futura sint Deo præsentia in æternitate *objective* tantum, quomodo futura sunt præsentia etiam Prophetis, dum ea prævident; an vero *physice*, & *realiter*, prout nobis quæ jam existunt, præsentia sunt.

59. Hæc secunda sententia arridet Thomistis, quibus & multi alii subscribunt. Pro qua tamen sententia recte intelligenda observandum est, non eo sensu futura dici *realiter* præsentia in æternitate, quasi anticipata quadam productione jam existant in æternitate, antequam producantur in tempore; unde aliqui Thomistarum sententiam, ut maxime absurdam, explodunt; sed solum futura dicuntur Deo *physice*, & *realiter* præsentia, per coexstensionem æternitatis ad illud punctum temporis, in quo futura aliquando existent, & fient præsentia.

60. Id satis perspicue tradere videtur S. Thomas I. P. quæst. 14. art. 13. ubi postquam dixisset, Deum cognoscere futura contingentia, *non solum prout in suis causis sunt, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso*, ita prosequitur; *& licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicuti nos, sed simul; quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse: æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus: unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate*. Utitur etiam ibid. ad 3. aptissimo exemplo illius, qui ab aliqua altitudine intuetur totam viam, & videt omnes per eam transeuntes; cum tamen illi, qui transeunt, non videant illos, qui post se veniunt.

61. Et in Lib. I. *contra Gent.* cap. 66. æternitatem, quæ est instar puncti, nullam habens extensionem, *cuilibet tempori, vel instanti temporis præsentialiter adesse*, scribit. Idque circuli exemplo declarat, in quo punctum quodlibet, quod est in ambitu, cuivis alteri puncto situ proximum non est; at centrum, quod medium circuli obtinet, cuilibet puncto ambitus, seu circumferentiæ circuli ex adverso respondet. Ita, concludit Angelicus, *quidquid in quacumque parte temporis est, coexistit æterno, quasi præsens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum*.

62. Contraria sententia suos olim habuit etiam inter Thomistas patronos ex eo præcipue, quod percipere non valebant, quomodo futura, quæ nondum existunt, possent Deo in æternitate coexistere; unde solam eorumdem *objectivam* præsentiam in æternitate admittebant; non tamen ante divinæ voluntatis decreta, a quibus suam futuritionem desumunt. Aliqui autem recentiores, ut Vasquez, Suarez, Valentia, Lessius &c. ex schola Moliniana contendunt, eadem futura esse Deo in æternitate tantum *objective* præsentia *ante omne divinæ voluntatis decretum*. Quæ sententia inferius cap. VII. refelletur. Interim de tota hac controversia videri potest Thomas de Lemos in *Panoplia* Tom. I. P. II. tract. ult. cap. 16. & seq. qui hanc materiam *satis gravem*, *& necessariam* reputat saltem quantum spectat ad necessitatem divinorum decretorum, ut futura sint in æternitate præsentia (*a*).

CAPUT V.

An Deus cognoscat futura libera conditionata.

63. Futurorum conditionatorum genus constituitur duplex. Alia sunt, quæ a conditione suspenduntur, certo, & absolute ponenda; ut quando prædixit Deus, nostros protoparentes morte morituros, si vetitum fructum comederent; & hæc futura a Deo omnino cognosci nemo dubitat; conditione enim posita, jam sunt futura absolute; & ipsa conditio est absolute futura.

64. Alia dicuntur futura conditionate, quorum conditio ponenda non est, quæque proinde nunquam erunt; sed forent, si certa poneretur conditio; unde ab aliquibus vocantur potius *forentia*, quam futura. P. autem Edmundo Simonet Tract. I. *de Deo uno* disp. 3. q. 4. placuit ea appellare *fu-*

(a) De hac quæstione videri possunt Scholastici, qui eam copiose tractant: & Petavius Lib. IV. *de Deo* c. 4. & 5. Auctor autem de *l' Action de Dieu sur les creatures* Tomo IV. Sect. 6. cap. 2. nova quadam methodo claram, distinctamque ideam exhibet præsentiæ rerum in æternitate.

futuribilia tantum ; seu futuribilia non futura.

65. Rursus hæc futura conditionata secundi generis alia sunt de conditione aliquo modo connexa, ut quando Christus Matth. XI. prædixit, Tyrios, & Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, si quæ apud Judæos facta fuere, miracula vidissent. Alia vero sunt de conditione *disparata* ut vocant, quæ nullam habet cum re, de qua agitur, connexionem; ut illud celebre 4. *Reg.* XIII. 19. ab Eliseo Joas Regi Israel prædictum *si percussisses* (terram) *quinques, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consummationem.* Certe nulla erat ex rei natura inter percussionem terræ, & destructionem Syriæ proportio, aut connexio.

66. De hujusmodi futuris conditionatis, quorum conditio absolute ponenda non est, controvertitur inter catholicos, utrum a Deo certo cognoscantur. P. Th. de Lemos Tom. I. *Panopliæ gratiæ* P. II. Tract. 5. c. 22. plures auctores enumerat, qui horum futurorum solum probabilem, & conjecturalem cognitionem Deo tribuunt, nimirum Ledesmum, Zumel, Cabreram, aliosque. Quidam vero omnino negant, ea a Deo cognosci, ut Jo. Alph. Curiel Lib. I. Controv. 7., Claudius Typhanius *de Ordine* cap. 25., Lud. Thomassinus, qui pro more suo multa in hanc rem argumenta agglomerat, Jo. Bapt. Du Hamel L. IV. *Theol. specul. & pract.* c. 7., P. Viator a Coccaleo *Ricerca system. sopra S. Prospero* annot. 25., Edmundus Purchotius in *Metaph.*, P. Th. Vinc. Moniglia. *La mente umana ec.* Tom. II. pag. 57., aliique (*a*).

67. Quanquam isti omnes potius negant, esse aliqua vere futura conditionata, quorum conditio ponenda non sit, quam ea a Deo cognosci. Contendunt enim, hujusmodi futura commentum esse Pelagianorum, & Semipelagianorum, qui ut gratuitam parvulorum prædestinationem, quam S. Augustinus tanquam certissimum gratuitæ ceterorum omnium prædestinationis argumentum illis opponebat, aliqua ratione enervarent, eo dementiæ venerunt, ut dicerent, eos parvulos per baptismum salvari, quorum bona opera futura, si ad adultam pervenissent ætatem, Deus præscivit; eos autem sine baptismo decedere, quos Deus malos futuros esse in adulta ætate prævidit. S. Augustinus vero, ut gratuitam hominum prædestinationem tam ad gloriam, quam ad gratiam tueretur, duo Semipelagianis reponebat; primo quidem nihil prodesse infantibus a periculis hujus vitæ eripi, si Deus in ipsis peccata, in quæ lapsuri erant, si viverent, prævie puniret; contra id quod dicitur *Sapient.* IV. 11. de puero: *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Secundo autem in eo magis operam suam ponebat, ut ostenderet, vanam, & commentitiam esse hanc futurorum conditionatorum præscientiam; quod paucis allatis Sancti Doctoris testimoniis breviter ostendemus.

68. Et primo hoc ipsum commentum in Pelagianos oppugnavit Libro II. ad Bonifacium cap. 7. inquiens: *Quomodo* (*Deus*) *præscivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præscientia ejus falli non potest, præscivit potius non futura?* Deinde cum S. Prosper Augustino scripsisset, *tales in sententia Semipelagianorum perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam servarentur ætatem, scientia divina prævideri*t, illi respondet S. Doctor *de præ lest. Sanct.* cap. 14., & primo auctoritate S. Cypriani Lib. *de immortalitate* ostendit, mortem fidelibus esse utilem, *quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit. Sed quid prodest*, subdit, *si etiam futura, quæ commissa non sunt, peccata puniuntur?* Post autem expendens illud testimonium ex libro Sapientiæ IV. 11. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, quo prima fronte videtur comprobari scientia futurorum conditionatorum, quorum conditio poni non debet, inquit: *dictum est secundum pericula vitæ hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat; idest quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.*

69. Immo S. Doctor Pelagianorum, Semipelagianorumque commentum de præmiis, vel pœnis parvulorum pro iis, quæ, si adultam attigissent ætatem, boni, vel mali egissent, ex eo vel maxi-

(*a*) Petrus a S. Joseph Monachus Fuliensis Molinæ principiis enutritus in *Defens. S. Thomæ* disp. 2. Sect. 10., & multi alii Moliniani contendunt, a veteribus Thomistis cognitionem conditionatorum de conditione nunquam ponenda fuisse Deo constanter negatam. Dominicani autem hanc accusationem ut putidam calumniam sæpius repulerunt; ac inter alios Joann. a Sanct. Thoma in I. P. disput. 20. quæst. 11. artic. 1., Piccinardus Tom. III. *de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ* Lib. VII. quæst. 1. artic. 3., Gonet disputat. 5. *de scientia conditionatorum* artic. 1., P. Graveson epist. 3. theol. tertiæ classis, aliique. P. autem Lemos in Congregat. XXXIV. coram Clemente VIII. *in actis Congregat.* pag. 882. sequ. bene observavit, 1. Deum certo, & infallibiliter cognoscere omnia futura conditionata, *quæ certo futura sunt*, si tales adhibeantur conditiones: secundo, omnia alia futura conditionata, quæ non sunt certo futura, etiamsi conditiones adhibeantur, sed confinguntur esse futura sub illis conditionibus, non cognosci certo a Deo esse futura; & hujusmodi sunt, quæ a Molinistis ponuntur pro objecto scientiæ mediæ; ut dicetur infra. Sed quidquid sit, hanc controversiam non spectare ad fidem, docet etiam P. Suarez Proleg. 1. ad Tract. *de gratia* cap. 2. n. 19.; tum quia, ut ipse dicit, Scriptura non tam evidenter loquitur, quin aliquam evasionem patiatur; tum etiam quia ab Ecclesia nihil hac de re definitum fuit.

xime explodere videtur, quod nulla sint, neque a Deo prævideantur illa opera vel bona, vel mala, quæ a conditione dependent nunquam ponenda: unde etiam ad hanc imaginariam hujusmodi futurorum conditionatorum præscientiam eliminandam dicebat Lib. I. *de anima*, *& ejus origine* cap. 12. T. X. *Quid quod ipsa exinanitur omnino præscientia, si quod præscitur, non erit? Quomodo enim recte dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* Atque inde ita colligit: *quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla sunt, idest quæ nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præveniente post carnem?*

70. Nec minus commentitiam, absurdamque hujusmodi conditionatorum præscientiam reputavit S. Fulgentius Lib. I. *de verit. prædestinat. & gratiæ* cap. 7. & 8., ubi inter alia hæc habet: *Sicut præscivisse fatendum est Dominum parvuli futuram mortem, quæ vere futura erat, sic absurde dicitur, Dominum præscisse parvuli futura peccata, quæ futura non erant.* Et infra: *absurde itaque dicitur, quod præscivit parvulum, si viveret, impium futurum, quem utique præscivit ad ætatem, qua impie viveret, non esse venturum;* quibus verbis nedum convellit errorem Pelagianorum somniantium, hujusmodi operibus conditionate futuris a Deo præmium, vel pœnam rependi; sed falcem quasi ad radicem immittens, hæc ipsa bona, vel mala opera, quæ nunquam erunt, a Deo cognosci negat. Immo satis firmo argumento hujus scientiæ figmentum ita destruit: Deus nihil præteritum, aut futurum videt, sed omnia sunt illi in sua æternitate præsentia; at vero futura hæc conditionata, quæ nunquam erunt, nullo modo possunt esse Deo in æternitate præsentia: ergo &c.

71. Ea autem, quæ potissimum ex sacris litteris afferri solent ad stabiliendа futura illa conditionata, haud difficili negotio a Thomassino, aliisque hujus sententiæ assertoribus explicantur. Et primo quidem illud Matth. XI., & Lucæ X. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Nempe his verbis nihil aliud significari vult Thomassinus, quam *duritiam Judæorum, quibus vel ipsi inter idololatras perditissimi Tyri nec comparandi essent. Ita sæpissime amico exprobramus quidpiam neganti, si hoc vel ab inimico petiissem, statim annuisset..... Et sane Christi scopus hic est, non prophetare, sed exprobrare.*

72. Alterum est, quod Eliseus Joas Regi Israel prædixit 4. Regum XIII. *Si percussisses terram quinquies, aut sexies, vel septies, percussisses Syriam usque ad consummationem: nunc autem tribus tantum vicibus percuties eam.* Sed hoc, inquiunt, non aliud innuit, quam Joas pro sua in Deum, ejusque Prophetas obedientia victorias ex hoste reportaturum, quasi dictum esset: *toties vinces, quoties obedivisti, sæpius victurus, si magis obedivisses.*

73. Tertium illud est, quando David, cum esset Ceilæ, ac metueret, ne ipsum Ceilitæ hosti traderent, si Saul ad obsidendam urbem descenderet, Domini oraculum consulit; respondit autem Dominus 1. Regum XXIII. *tradent;* quo audito David suæ vitæ consulens alio commigravit. Sed hoc etiam, inquiunt, non tam futurum conditionatum continebat, quam præsentem Ceilitarum dispositionem, qui Davidem prodere jam meditabantur. Unde in Paraphrasi Chaldaica sic David interrogat Dominum: *cogitant me tradere viri Ceilitæ?* respondit autem Dominus, *cogitant tradere. Cogitat descendere Saul? & dixit Deus: cogitat descendere.* Et Glossa ordinaria inquit: *in voluntate habent, ut tradant.*

74. Restant celebres promissiones conditionatæ, sæpius populo Israelitico iteratæ, benedictionum, & felicitatum, si in præceptis Dei ambulasset; tum Davidi, & Salomoni de regno eorum filiis, & nepotibus æternum conservando, si legem ejus custodivissent; de venia insuper danda Sodomitis, si decem inter eos justi inventi fuissent; aliæque id genus, quæ adimpletæ non sunt defectu conditionis. Verumtamen facile & hæc omnia explicantur, ut nempe dicta sint ad significandam Dei bonitatem, & justitiam, tum connexionem, quæ est inter meritum, & præmium, interque peccatum, & pœnam. Hinc futurorum hujusmodi conditionatorum hostes colligunt, nihil esse in sacris litteris, quod nos cogat, aliqua futura conditionata admittere, quorum conditio nunquam ponenda sit; unde consequitur, ea nec a Deo cognosci. Sed hæc viderint alii. Nos suo loco ostendemus, hæc futura conditionata, si vere aliqua sunt, non aliter a Deo cognosci, quam in decretis subjective absolutis, objective autem conditionatis (a).

CAPUT VI.

De medio, in quo Deus seipsum, & res possibiles videt.

75. Medium cognitionis dicitur illud, quod prius cognitum in alterius cognitionem ducit; ut cum

(a) De hac controversia videri possunt auctores supra laudati, ac præcipue P. Thomas de Lemos loco cit. num. 65.; ubi varia distinguit horum futurorum genera, variasque regulas tradit, ut statuatur, quænam per scientiam simplicis intelligentiæ, quænam autem per scientiam visionis cognoscantur; quin necesse sit ad scientiam mediam Molinistarum confugere.

eum in speculo imaginem nostram intuemur, speculum est nostræ visionis medium. Jam vero certum est, Deum in nullo medio a se diverso essentiam suam intueri; quid enim infinitam illam totius entis plenitudinem adæquate repræsentare unquam posset? Videt ergo Deus se ipsum sine ullo medio in seipso; attributa tamen sua, quemadmodum a nobis concipiuntur a divina ipsius essentia dimanare, ita etiam in sua essentia eum intueri concipimus. Et hæc nullam habent apud Theologos dubitationem.

76. Sed neque dubitari merito potest, in quonam medio Deus videat alia a se. Deum enim omnia in seipso cognoscere adeo certum putavit S. Augustinus, in Libro *octuaginta trium quæstionum* quæst. 46. ut contrariam opinionem *sacrilegam* appellavarit; *non enim*, inquit, *extra se quidquam positum intuebatur ..... nam hoc opinari sacrilegium est*. Quod Augustini dictum ita explicat fidelis ejus interpres S. Thomas I. P. quæst. 14. art. 5. ad 1., *non quasi nihil, quod sit extra se, intueatur, sed quia id, quod est extra seipsum, non intuetur, nisi in seipso*.

77. Hæc cum omnibus certa sint, orta est tamen quæstio inter Theologos, quæ majorum discordiarum prima quasi facula fuit, an alia a se cognoscat Deus in sua essentia, tanquam in eorum causa, an vero tanquam in speculo ea omnia repræsentante. Et quidem variæ nascuntur difficultates pro varietate objectionum scientiæ Dei, quæ distinctis capitibus expendi debent.

78. Quantum ad res possibiles, de quibus hoc capite agimus, Thomistarum certa opinio est, cui etiam plures alii suffragantur, eas a Deo non cognosci, nisi in sua essentia, tanquam in causa. Repugnat Vasquez in I. P. disp. 60. capp. 2. & 5., quem nonnulli recentiores sequuntur.

79. At vero contra eos duplici argumento probant Thomistæ creaturas omnes possibiles a Deo in sua essentia, tanquam in causa videri: primo ex verbis Dionysii vulgo Areopagitæ cap. 7. de *divin. nominibus*, ubi de omnibus rebus a Deo cognitis ita generalitar statuit: *neque enim ea, quæ sunt, ex his, quæ sunt, discens noscit divina mens, sed ex se, & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet*. Deleant, oportet, adversarii vocem illam *per causam*, si volunt hoc testimonium suis placitis conciliare.

80. Prob. secundo ratione, quam sæpissime S. Thomas inculcat. Divina omnipotentia, quæ unum idemque est cum divina essentia, vera causa est, cur res sint possibiles, non enim ex eo solum res dicuntur possibiles, quia ex se non repugnant; sed etiam ex eo, quod aliqua causa est infinitæ virtutis, quæ eas potest ex nihilo extrahere: ergo Deus suam essentiam videns, immo perfectissime comprehendens, in ea *tanquam in causa* omnes res possibiles cognoscit. *Deus*, inquit Angelicus in I. *Sentent.* dist. 35. qu. 1. art. 4. ad 2., *est perfecta causa omnium quæ ab ipso sunt, cum nihil possit accipi, quod ab ipso non sit; & ideo ipse per essentiam omnia perfecte cognoscit*; quod centies alibi repetit; & multa ejusdem testimonia huc spectantia collegit Franc. Sylvius ad I. P. q. 14. art. 5. (a).

81. Quod autem Deus non videat res possibiles immediate in seipsis extra suam essentiam, prob. primo auctoritate Dionysii, vulgo Areopagitæ, qui cap. 7. supralaud. *de divin. nomin.* de Deo inquit: *non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia*; & paulo post: *Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia, sed sui*: & ita perpetuo hic antiquus, & gravissimus auctor non aliam Deo tribuit rerum cognitionem, quam in seipso.

82. Prob. secundo auctoritate S. Ambrosii, qui, *Tract. in Symb.* cap. 1. *Licet*, inquit, *omnia cœlestia, & terrestria, ac minima quæque prospiciat Deus, nihil tamen extra intelligere, sed singula in se intueri dicitur*.

83. Prob. tertio testimoniis S. Augustini, qui Lib. XI. *de Civit. Dei* cap. 7. *Cognitio*, inquit, *creaturæ in seipsa decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur*: absurdum est autem Deo tribuere cognitionem *decoloratiorem*, seu imperfectam. Addo, S. Augustinum *sacrilegium* plane putasse opinari, aliquid a Deo extra ipsum Deum videri (supra n. 76.).

84. Accedit quarto etiam S. Thomæ auctoritas, qui perpetuo docet, omnia a Deo in sua essentia, tanquam in medio, & in causa videri, nuspiam vero innuit, aliqua a Deo immediate in seipsis cognosci. Neque id solum; sed præterea I. P. quæst. 14. art. 5. postquam multa in hanc rem disseruisset, ita demum concludit, *sic igitur dicendum est, quod Deus seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam; alia autem a se videt, non in ipsis, sed in seipso, inquantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso*.

85. Id etiam confirmatur ratione ejusdem S. Thomæ art. 5. mox laud., ubi inquit: *in seipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili; sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis*: atqui res possibiles cognosci a Deo neque-

(a) Sylvanus Regis in suo egregio opere. *L'usage de la raison, & de la foi* Lib. I. P. 1. c. 28. haud contemnendis argumentis probare nititur, nihil esse possibile, aut impossibile ante divinæ voluntatis decretum. Unde P. II. cap. 1. infert primo, creaturas etiam possibiles nonnisi in decreto suæ voluntatis a Deo videri; secundo nullam aliam esse in Deo scientiam creaturarum, quam visionis, quæ decreta divina consequitur. Hæc si vera sunt, nostram sententiam magis confirmant.

quennt per speciem propriam ipsis adæquatam; quia si Deus res possibiles hoc modo cognosceret, specificationem, & perfectionem ab ipsis acciperet, quod tam absurdum est, quam quod maxime: ergo &c.

86. Id explicat S. Thomas I. *cont. Gent.* c. 48. inquiens: „ Operatio intellectualis speciem, „ & nobilitatem habet secundum id, quod est „ per se, & primo intellectum, quum hoc sit „ ejus objectum. Si igitur Deus aliud a se intel- „ ligeret, quasi per se, & primo intellectum, „ ejus operatio intellectualis speciem, & nobilita- „ tem haberet secundum id, quod est aliud ab „ ipso: hoc autem est impossibile, cum sua ope- „ ratio sit ejus essentia. Sic igitur impossibile „ est, quod intellectum a Deo primo, & per se „ sit aliud ab ipso “.

87. Ob. primo. Ad perfectionem Dei pertinet res cognoscere omni eo modo, quo cognoscibiles sunt; sed res possibiles cognoscibiles sunt, nedum in divina essentia, sed etiam immediate in se ipsis: ergo &c.

88. Resp. dist. maj. Omni eo modo, quo cognoscibiles sunt, remota omni imperfectione, *conc.*; secus, *nego*. Nihil in re cognita esse debet, aut potest, quod infinitam Dei cognitionem fugiat; id enim ad perfectam divinam comprehensionem pertinet: non autem oportet, ut Deus rem cognoscat omni eo modo, quo absolute cognosci potest: alias deberet etiam cognoscere per discursum, aut per abstractionem. Jam vero cognoscere res possibiles immediate in seipsis aliquam divino intellectui imperfectionem afferret, ut explicatum est.

89. Inst. Cognoscere res immediate in seipsis nullam affert Deo imperfectionem; immo majorem dicit perfectionem, quam eas cognoscere mediate, & in alio: ergo &c. Prob. ant. primo ex S. Thoma I. P. qu. 14. art. 10. ad 4., ubi docet, *quod cognoscere aliquid per aliud tantum, est imperfectæ cognitionis, si illud sit cognoscibile per se*. Secundo quia cognitio rei in alio est cognitio obscura, & abstractiva, quæ certe imperfectior est, quam cognitio immediata, & intuitiva: ergo &c.

90. Resp. neg. ant.; ad cujus primam probat. dico, S. Thomam loqui in hypothesi, quod objectum sit cognoscibile per se clarius, quam in alio. At vero res omnes possibiles, & creatæ multo clarius, & perfectius repræsentantur in essentia divina, quam in seipsis. Unde etiam S. Augustinus cognitionem rerum in seipsis appellet *decolorationem*; & Lib. IV. *de Genesi ad litteram* c. 23. inquit: *in comparatione lucis illius, quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest*.

91. Secundæ probat. resp. neg. cognitionem rerum in divina essentia esse obscuram, vel abstractivam; est enim clara, & intuitiva, cum res possibiles, quantum ad omnes suas perfectiones, & differentias in ea contineantur, tanquam in causa exemplari, & efficiente, non quidem *formaliter*, sed *eminenter*, quatenus omne id, quod habent, a Deo habent. Audiatur S. Thomas I. P. q. 14. art. 6. ad 1.: *Deus non solum cognoscit res esse in seipso, sed per id, quod in seipso continet res, cognoscit eas in propria natura; & tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso*.

92. Inst. secundo. Res, prout sunt in Deo, omni carent defectu; carere autem non possunt prout sunt in seipsis; sunt finitæ, adeoque imperfectæ; ergo in Deo non videntur, prout in se sunt; adeoque ut Deus res omnino cognoscat, eas debet in seipsis quoqua immediate videre.

93. Resp. neg. cons.; Deus enim in seipso videt creaturas, etiam cum suis defectibus eo modo, quo videt mala. *Licet malum*, inquit Angelicus I. P. quæst. 14. art. 10. ad 3., *non opponatur essentiæ divinæ, quæ non est corruptibilis per malum, opponitur tamen effectibus Dei, quos per essentiam suam cognoscit; & eos cognoscens mala opposita cognoscit*. Deinde Adversarii docentes, Deum videre creaturas in essentia sua, tanquam in speculo, eidem obnoxii sunt difficultati; hoc enim purissimum speculum maculas etiam, & defectus exhibere deberet.

94. Inst. tertio. Dei justitia, misericordia, omnipotentia, aliaque attributa, immediate referuntur ad creaturas, qui aliquam contrahant imperfectionem: ergo etiam sine ulla imperfectione potest Dei scientia creaturas in seipsis immediate attingere.

96. Resp. neg. cons. & in eo est disparitas, quod scientia refertur ad res cognitas; sicut ad objectum, a quo speciem sumit: unde si Deus creaturas immediate in seipsis cognosceret, ejus cognitio ab ipsis hausta, ab iisdem speciem, & perfectionem acciperet. Omnipotentia autem, justitia, misericordia &c. creaturas respiciunt, ut effectus, qui a causa suum esse desumunt, nullam autem eidem perfectionem tribuunt.

96. Obj. secundo. S. Thomas I. P. q. 20. art. 2. ad 2. *Deus*, inquit, *ab æterno cognovit res in propriis naturis ... sicut & nos per similitudines rerum, quæ in nobis sunt, cognoscimus res in seipsis existentes*: ergo &c.

97. Resp. dist. Deus cognovit res in propriis naturis *immediate* in seipsis, *nego*; prout in sua essentia continentur, & repræsentantur, *conc.* Non debemus mentem S. Præceptoris quasi expiscari ex iis, quæ obiter, & aliud agens aliquando dixit; cum perspicue in iis locis patet, ubi data opera hanc materiam expendit. Loco objecto quærit Angelicus, quomodo potuerit Deus creaturas ab æterno amare, quæ non erant aliquid ab ipso distinctum? Respondet autem, quod quemadmodum Deus ab æterno res cognovit in propriis naturis, eadem ratione etiam amavit. Solum ergo vult, res fuisse Deo ab æterno cognitas, & quidem secun-

eandum proprias naturas, adeoque amatas; hic enim erat ejus scopus: de medio autem, quo cognitæ ab æterno fuere, ibi S. Doctor non agit; sed ea rata habet, quæ in qu. 14. docuerat.

98. Inst. S. Thomas I. P. quæst. 14. art. 7. ad 2. docet, *quod Deus non cognoscit per causam, quasi prius cognitam, affectus incognitos, sed eos cognoscit in causa:* ergo &c.

99. Resp. dist. ant. hoc est non cognoscit per discursum, progrediendo de re nota ad ignotam, *conc.*; non cognoscit per causam sine discursu *nego*. Sic explicat S. Doctor, e vestigio subdens: *unde cognitio ejus est sine discursu;* quatenus eodem tempore & causam comprehendit, & effectum. Sed de hac quæstione consuli possunt passim Thomistæ.

CAPUT VII.

De medio, in quo Deus futura libera absoluta cognoscit.

100. Perdifficilis, & perobscura est hæc quæstio, de qua Gregorius Ariminensis in I. dist. 38. & 40. Okamus, Gabriel Biel, aliique non pauci suam ignorantiam fateri maluerunt quam temere aliquid pronunciare; quorum exemplum non ita pridem secutus est Petrus Collet *Inst. theol. tract. de Deo* quæst. 5. art. 2. concl. 2. edit. Paris. 1756. Et quidem si quæstio hæc in se sola consideretur, non multum interesse videtur definire, quonam in medio Deus futura prospiciat, modo ratum, fixumque sit, nihil prorsus Deum omniscium latere.

101. Sed gravis sine dubio facta est hujus rei investigandæ necessitas, postquam celebres illæ exortæ sunt quæstiones de gratiæ efficacia. Si enim nihil boni acturi sumus, nisi Deus motione physica, ex se, & natura sua efficaci nos ad bene agendum determinet, consequens profecto erit, non aliter opera nostra bona a Deo prævideri, quam in efficacibus suæ voluntatis decretis, quibus statuit nobis victricis suæ gratiæ motionem tribuere. Si vero voluntas nostra solius versatilis gratiæ ope seipsam primo determinat, Deus futura opera nostra bona in decretis suæ voluntatis prævidere non potest; atque aliud quærendum est divinæ cognitionis medium.

102. Hinc Theologi, prout varia sunt de gratiæ efficacia systemata, in varias abiere sententias de medio, in quo Deus futura contingentia absoluta cognoscit. Omnium maxime simplex, & in omnibus sibi consentiens, & constans est Thomistarum doctrina. Cum enim doceant, nihil, sive in naturali, sive in supernaturali ordine fieri sine efficaci, & physica Dei præmotione, idque tam in statu naturæ innocentis, quam in statu naturæ lapsæ, consequenter uno verbo pronunciant, futura quælibet libera, & contingentia a Deo cognosci in decretis, quibus statuit, humanam voluntatem, causasque contingentes ad certos actus præmovere; præmotione enim posita, infallibiliter consequitur actus. Peccata autem cognosci dicunt, tum in decretis positivis præmovendi voluntatem ad actum materialem peccati, tum in decretis permissivis malitiæ ad quam voluntas humana sua perversitate tendit. Hoc Thomistarum systema præclare exponitur a celeberrimo Meldensi Præsule Jac. Benigno Bossuet in *Tract. de lib. arb.* cap. 3.

103. Non ita inter se consentiunt, qui Molinæ vexilla sequuntur. Cum enim physicam præmotionem rejiciant, consequenter futura libera, & contingentia a Deo in suis decretis cognosci inficiantur; sed cum determinare coguntur *medium*, in quo Deus ea cognoscat, *hoc opus*, *hic labor;* & tanta sunt in varietate constituti, ut plane molestum sit omnium dinumerare, & explicare sententias.

104. Primo totius scholæ antesignanus Lud. Molina ea cognosci dicit in voluntatis humanæ *supercomprehensione*, qua Deus non solum eam totam usque ad ultimas fibras comprehendit, sed etiam infinite superexcedit. Ita in *Concordia* quæst. 14. art. 13. disp. 52. Molinæ adhæret Mart. Becanus Tom. I. *Summæ theol.* cap. 10. quæst. 7., cum paucis aliis.

106. Secundo. Fonseca Tom. III. *Metaph.* & Suarez Lib. II. *de scientia Dei* c. 8. Deum futura contingentia, & libera cognoscere docent in suo decreto, non quidem existente, ut Thomistæ sentiunt, sed futuro, & ponendo in sequenti signo rationis.

106. Tertio. Multi recentiores negant, Deum cognoscere futura in medio aliquo, sed ea cognosci a Deo dicunt immediate in seipsis, seu in veritate objectiva, quam habent antecedenter ad omne decretum Dei; nam ex duabus propositionibus contradictoriis, quæ de futuris contingentibus efformari possunt, altera debet esse determinate vera, altera determinate falsa. Ita sentit Vasquez, & alii; eamdemque sententiam ut probabilem adoptat etiam Suarez Lib. II. *de scientia Dei* c. 2.

107. Quarto. Nonnulli confugiunt ad sententiam, quæ Ægidio Romano tribuitur (in I. *Sent.* dist. 38.), dicentes, Deum videre futura in suis ideis, seu in divina essentia, prout habet rationem ideæ repræsentantis omnes creaturas.

108. Denique, ne alia minutiora persequar, Theophilus Rainaudus in sua *nova libertatis explicatione* quæst. 2. cap. 4. n. 33. Deum cognoscere docet futura libera in operatione voluntatis creatæ, qualis futura esset in hypothesi, quod per se solam agere posset.

109. Inter has duas sibi e diametro oppositas Thomistarum, & Molinistarum sententias, quasi media incedunt via Augustiniani recentiores, & varios distinguentes hominum status, ac rerum ordines, modo Thomistis junguntur, modo ad Molinistas accedunt. Itaque si sermo sit de futuris or-

ordinis mere naturalis, absolute pronunciant, ea a Deo cognosci ante decreta; physicam enim Thomistarum præmotionem ad actus naturales non admittunt. Si autem sermo sit de futuris ordinis supernaturalis, distinctione statim utuntur; & in statu naturæ innocentis ea pariter cognita fuisse dicunt ante decretum; quia in eo statu gratiam ab intrinseco efficacem non agnoscunt; & hactenus Molinistis consentiunt. At vero ubi disseritur de futuris ordinis supernaturalis in statu, qui nunc est, naturæ lapsæ, tunc icto cum Thomistis fœdere, nobiscum docent, ea nullo modo prævideri a Deo potuisse, nisi in decretis absolutis, quibus Deus se gratiam ab intrinseco victricem daturum constituit; hanc enim gratiam in hoc statu naturæ per peccatum fractæ, & vitiatæ necessariam omnino esse, non minus, quam Thomistæ, strenue propugnant (a).

110. In tanta controversiarum velnti segete, quamquam cum Thomistis omnino sentio, Deum futura omnia cujuscumque generis, & ordinis in suis decretis cognoscere; ut tamen in scholasticis dissidiis, quantum minime possum, detinear, mihi propositum est, nonnisi de futuris contingentibus ordinis supernaturalis disputare; hoc enim totam continet rei summam; disputatio quippe de medio, in quo Deus prævidet futura contingentia ordinis mere naturalis, potius philosophica est, quam theologica, nullamque habet necessariam connexionem cum celebri controversia de divinæ gratiæ auxiliis. Qua in re vestigia sequor magni illius gratiæ defensoris Thomæ de Lemos, qui in Congregationibus de divinis auxiliis scite observavit, diversam, & peculiarem esse rationem actuum mere naturalium, & supernaturalium. Nam etiam liberaliter dato, decreta prædeterminantia non esse necessaria ad actus mere naturales, non inde consequitur, ea non necessaria esse ad actus supernaturales. Etenim ad hos exercendos major est in nobis difficultas, & resistentia, quæ non nisi a gratia victrici actu superari potest (b).

111. Sed & quæstionem illam de medio, in quo Deus prævideri ab æterno futura libera in brevissimo illo naturæ innocentis statu, qui ad summum quinque dierum spatio perduravit, ut minime præsenti nostro instituto necessariam, hoc loco prætermittemus; & conjunctis dextris cum Augustinianæ scholæ asseclis, tantummodo demonstrabimus, futura libera ordinis supernaturalis in hoc naturæ corruptæ statu a Deo in suis decretis prædeterminantibus videri. Sit itaque

PROPOSITIO.

Deus futura libera ordinis supernaturalis videt in suis decretis prædeterminantibus.

112. Idque prob. primo ex sacris literis. Deus in decretis suæ voluntatis omnia cognoscit, quæ ipse facturus est, dicente Apostolo ad Ephes. I. 11. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* & Act. XV. 18. *Notum a sæculo est Domino opus suum.* Et sic nonnisi in decretis suis novit ab æterno futuram incarnationem Verbi. Atqui futura ordinis supernaturalis sunt opera Dei, seu efficacis illius gratiæ fructus, ut nemo, nisi Pelagianus, inficiabitur: ergo &c.

113. Nec verum est, quod Adversarii respondeant, hæc futura non esse opera solius Dei, cum ad

(a) Ita sentiunt P. Laur. Berti *de theol. discipl.* Lib. IV. cap. 6., Nic. L'Herminier, Jo. Bapt. Du-Hamel in *Theol. specul. & pract.* Lib. IV. cap. 4., & non pauci alii, inter quos Car. Witasse q. 12. art. 5. sect. 5.; quamvis hic postremus ex lectione operis, cui titulus *l'action de Dieu sur les creatures* in sententiam Thomistarum postea inclinaverit; prout in quibusdam ejus schedis post mortem inventum est. Laudatus Witasse q. 12. art. 1. sect. 6. *quatuor* præcipua systemata de scientia Dei, prædestinatione, & gratia, nempe Augustinianorum, Thomistarum, Molinistarum, & Congruistarum, admodum copiose, accurateque exponit.

(b) Observat P. Hyac. Serry in *Hist. Congregationum de div. auxiliis* Lib. V. Sect. 2. cap. 9., nunquam in celeberrimis illis Congregationibus disputatum fuisse de physica præmotione ad actum materialem peccati. Reipsa P. Thomas de Lemos, prout ipse narrat (in *Actis omnibus Congregationum &c.* pag. 1220.) Patri Vastidæ objicienti, ex doctrina de physica præmotione sequi, quod Deus sit causa peccati, vel quod ad peccatum homines prædeterminet, postquam id negavit, subdit: *potest optime quis defendere physicam prædeterminationem pro actibus supernaturalibus, & ex isto capite non coarctatur ad illam defendendam pro aliis actibus facillimis naturalis ordinis, & pro actionibus peccatorum: & ratio est &c.* Audiatur quoque pius & doctus Vinc. Contensonius Lib. VIII. *Theol. mentis & cordis* dissert. 1. cap. 2. specul. 3., ubi inquit: *illud etiam diligenter observari censeo, quod, licet sententia de prædeterminatione ad actus naturales, atque etiam ad materiale peccati, tanquam probabilior a Thomistis eligatur, non ita tamen ex illis traditur, ut ex præmotione ad actus naturales, atque etiam ad materiale peccati pendeat veritas illa cardinalis de gratia per se efficaci ad actus supernaturales, & meritorios saluti necessaria. Generalem quippe prædeterminationem admittunt dumtaxat Thomistæ, ut probabilem secundum rationem naturalem, & non ut necessario cum fide catholica connexam. Gratiam vero per se efficacem tenent, ut conclusionem theologicam ab Augustino, & Aquinate clarissime traditam, & post articulos fidei omni exceptione majorem, in proxima, & veluti ultima dispositione definibilem. Unde, etiamsi nulla ad actus mere naturales, vel morales physica prædeterminatio admitteretur; eam tamen in ordine supernaturali ad recte, christianeque vivendum admittendam contendimus; ... unde, ut optime Alvarez Lib. III. de auxiliis disp. 24. n. 27. observavit, Thomistarum nonnulli Deum præmovere ad actum peccati, etiam ut actus est, inficiati sunt, quamvis ad unum omnes gratiæ victricis, & per se efficacis potentissimam potestatem, a prævisione scientiæ mediæ independentem constantissime asseverent.*

ad ea etiam libera voluntas humana concurrat; non inquam; quamvis enim etiam voluntas humana ad bene operandum libere, & active concurrat, tamen vel ipse consensus voluntatis humanæ est opus Dei, & effectus ipsius gratiæ, iterum dicente Apostolo ad Philip. II. 13. *Deus est, qui operatur* (vel ut textus græcus habet ἐνεργῶν *efficaciter operans*) *in nobis & velle, & perficere*; quod etiam Isaias dixit in Cantico cap. XXVI. 12. *Omnia opera nostra operatus est in nobis* (a).

114. S. Augustinus autem sexcentis plane in locis docet, Deum in decretis suæ voluntatis cognoscere, quæ ipse facturus est; atqui actus nostri supernaturales, eodem S. Augustino docente, a Deo in nobis fiunt, nobis tamen etiam active operantibus sub motione Dei: ergo &c. Utraque propositio ostenditur, & primo major ex verbis S. Doctoris, qui L. *de prædestinat. Sanct.* cap. 10. *prædestinatione*, inquit, *Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; unde dictum est Isaiæ XLV.* (ex vers. LXX. Interpr.) *fecit, quæ futura sunt*. Et paucis interjectis: *quando promisit Deus Abrahæ fidem gentium ... non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia* (ratio bene notanda) *etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt, ut ipse faciat, quæ promisit*. Minor autem & verbis mox allatis perspicue continetur, & frequentissime a S. Doctore repetitur, qui bona opera nostra modo appellat *beneficia Dei* (*de dono persever.* c. 14.), modo *dona Dei* (ibid. cap. 17.) *opera Dei* (epist. 217. ad Vitalem n. 15.), & *facta Dei* (*de prædest. Sanct.* cap. 10.).

115. Sæpe etiam utrumque conjungit S. Pater, nimirum opera nostra bona a Deo nobis donari, eaque in sua prædestinatione cognosci; ut cum de *dono persev.* cap. 14. de nostris bonis operibus ait: *quæ utique si* (Deus) *præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit*. Et cap. 17.: *ista igitur sua dona quibuscumque Deus donat, proculdubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit*.

116. Et hoc adeo fixum, ratumque erat S. Augustino, ut asserere non dubitaverit, nullam esse in Deo horum futurorum præscientiam, si nulla apud ipsum sunt de iis decreta. Id multis, & disertis verbis declarat S. Doctor *de dono persever.* cap. 17.: ac demum sic in fine concludit: *hæc Dei dona, quæ dantur electis ... si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur a Deo*. Vel itaque, Augustino judice, futura libera ordinis supernaturalis non cognoscuntur a Deo; vel si cognoscuntur, cognoscuntur in prædestinatione, seu in decretis suæ voluntatis.

117. Prob. etiam ex S. Thoma, de cujus mente nullo modo dubitandum esset, vel ex eo solo, quod in S. Augustini vestigiis pedem semper fideliter figat: unde & generaliter docet, humana futura cujuscumque ordinis a Deo in suis decretis cognosci. Lib. I. *contra Gent.* cap. 68. probat, Deum cognoscere nostræ voluntatis motus, hac ratione: *sic Deus cognoscendo suam essentiam, alia cognoscit, sicut per cognitionem causæ cognoscuntur effectus. Omnia igitur Deus cognoscit suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua causalitas extenditur; extenditur autem ad operationes intellectus, & voluntatis ... cum effectus causarum secundarum in causas primas principalius reducantur: cognoscit igitur Deus cogitationes, & affectiones mentis*. Nil clarius, ut puto, desiderari potest. Hæc autem S. Thoma generaliter dictante, quis non videt, id ipsum potiore jure de actibus supernaturalibus concludendum esse, qui peculiari quadam ratione a divina gratia procedunt?

118. Et quia aliquis objicere poterat, voluntatem esse causam liberam, & suorum actuum dominam, ita subdit in fine: *dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, a qua est ei esse, & operari; & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis; ut sic Deus seipsum cognoscendo hujusmodi cognoscere possit*. En, quomodo Angelicus voluntatis libertatem, & dominium suorum actuum cum divina efficientia conciliat.

119. Idem Angelicus quæst. 2. *de verit.* art. 12. in 4. argum. *sed contra* probaturus, Deum cognoscere futura contingentia, *Deus*, inquit, *cognoscit res, inquantum est causa eorum; sed Deus non tantum est causa necessariorum, sed etiam contingentium: ergo* (futura) *tam necessaria, quam contingentia cognoscit*. Multo plura S. Doctoris loca videri possunt apud nostros Thomistas, & præcipue apud Thomam de Lemos Tom. I. *Panoplia gratiæ* P. II. tract. ult. capp. 7. & sequ.

120. Prob. postremo ratione theologica. Ante Dei decretum conferendi gratiam efficacem, nihil prorsus est futurum in ordine supernaturali: ergo nihil potest a Deo sine suæ voluntatis decreto cognosci. Conseq. facile patet; antecedens autem copiose, accurateque ostendetur in Tract. *de gra-*

(a) Addi potest & illud Isaiæ XLV. 11.: *Hæc dicit Dominus Sanctus Israel, Plastes ejus: ventura interrogate me*; quod ita legitur apud LXX. Interpretes: οὕτως λέγει κύριος ὁ Θεὸς, ὁ ἅγιος Ἰσραὴλ ποιήσας τὰ ἐπερχόμενα. *Ita dicit Dominus Sanctus Israel, qui fecit, quæ ventura sunt*. Atque ita legit S. Ambrosius Lib. I. *de fide* c. 7.; immo & S. Augustinus *de prædest. Sanct.* cap. 10. T. X.

gratia; interim tamen breviter probari potest ex quibusdam Ss. Augustini, & Thomæ principiis.

121. Et quidem S. Augustinus Lib. XXVI. *contra Faustum* cap. 4. *Ideo*, inquit, *nescio*, *quid sit futurum*, *quæ quid habeat voluntas Dei de hac re*, *me latet*. *Illud me tamen non latet*, *sine dubio futurum*, *si hoc Dei voluntas habet*. Non dicit S. Doctor, ignorare se, quid sit futurum, quia ipsum latet, quid humana voluntas factura sit; sed altius ascendit ad primam futuritionis originem, scilicet divinam voluntatem, qua posita etiam humana voluntatis determinatio consequitur: *Dei enim voluntati quis resistit?* inquit Apostolus Roman. IX. 19. Ulterius idem S. Augustinus Tract. LXVIII. in Joann. paucis verbis rem totam ita perstringit, dicens: *Deus fecit futura*, *ea prædestinando*; ante prædestinationem igitur, seu decretum non erant futura.

122. Angelicus etiam noster Præceptor I. P. q. 16. art. 7. ad 3. *Illud*, inquit, *quod nunc est*, *ex eo futurum fuit*, *antequam esset*, *quia in causa sua erat*, *ut fieret*; *unde sublata causa non esset futurum*, *illud fieri*. *Sola autem causa prima est æterna*; *unde ex hoc non sequitur*, *quod ea*, *quæ sunt*, *semper fuerit verum*, *ea esse futura*, *nisi quatenus in causa sempiterna fuit*, *ut essent futura*; *quæ quidem causa est solus Deus*. His verbis nihil potest esse illustrius; & plane non intelligo, quomodo quidam adversarii ea explicare conentur solum de causalitate illativa, vel de decretis Dei permissivis; cum de futuris quibuscumque ibi loquatur Angelicus, & inquirat, quomodo ea ab æterno veritatem habere potuerint, per veram scilicet æternam futuritionem, quæ nonnisi ab æternis divinis decretis oriri potuit.

123. Obj. primo. S. Thomas quotiescumque agit, & quidem non obiter, sed data opera de cognitione futurorum, non aliter ea a Deo cognosci docet, quam in præsentia, quam habent in æternitate, nulla unquam facta mentione decretorum. Ita I. P. q. 14. art. 13., in I. dist. 78. q. 1. art. 5., & sæpe alias.

124. Resp. cum doctissimo Lemos c. 7. p. 511., præsentiam futurorum in æternitate, quam medium esse cognitionis divinæ sæpius asserit Sanctus Thomas, non excludere, sed supponere divina decreta; sine quibus nihil potest esse futurum, adeoque nec præsentiam habere in æternitate. Hinc quotiescumque S. Thomas docet, res futuras Deo præsentes esse in æternitate, saltem implicite etiam docet, eas præsentes esse per divina decreta, a quibus habent, ut futuræ sint.

125. Sed aliquando etiam *expresse*, & luculenter memorat utrumque modum, quo Deus futura videt, scilicet in suis decretis, & in suis ideis, quatenus omnia ut præsentia in æternitate Deo exhibent. Sic in Lib. I. *Sent.* dist. 38. q. 1. art. 5., ubi rem hanc non perfunctorie, sed operose extendit, utrumque cognoscendi modum ita conjungit: *Patet etiam*, *quod Deus ab æterno non solum vidit ordinem sui ad rem*, *ex cujus potestate res erat futura*, *sed ipsum esse rei intuebatur*. Manifestum est, prioribus illis verbis: *Deus ab æterno vidit ordinem sui ad rem*, *ex cujus potestate res erat futura*, nihil aliud significari, quam Dei decretum, quo res ex mere possibili facta est futura. Cum vero subdit: *sed ipsum esse rei intuebatur*, præsentiam futurorum in æternitate intelligit, quam sequentibus verbis una cum Boetio Lib. V. *de Consolat. Philosoph.* prosa ultima fusius exponit (a).

126. Sed & illud addendum puto, minus proprie, ni fallor, præsentiam rerum in æternitate *medium* appellari, in quo Deus futura cognoscat. Medium cognitionis divinæ proprie non est, nisi divina essentia, vel absolute sumpta, si agatur de cognitione possibilium, vel ut determinata per libera suæ voluntatis decreta, si sermo sit de cognitione futurorum: præsentia autem eorumdem futurorum in æternitate potius modus est, quam medium divinæ cognitionis, quatenus Deus non habet scientiam successivam, aut variabilem, qua hoc primum cognoscat, deinde aliud, & prius aliquid ut futurum, post autem ut præsens, ac demum ut præteritum; sed unico simplicissimo intuitu totam æternitatem complectens, in qua nec futurum aliquid dici potest, nec præteritum, omnia videt præsentia, quemadmodum supra Cap. IV. explicatum est. Non tamen in æternitate aliquid videt extra se, sed omnia in seipso, seu in rationibus, vel ideis suis divinis, prout sæpius jam dictum est.

127. Inst. primo. Cum S. Thomas futura cognosci dicit in æternitate, significat, ea cognosci immediate in seipsis, non autem in decretis suæ voluntatis; ergo &c. Prob. ant. *Deus*, inquit I. P. quæst. 14. art. 13. *cognoscit omnia contingentia*, *non solum prout in suis causis*, *sed etiam*

(a) Auctor libri *de l'Action de Dieu sur les creatures* Tom. IV. sect. 6. cap. 2. §. 2. acuto ratiocinio ostendit, nullo modo res in æternitate præsentes a Deo videri posse, nisi e suis decretis prædeterminantibus ad res videndas quodammodo moveatur. Neque enim, inquit, rerum præsentia sufficit ad eas videndas, sed aliqua actio requiritur, qua potentia ad videndum excitetur; alias & cæcus res præsentes videret, & nos præsentiam spirituum sentiremus. Pari modo ut res in æternitate existentes a Deo videantur, aliqua in Deo actio intelligi debet, qua ad eas intuendas veluti excitetur. Hujusmodi autem excitatio in Deo a rebus ipsis præsentibus fieri nequit; cum absurdum sit, res creatas agere in Deum: debet ergo oriri e decretis suæ voluntatis, quibus solis Deus excitari quodammodo potest ad res præsentes intuendas. Sed dignus est auctor ipse, ut legatur; neque enim paucis verbis tota ejus demonstrationis vis sufficienter potest comprehendi.

iam prout unumquodque eorum est actu in seipso: Idipsum alibi multoties repetit, ut qu. 57. art. 3. & quæst. 87. art. 4. &c.: putat ergo Angelicus, futura non solum cognosci a Deo in suis causis, seu in decretis, sed etiam immediate in seipsis, prout actu sunt in æternitate.

128. Resp. S. Thomam, cum dicit, futura a Deo cognosci *in suis causis*, non intelligere decreta prædeterminantia, quæ sunt prima rerum futuritionis causa; sed causas creatas, in quibus solis non potest Deus certo futura contingentia prospicere, cum illæ deficere possint. Id patet ex contextu; antea enim dixerat: *alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa, & sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum; quia causa contingens se habet ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni: unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis &c.* Quis ita cæcus sit, ut non videat, hic solummodo de causis creatis, & contingentibus sermonem esse, non autem de prima causa increata, hoc est, de divinæ voluntatis decretis, in quibus solis certo potuit Deus futura contingentia cognoscere? Cum vero Angelicus addit, hæc futura Deo cognosci etiam *in seipsis*, non ita debet intelligi, quasi ea *immediate in seipsis* Deus cognoscat; sed quod ea cognoscat, *prout sunt in seipsis*; cognoscat tamen in seipso, seu in suis decretis.

129. Inst. secundo, Sanct. Thomas in I. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 3. agens de futuro contingenti, ipsum dicit *ad Dei cognitionem non referri, nisi secundum quod est in esse actuali*, nempe in æternitate. Porro particula illa *nisi* excludit omnem alium modum futura cognoscendi.

130. Resp. primo, præsentiam rerum in æternitate non excludere, sed supponere decreta, sine quibus nihil futurum est, maxime ubi agitur de futuris supernaturalibus, quæ, ut diximus, sunt *dona Dei, & opera Dei*. Vid. sup. n. 124.

131. Resp. secundo cum P. Th. de Lemos, verissime dici a S. Thoma, quod futura contingentia, prout Deo præsentia sunt in æternitate, non referuntur ad Deum, nisi secundum quod sunt in *esse actuali*, non tamen propterea negari, illa alio modo posse ad Dei cognitionem referri in *esse ideali*, prout nempe sunt in ideis divinis determinatis per decreta voluntatis. Addit Lemosius: *quod si quis voluerit S. Thomam mutasse sententiam I. P. loc. cit. nec ei contradicendum aliqua ratione pugnamus*. Certe in *Summa theol.* & in Lib. *contra Gent.* clarius, & accuratius hac de re loquitur.

132. Inst. tertio. S. Thomas in I. *Sent.* dist. 38. quæst. 1. art. 5. hoc ponit causas inter necessarias, & contingentes discrimen, ut in primis effectus a Deo cognosci possint, secus autem in secundis; atqui si Deus in decretis prædeterminantibus omnia cognosceret, nullum esset hujusmodi discrimen; Thomistæ enim contendunt, non minus causas necessarias, quam liberas physica præmotione indigere: ergo &c.

133. Resp. Hoc argumentum nostræ assertionis confinia prætergredi; in qua de solis futuris ordinis supernaturalis disputamus, facilis tamen esse solutionis. Motio enim physica causis necessariis est debita, hoc ipso quod necessariæ sunt, ac propterea pro nostro concipiendi modo, opus non est novo decreto ad singulos actus, saltem quantum ad speciem, quæ necessario determinata est priori, & generali decreto, nisi illud miraculo, ut ita dicam, retractetur, quando scilicet vel suspendi, vel mutari debent universales naturæ leges; quamobrem etiam præscindendo a præmotione, effectus in ipsis cognosci possunt. Causæ autem liberæ indigent decreto prædeterminante ad singulos actus, & quantum ad speciem, & quantum ad individuum, & etiam quantum ad ipsum exercitium. Imo si de bonis operibus salutaribus sermo sit, grave certe piaculum esset, negare, gratiam efficacem esse ad singulos actus necessariam; cum id in Concilio Diospolitano Pelagius ipse confiteri coactus fuerit. Vid. S. August. in Libro *de gestis Pelagii* c. 14. Nonnisi igitur in suis decretis Deus illa futura cognoscere potest.

134. Ob. secundo cum Tournellio. Medium divinæ cognitionis debet esse prius cognitum, saltem *prioritate naturæ*; atqui divina decreta non possunt prius a Deo cognosci, quam res futuræ; nam decreta libera Dei non distinguuntur ab ipsius actibus necessariis, nisi per connotationem ad res futuras liberas; non possunt ergo cognosci, nisi una simul cognoscantur etiam creaturæ liberæ, quæ futuræ sunt: sequitur ergo, futura libera non in decretis; sed in essentia Dei, tanquam in specie in repræsentando infinita, & prius cognita, *objective*, ac *terminative* cognosci.

135. Resp. neg. min. Ad prob. dist. ant. hæc tamen connotatio a positione decreti, tanquam ex causa resultat, *conc.*; aliter, *nego*. Non est certe rerum futuritio causa divini decreti; sed potius decretum Dei est causa futuritionis rerum. Causa quidem, *reduplicative* ut causa est, non potest sine effectu cognosci; ex quo consequitur, cognitionem causæ hoc modo consideratæ esse simul tempore cum cognitione effectus; quotiescumque tamen effectus cognoscitur per causam, cognitio causæ ratione, & natura præcedit cognitionem effectuum. Deus itaque cognoscens futura libera in decretis suæ voluntatis, ea cognoscit, tanquam in medio prius cognito.

136. Ob. tertio (cum P. Collet *Instit. theol.* quæst. 5. art. 2. concl. 2.) Si Deus omnia futura libera in suis decretis cognosceret, scientia Dei nihil haberet admiratione dignum; post sua enim decreta id videt Deus, quod videret & cæcus;

eus; seu (ut loquitur P. Annatus *de scientia media* pag. 595.), *quod videre possent & noctuæ;* atqui scientiam Dei esse summe mirabilem testatur David in Psal. 138. dicens: *mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam*. Præterea S. Augustinus in Psal. 49. n. 18. hæc habet: *Non audemus dicere: quomodo novit Deus? ne forte hoc a me, fratres, expectetis ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo, non sic cognoscit ut Angelus. Et quomodo cognoscit? dicere non audeo, quoniam & scire non possum:* ergo. &c.

137. Resp. dist. maj. Scientia Dei nihil haberet admiratione dignum, prout tantum speculativa est, *conc.*; prout est etiam practica, & adjunctum habet divinæ voluntatis decretum, *nego*. Tunc enim exclamandum est cum Apostolo ad Roman. XI. 33. *o altitudo divitiarum sapientiæ, ac scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Et hic est sensus Psalmistæ; inquit enim: *Ecce Domine, tu cognovisti omnia, novissima, & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam: mirabilis &c.* quasi dicat *scientia tua, qua nos formasti, & omnia sapientissime disposuisti, adeo est mirabilis, ut sit supra me, & captum meum longe superet*. Unde etiam ita concludit: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis*. Quanquam P. Menochius, aliique nobiles interpretes hunc locum explicant non de scientia, quæ in Deo est, sed de scientia, vel cognitione, quam David ex sui ipsius consideratione hauriebat de infinita Dei sapientia, omnipotentia, bonitate &c. (a).

138. S. Augustinus pariter loquitur de scientia Dei rerum effectrice, quæ ab incomprehensibilibus ejus judiciis pendet. Id patet ex toto contextu; agit enim de scientia Dei cum ejus potestate conjuncta, & qua omnia, quæ creata sunt, antequam fierent, erant quodam ineffabili modo apud Deum. Ceterum S. Pater, mota post quæstione a Semipelagianis, *an præscientia quodam ordine sit subnixa proposito?* seu an Dei præscientia subsequatur decreta, iisque innitatur? adeo certum putavit, medium divinæ præscientiæ esse prædestinationem, seu decreta Dei, ut principii loco posuerit, nostra bona opera, seu *dona Dei*, ut ipse loquitur, nullo modo præsciri a Deo, si non prædestinantur. Vide supra n. 116.

139. Obj. quarto. In causa universali, & remota effectus certo cognosci non potest, quia ipsius virtus modificatur, & quandoque etiam impeditur a causis proximis; sed divina decreta non sunt, nisi causæ universales, & remotæ actuum humanorum cujuscumque generis; ergo &c.

140. Confirmatur hæc objectio, quia divina decreta talia esse debent, ut rerum fortuitarum contingentiam, & humanæ voluntatis libertatem sartam, tectamque relinquant: ergo in ipsis Deus rerum futurarum eventum certo prævidere non potest.

141. Resp. maj. esse veram de causa universali, & remota, quæ impediri potest, ut est ex. gr. influxus solis; falsam vero esse de causa infinitæ efficaciæ, cujusmodi sunt decreta Dei, *cujus omne consilium stabit, & omnis voluntas fiet* Isaiæ XLVI. 10. Unde S. Thomas quandoque vocat divinam voluntatem *efficacissimam* (1. P. q. 19. art. 8.), quandoque *immutabilem*, & *invincibilem* (in I. dist. 47. quæst. 1. art. 1. ad 2.) aliquando *agens fortissimum* (quæst. 23. *de verit.* art. 5.). Dicit, *illi resisti non posse* (Quodl. 12. art. 3.) *eam non posse impediri* (in II. dist. 46. quæst. 1. art. 1.), vel *deficere non posse* (quæst. 6. de *malo* art. un. ad 3.). Demum cum illa *stare non posse negationem effectus, quem vult* (1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. & alibi). Et S. Prosper in Carm. *de ingratis*, ait: *haud dubie impletur quidquid vult summa potestas*.

142. Confirmationi resp. simul cum rerum contingentia, ac libertate humana conciliandam esse summam divinorum decretorum efficaciam, atque infallibilem eventuum certitudinem. *Sic enim*, inquit S. Augustinus *de Corrept. & gratia* cap. 14. *velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediant, nec superent potestatem*. Et S. Thomas Lib. I. *Cont. Gent.* cap. 68. *Dominium*, inquit, *quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem influentiam superioris causæ, a qua est ei esse, & operari*. Vid. sup. num. 118.

143. Ob. ult. Si divina futurorum cognitio esset in decretis fundata, sequeretur, scientiam visionis virtualiter distingui a scientia simplicis intelligentiæ, quæ antecedit decreta; quia decreta virtualiter distinguuntur ab essentia divina; atqui concors Theologorum opinio est, scientiam visionis nec virtualiter distingui a scientia simplicis intelligentiæ: ergo &c.

144. Resp. unam, eamdemque, & simplicissimam esse scientiam Dei, sive cum præcedit, sive cum subsequitur ipsius voluntatis decreta, quia duobus mediis innititur, non duobus motivis. Distinctio autem scientiarum non a mediis, sed a motivis dependet. Sed piget in his subtilitatibus bonas horas insumere (b).

(a) Ita etiam hæc verba Psalmi explicavit Sanctus Basilius, vel quilibet alius Auctor trium Homiliarum *De structura hominis*, edit. a P. Combefisio in suo *Basilio recensito* Hom. I. n. 1. inquiens: *hoc est, quæ de te est, scientiam mirabili ratione deprehendi. Undenam porro? Ex me*. D. Jul. Granier has Homilias in appendicem t. T. rejecit.

(b) Argumenta, quibus Adversarii probare nituntur

CAPUT VIII.

Excluduntur alia media cognoscendi futura absoluta extra divina decreta.

145. Quanquam semel constituto, quod Deus non possit sine suis decretis futura cognoscere, corruunt alia media a recentioribus excogitata, quibus dicunt, Deum sine decretis suis ea cognoscere; non inutile tamen erit singula breviter ad trutinam revocare.

146. Et primo Deus non potest futura libera ordinis supernaturalis cognoscere in supercomprehensione voluntatis creatæ, ut Molina commentatus est. Quantumcumque enim Deus voluntatem creatam comprehendat, & supercomprehendat, idest infinita cognitione excedat, non potest in ea effectus aliter videre, quam in ipsa continentur; nisi fingere velimus, Deum aliter res cognoscere, ac sint in seipsis, adeoque scientiam falsam, & fallacem Deo tribuere: atqui ante divinum decretum effectus, præcipue ordinis supernaturalis, continentur in voluntate creata solum ut possibiles, non autem ut futuri; quia prima causa, nempe Deus, indeterminata est, ut supponitur; secunda pariter, nempe voluntas humana, indeterminata est; tum quia nondum existit; tum etiam multo magis, quia ejus bona, & salutaris determinatio debet a Deo primo omnis bonitatis fonte provenire; qui per Ezechielem cap. XXXVI. 27. dicit: *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*; ergo &c. Hinc etiam Apostol. ad Ephes. II. 1. o nos esse *creatos* dicit *in Christo Jesu in operibus bonis* (a).

147. Secundo. Deus non potest cognoscere contingentia futura in suis decretis postea ponendis. Nam iterum quæstio erit, in quo medio sua decreta futura Deus cognoscat. Hanc sententiam præoccupavit, & explosit ipse Molina in *Concordia* quæst. 14. art. 13. disp. 52. ubi etiam addit, non percipere se, *quanam ratione in Deo integra maneret libertas, si ante actum suæ voluntatis præcognosceret, in quam partem sit inflectenda. Etenim existente tali scientia, nulla ratione partem oppositam eligere posset.*

148. Tertio. Futura libera ordinis supernaturalis cognosci a Deo nequeunt in veritate objectiva, quam habent ante divina decreta. Nam commentitiam prorsus esse hanc objectivam veritatem, ita facile ostenditur. Non possunt ante divina decreta futura esse nostra bona opera, nisi dicatur, ante decretum Dei futuram esse determinationem nostræ voluntatis ad bonum; atqui id dici sensu orthodoxo non potest; nam determinatio, & inflexio nostræ voluntatis ad bonum est initium boni operis; quamobrem, si nostræ determinatio voluntatis, seu inflexio ad bonum esset futura ante Dei decretum, etiam initium boni operis esset futurum ante decretum Dei; adeoque non esset a Deo, sed a nobis solis; quod in Semipelagianis ab Ecclesia jamdiu damnatum est, & est contra Apostolum dicentem 1. Corinth. IV. 6.: *quid habes, quod non accepisti &c.*

149. Quarto. Deus non videt futura libera in suis ideis, seu in divina essentia, ante suæ voluntatis decreta. Nam per ideas divinas, seu divinam essentiam res aliter repræsentari non possunt, quam ut sunt in se; atqui ante divinæ voluntatis decreta nulla res est futura, sed solum possibilis, ut sæpius jam dictum est: ergo &c. *Idea*, inquit Angelicus quæst. 3. *de Verit.* artic. 6. *in Deo ad ea, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt producenda, determinatur ex proposito divinæ voluntatis.*

150. Quinto. Multo minus potest Deus cognoscere futura libera ordinis supernaturalis in operatione voluntatis creatæ, qualis futura esset in hypothesi, quod se sola agere posset. Est enim hæc hypothesis plane impossibilis; non minus ac si quis videre vellet, quo iturus esset homo fractis cruribus; *cum magis repugnet*, inquit Contensonius Lib. II. *Theolog. mentis, & cordis* dissert. 2. cap. 1. specul. 3. *a voluntate independenter a concursu Dei operationem prosilire, quam ab omnium membrorum impotentia motum elici. Certe videre Deum creaturam ex se posse agere, est videre creaturam non esse creaturam; est videre creaturam operari a se, subindeque esse ens a se, quod est videre creaturam esse Deum.*

CAPUT IX.

An ideo res futuræ sint, quia præsciuntur a Deo; an potius ideo præsciantur a Deo, quia futuræ sunt.

151. Molina in *Concordia* quæst. 14. art. 13. disp. 52. multis adductis Sanct. Patrum testimoniis probare conatur, quia aliquid futurum est, ideo cognosci a Deo, non contra, quia a Deo cognoscitur esse futurum. Et quidem Origenes in cap. VII. epist. ad Roman. expendens illud Apostoli: *quos præscivit, & prædestinavit*, inquit: *non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futu-*

decretis hisce præcedentibus scientiam visionis, veluti ferreis, & inextricabilibus vinculis humanam libertatem constringi, seq. dissert. expedientur, ubi agemus de voluntatis divinæ efficacia.

(a) P. Franc. Suarez in Lib. II. *de scientia futur. conditionat.* capp. 7. & 8. Molinæ sententiam rejicit, aliamque edoptat, Deum nempe cognoscere futura in eorum veritate objective; quem tamen sententiam Molinæ ut falsam exploseret, imo tanquam repugnantem omnibus Doctoribus, & etiam hominis libertati. In *Concordia* disp. 52.

turum, *sed*, *quia futurum est*, *scitur a Deo*, *antequam fiat*. Sanctus Justinus martyr in Lib. CXLVI. *Quæstionum* quæst. 58. *Non est*, inquit, *prænotio causa ejus*, *quod futurum erat*, *sed quod futurum erat*, *causa est prænotionis*. His fere gemina habent Sancti Hieronymus *Dial. III. adv. Pelagianos*, & alibi, Cyrillus Alexandr. Lib. IX. in cap. X., Joann. Chrysostomus Homil. LX. in Matt., Augustinus Lib. V. *de civit. Dei* cap. 10., Leo magnus Serm. XVI. *de passione Domini*, & Damascenus in *Dial. adv. Manichæos*. Hanc magistri sui sententiam sequitur Suarezius cum pluribus aliis.

152. Verumtamen hæc Moliniana sententia ita absolute prolata viam aperit erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum. Si enim dicamus, Deum prævidisse ab æterno nostra bona opera salutaria, quia futura erant; vel saltem Deum prævidisse nostrum consensum divinæ gratiæ, quia futurus erat, sequitur, opera nostra bona, vel saltem bonorum operum initia, fuisse futura, antequam Deus ea decerneret, adeoque ea non Deo esse adscribenda, sed nobis. Et reipsa hoc erat Fausti Semipelagianorum principis dogma in secundo libro *de gratia & lib. arb.* cap. 2.

153. Ut autem in hac materia præcludatur erroris occasio, & ut vera teneatur Sanct. Patrum doctrina, dicendum omnino est, res omnes (præcipue autem actiones nostras bonas, & salutares), ideo esse futuras, quia præsciuntur a Deo; præsciuntur, inquam, non scientia pure speculativa, sed practica, quæ nimirum conjuncta habet divinæ voluntatis decreta.

154. Et primo hæc est aperta, & clara S. Thomæ doctrina, qui I. P. quæst. 14. art. 8. quæstioni huic, *verum scientia Dei sit causa rerum*, affirmative respondet, & addit: „ sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicuti scientia artificis se habet ad artificiata; scientia autem artificis est causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum ... Manifestum est autem, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere; unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam; unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis. “ Ideo ergo res futuræ sunt, quia eas in suis decretis præscivit, non contra.

155. Hæc etiam sententia est S. Augustini, quem S. Thomas ibidem laudat, in Lib. XV. *de Trinit.* cap. 13. Tomo VIII. ubi ostendens, divinam scientiam esse a nostra toto cœlo diversam, *universas creaturas*, inquit, *& spirituales*, *& corporales*, *non quia sunt*, *ideo novit Deus*, *sed ideo sunt*, *quia novit*; cujus rationem addens subdit: *non enim nescivit*, *quæ fuerat creaturus*; *quia ergo scivit*, *creavit*, *non quia creavit*, *scivit*. Et Lib. XIII. *Confess.* capit. 38. ita Deum alloquitur: *Non ista*, *quæ fecisti*, *videmus*, *quia sunt*: *tu autem quia vides*, *ea sunt*. Ac demum, ut plurima alia loca omittam, Lib. XI. *de civit. Dei* cap. 10. *Iste mundus*, ait, *nobis notus esse non posset*, *nisi esset*; *Deo autem nisi notus esset*, *esse non posset*.

156. Etiam S. Gregorius magnus Lib. XX. *Moralium* cap. 25. *Quæ sunt*, inquit, *non ab æternitate ejus ideo videntur* (a Deo), *quia sunt*, *sed ideo sunt*, *quia videntur*. Ita etiam nonnulli alii Patres, quibus S. Thomas de more consentiens in Lib. I. *cont. Gent.* cap. 67. inquiebat: *res autem a Deo scitæ non sunt priores*, *ejus scientia*, *sicuti apud nos est*, *sed sunt ea posteriores*.

157. Sed ulterius Angelicus nobis veram eorum Patrum intelligentiam suppeditat, qui prima fronte videntur contrarium docere. Nam laud. art. 8. quæst. 14. I. P. cum sibi objecisset illum ipsum testimonium Origenis, quo abutuntur Adversarii, ita illud explicat ad 1.: *Origenes locutus est attendens rationem scientiæ*, *cui non competit ratio causalitatis*, *nisi adjuncta voluntate*. Postea addit: *quod dicit*, *ideo præscire Deum aliqua*, *quia sunt futura*, *intelligendum est secundum causam consequentiæ*, *non secundum causam essendi*. *Sequitur enim*, *si aliqua sunt futura*, *quod Deus ea præscierit*, *non tamen res futuræ sunt causa*, *quod Deus sciat*.

158. Atque hac eadem ratione explicari debent omnia fere Sanct. Patrum dicta, quæ videntur doctrinæ S. Thomæ, S. Augustini, aliorumque Ecclesiæ Doctorum opponi; ut nimirum cum dicunt, futura a Deo cognosci, *quia* futura sunt, particula illa *quia* non significet veram causam cognitionis divinæ, quod absurdum esset, sed duntaxat causam *consequentiæ*; quod non solum apud Sanctos patres, sed etiam in ipsis sacris litteris nec novum est, nec insolens. Et Christus ipse Joannis XVI. 27. dicebat Apostolis: *Pater amat vos*, *quia vos me amastis*, *& credidistis &c.* ubi nemo certe dixerit, significari, amorem discipulorum erga Christum fuisse causam, cur illi amarentur a Patre; nam S. Joannes 1. epist. IV. 10. inquit: *non quasi nos dilexerimus Deum*, *sed quoniam ipse prior dilexit nos*; sed particula *quia* solum significat signum, vel causam consequentiæ. Plura suppetunt hujusmodi exempla, quibus hoc declaretur. Hac autem dicendi ratione Patres aliqui libentius utebantur, ut divinam præscientiam facilius cum nostra libertate conciliarent; de quo unice tunc solliciti erant.

159. Nonnunquam etiam Sancti Patres locuti sunt de malis culpæ, quæ, quatenus mala sunt, non efficiuntur, nec prædeterminantur a Deo, sed solum permittuntur. Atque hoc sensu dicebat S. Augustinus Lib. V. *de civit. Dei* cap. 10. *non ideo peccat homo*, *quia Deus illum peccaturum esse præscivit*; *imo ideo non dubitatur ipsum peccare*, *dum peccat*, *quia ille*, *cujus præscientia* *fal-*

falli non potest, *non fatum*, *non fortunam*, *non aliquid aliud*, *sed ipsum peccaturum esse præscivit*, *qui si nolit*, *utique non peccat*: *sed si peccare noluerit*, *etiam hoc ille præscivit*. Nec decreta Dei permissiva ullo modo dici possunt causa peccati; ut decreta Dei positiva verissime dicuntur, & sunt causa futuritionis rerum.

160. Et hæc, ut fallor, haud difficulter intelliguntur. Sed aliqua difficultas esse videtur in determinando, quænam scientia Dei sit causa rerum; an scilicet scientia simplicis intelligentiæ, an scientia visionis. Qua in re cum doctissimo P. Lemos ita dicendum est: primo scientia simplicis intelligentiæ est quidem causa exemplaris; sed cum antecedat actum liberum, seu decretum voluntatis divinæ, non est causa rerum practica, & effectrix; cum centies dictum sit, primam futuritionis rerum causam esse divinum decretum. Secundo scientia igitur visionis erit rerum causa, utpote quæ adjunctum habet decretum divinæ voluntatis. Tertio per scientiam tamen visionis, ut visionis est, res non producuntur, cum potius scientia visionis res jam productas intueatur. Quarto ipsa scientia visionis, prout scientia libera est, rerum causa dicitur: *unde ipsa scientia libera*, concludit Lemosius, *est factiva illius objecti*, *quod videt*, *& intuetur*; *factiva inquam totius entitatis*, *& bonitatis*, *quam intuetur in rebus*; *permissiva autem respectu malitiæ*, *quam etiam intuetur in malis*.

161. Ceterum nihil obest, quin etiam scientiam Dei consideremus, prout pure speculativa est, & res unde contemplatur. Talis est scientia simplicis intelligentiæ respectu possibilium; & talis est etiam scientia, qua Deus cognoscit seipsum; quamvis hæc potius sapientia, & intellectus nominari debeat, ut monet S. Thomas Lect. I. in c. VIII. epist. ad Rom. Plura cupientibus dabit laud. P. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. I. Part. II. Tract. ult. cap. 11. & seq.

CAPUT X.

De scientia Media.

162. Scientia Dei usque ad Sæc. XVI. concordi Theologorum sententia bifariam semper dividebatur, in scientiam nempe *simplicis intelligentiæ*, cujus objectum sunt res possibiles, & scientiam *visionis*, qua Deus videre dicitur ea omnia, quæ fuerunt, sunt, vel erunt. Eo autem sæculo inclinante Lud. Molina Ulyssiponensis tertiam quamdam scientiam inter utramque mediam invehere conatus est (a).

163. Hujus autem scientiæ mediæ objectum sunt futura conditionata, antequam Deus aliquid de illorum futuritionis conditione decernat. Deus nempe ante omnia per scientiam mediam *ex altissima*, *& inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii in sua essentia intuitus est*, *quid pro sua innata libertate*, *se in hoc vel illo*, *vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur*, *acturum esset*, *cum tamen posset*, *si vellet*, *reipsa facere oppositum*. Ita Molina in *Concordia* qu. 14. art. 13. disp. 52.

164. Si ab hoc auctore sciscitemur, an scientia media necessaria sit, an libera, fatetur ibid. cap. 5. *nulla ratione esse dicendam liberam*; *tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis divinæ*; *tum etiam quia in potestate Dei non fuit*, *scire per eam scientiam aliud*, *quam reipsa sciverit*. Fatetur deinde, eam neque in eo sensu esse naturalem, *quasi innata sit Deo*, *ut non potuerit scire oppositum ejus*, *quod per illam cognovit*. *Si namque liberum arbitrium creatum acturum esset oppositum*, *ut revera potuit*, *illipsum scivisset Deus per eandem scientiam* ... *Dicendum est ergo*, *partim habere conditionem scientiæ liberæ*, *quatenus*, *sicut Deus potuit scire alia per scientiam visionis*, *ita per hanc scientiam potuit scire aliud*, *quam scivit*, *si voluntas humana in aliis occasionibus aliud esset operatura*.

165. Hæc Molinæ verba, ni fallor, significant, scien-

(a) Hoc suum systema Molina primum typis Ulyssiponensibus exposuit anno 1588. in libro, cui titulum fecit: *Liberi arbitrii cum gratiæ donis*, *divina præscientia*, *providentia*, *prædestinatione*, *& reprobatione concordia*. Molinæ tamen quasi quibusdam velitationibus præiverat Prudentius de Montemajor in publico litterario certamine Salmanticæ habito ann. 1581. quanquam non omnino felicibus avibus, ut ostendit P. Hyac. Serry Lib. I. *Hist. de auxiliis* cap. 1., & Lib. V. sect. 3. cap. 1. Immo P. Fonseca multo prius scientiam mediam a se inventam, & anno 1560. suis auditoribus (quos inter Molina erat) Eboræ traditam scribit in sua *Metaphysica* Lib. VI. cap. 2. quæst. 4. sect. 8. Nec desunt, qui illam primo tribuant P. Lainez. Sed hæc, quæ de scientiæ mediæ primo Auctore dissidia sunt inter ipsos Molinistas, parum ad nos attinent; cetera utiliora de ejusdem scientiæ mediæ fortuna, varia videri possunt apud P. Thomam de Lemos in *Hist. Congreg. de auxiliis* vel *Actis omnibus Congregationum*, *ac disputationum*, *quæ coram Clemente VIII. & Paulo V. sunt celebrata &c.* Lovanii apud Ægidium. Denique 1502. in fol. qui earumdem Congregationum pars magna fuit, & apud P. Jac. Hyac. Serry in *Hist. Congregat. de auxiliis div. gratiæ*, quæ primo prodiit sub larvato nomine *Augustini le Blanc*, postea multo copiosior, & omnibus numeris absoluta, sub illius nomine non semel recusa. Pro Molinistis autem videri possunt P. Henao *in Scientia media historice propugnata*, & P. Livinius le Meyer. in *Hist. controv. de div. gratiæ auxiliis* sub ementito nomine Theodori Eleutherii; quæ iterum prodiit locupletior proprio ipsius auctoris nomine.

scientiam mediam respectu Dei esse omnino necessariam, quia antecedit actum liberum voluntatis divinæ; respectu autem voluntatum humanarum esse liberam ob rationem oppositam, quia ab earum libero arbitrio illius objectum dependet. Itaque Molina ut nostram libertatem asserat (hic enim fuit ejus scopus præcipuus) eamdem Deo auferre videtur; cum in eo scientiam necessariam constituat earum rerum, quæ nobis liberæ sunt.

166. Notanda pariter sunt, quæ postea subdit, nempe *quod voluntas libero arbitrio prædita, si in certo ordine rerum, & circumstantiarum collocetur, in unam aut alteram partem se flectat, non provenire ex præscientia Dei; quin potius ideo Deum id præscire, quia ipsa libero arbitrio prædita libere id ipsum agere debet; nec provenire ex eo, quod Deus velit id ab ea fieri, sed ex eo, quod ipsa id libere velit facere*. Non igitur a Dei voluntate oritur, quod voluntas nostra bonum operari velit.

167. Sed, ut tota quasi facies Moliniani systematis appareat in ordine supernaturali, de quo uno hic solliciti sumus, sciendum est, Molinam non aliam agnoscere gratiam, quam versatilem, humanæ voluntatis arbitrio subditam, ab eoque ita pendulam, ut quilibet consensu suo, aut dissensu eam reddere debeat efficacem, vel inefficacem. Videt ergo Deus scientia sua media, quid liberum cujusque arbitrium in infinitis hypothesibus, seu conditionibus, vel rerum ordinibus operaturum sit cum iis gratiæ auxiliis, quæ Deus nulli peccatori *quantumvis scelerato* denegat (Molina in *Concordia* qu. 14. art. 13. disp. 10.), quæque a nostra libera voluntate omnino pendent.

168. Neque vero obstat, quod Molina aliquando neget, gratiam esse indifferentem, seu versatilem, immo dicat, eam ex natura sua inclinare ad bonum; in hujusmodi enim phrasibus æquivocatio latet, quam tollit Leonardus Lessius, unus ex primis Molinisticæ scholæ ducibus in *Tract. apolog. de gratia* c. 18. num. 1. nempe gratia est ordinata ad bonum *in actu primo; sed ut dicatur habere efficaciam in actu secundo, expectat consensum voluntatis, cujus usui subditur; itaut efficacia ab usu voluntatis quodammodo pendeat*. Nec diversam esse aliorum doctrinam ostendit P. Serry in *Scholæ Thomisticæ vindicata* animadv. 37. (*a*). Jam vero quadruplici ex capite hanc Molinæ scientiam mediam impugnabimus, scilicet primo ex sacris litteris; deinde ex Sancto Augustino; tertio ex Sancto Thoma; postremo ex rationibus theologicis.

PROPOSITIO I.

Scientia media sumpta in ordine supernaturali videtur sacris literis contraria.

169. Nam Apostolus Paulus 1. ad Corinth. IV, 6. Corinthiorum elationem compescens ait: *ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur præ alio. Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Huic autem apostolicæ sententiæ scientiam mediam adversari, ita demonstratur. In Molinæ systemate Deus est potius nostrorum bonorum operum speculator, & contemplator, quam proprie effector, & auctor. Gratiam suam versatilem unicuique exhibet indifferenter; deinde explorat, quisnam ea bene usurus sit, & quisnam male; perinde ac ei Rex, postquam armis omnes milites instruxit, ex alta turri prospiciat, quisnam iis strenue adversus hostem utatur, quisnam ignaviter: quemadmodum ergo bonus armorum usus non Regi, qui ea donavit, sed militi tribuendus est, ita in Molinæ systemate bonus gratiæ usus libertati arbitrii unice esset adscribendus; ac proinde homo aliquid haberet, quod a Deo non accepit. Hæc patent ex ipsa confessione Molinæ supra n. 163. allata, ubi dicit, Deum *ex altissima, & inscrutabili comprehensione cujusque liberi arbitrii &c.*

170. Ulterius in Moliniana hypothesi posset homo gloriari, quod se ipsum discernat. Gratiæ enim omnino æquali, atque indifferenti unus consentit, alter dissentit pro sua *innata libertate*: ergo unus ab altero discernitur per liberum arbitrium: nulla enim discretio oritur ex eo, in quo duo conveniunt, sed ex eo, quod unus habet præ altero.

171. Id magis declaratur ex verbis ipsius Molinæ in *Concordia* qu. 23. art. 4. disp. 1. membro 10. pag. 362. *Quod e duobus*, inquit, *qui æquali motu gratiæ præveniuntur, ac moventur, unus consentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum, & convertatur; alter vero non, certe SOLUM provenit ab innata, & propria, & intrinseca libertate utriusque, bonis & malis, reprobis & prædestinatis communi*. Et sæpius Molina repetit, influxum Dei non recipi in causis secundis, sed in effectu (*b*). Hinc consequenter docet, posse hominem justum de suis actibus gloriari *ea ex parte, qua libere quidem, sed partialiter causæ, & non effectus ab ipso* e-

(*a*) Hæc breviter pro instituto nostro contraximus. Si quis plura desiderat, adeat inter alios P. Thomam de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tomo I. P. II. tract. 5. cap. 1., Car. Witasse Tom. I. *de Deo* quæst. 12. sect. 6. & P. Billuard Tom. I. dissert. 6. art. 6. §. 2. ubi multas Tournellii larvati Molinistæ aberrationes, & dissimulationes bene notavit, & emendavit.

(*b*) Tria in opere bono distinguebat Molina, scilicet rationem generalem actus, ejus determinationem ad certam speciem, amoris puta, aut odii, & ejusdem actus ordinem supernaturalem. Ad primum requirit concursum generalem Dei, *qui non est influxus Dei in causam secundam, quasi illa prius eo mota agat, & producat suum effectum, sed est immediate cum causa*

emanarunt; nec Paulum prohibere ut aliquis glorietur *de sola cooperatione libera per suum arbitrium* (in *Concordia* q. 14. art. 13. disp. 13. p. 42.). Et Leonardus Lessius *de gratia efficaci* cap. 13. n. 5. hæc habet: *quod conversio* ... *fiat*, *hujus causa directa*, *& principalis est liberum arbitrium*, *quamvis non sine gratia*. Nec sane aliter dici potest, semel ac rejicitur gratia per se, & ab intrinseco efficax, quæ causa sit principalis, & effectrix consensus nostræ voluntatis, adeoque etiam causa discretionis unius ab alio.

172. Neque difficultatem effugiunt, qui id quidem verum esse concedunt in statu conditionato, quem Deus per scientiam mediam intuetur: falsum autem esse dicunt in statu absoluto, ad quem solum spectare asserunt verba Apostoli Pauli. Non inquam; etenim in systemate Moliniano etiam in statu absoluto, & reipsa bonus usus gratiæ non est effectus ipsius gratiæ, sed *solum* ab innata hominis libertate pendet: ut proinde verum sit, justum se discernere per suum liberum arbitrium a peccatore, ac proinde habere aliquid non acceptum a Deo, de quo possit gloriari, quod damnat Apostolus.

173. Immo non ad alium finem fuit a Molina scientia *media*, *sive conditionatorum* inventa, nisi ut sub gratia versatili, & a nutu nostræ voluntatis pendente sarta, tectaque maneret nostri arbitrii libertas, quam una cum Pelagianis, ac Semipelagianis nullam esse posse credebat, si talis gratia cum Sancto Augustino admitteretur, quæ hominis voluntatem ad bonum efficaciter inflecteret, ac determinaret.

174. Ut hoc gravissimum incommodum evitaretur, aliqui ad Congruistarum systema confugerunt, dicentes, gratiæ efficaciam non a solo voluntatis nutu pendere, sed etiam a circumstantiis congruis, in quibus Deus per scientiam suam mediam, futurorum exploratricem prævidit hominem suæ gratiæ consensurum. Hinc inferunt, recte ab Apostolo omnia bona nostra in Deum gratiæ congruæ largitorem refundi, quia hanc gratiam non omnibus, nec semper, sed quibus, & quando vult, misericorditer concedit.

175. Verum, nisi me omnia fallunt, Congruismi beneficio difficultas eluditur, non tollitur. Primo enim, ut plerique, non solum nostræ Scholæ, sed etiam extranei Theologi observarunt, congruismum nonnisi exteriori quodam verborum cortice a puro, putoque Molinismo differre (a). Deinde etiam in Congruistarum systemate consensus gratiæ, non minus ac dissensus est a nostra voluntate repetendus, quæ in aliquibus circumstantiis gratiam reddit efficacem, in aliis pro suo arbitrio non reddit; non autem a gratia, quæ remanet natura sua indifferens, nec voluntatem determinat. Id fatetur vel ipse Suarezius primus Congruismi fabricator in opuscul. *de divinis auxiliis* cap. 14. num. 1. inquiens: *exercitium gratiæ in agendo*, *& determinatio ejus ad agendum pendet a libero arbitrio*; atqui consensus gratiæ, seu determinatio nostræ voluntatis ad bonum est certe aliquod bonum, immo initium boni operis, per quod justus a peccatore discernitur: ergo etiam in systemate Congruismi &c. Demum congruitas circumstantiarum non est a Deo, qui circumstantias congruas non facit, sed tantum explorat: ergo iterum in hoc etiam systemate Deus non est auctor omnium nostrorum bonorum operum, & præcipue illorum initii, quo homo justus a peccatore discernitur, sed explorator tantum, atque spectator.

176. Dices primo. Deus hominem collocans in circumstantiis congruis, vel illi conferens gratiam, quam ejus genio, temperamento, & circumstantiis congruam esse prævidit, peculiare certe illi beneficium confert; quemadmodum si quis homini ab inimicis circumvento arma opportune ministret, majus illi confert beneficium, quam si eadem arma, aut si mavis etiam meliora in circumstantiis inopportunis suppeditet, cum scilicet nulli sunt hostes, aut quando prævidetur eis abusurus contra amicum, vel parentem.

177. Resp. Quamvis hic dicendi modus speciale aliquod beneficium significet, a Deo electis collatum; non tamen satis est, ut Deus proprie sit totius boni, quod in nobis est, auctor; semper enim efficitur, consensum gratiæ esse a voluntate sola, quæ gratiam natura sua versatilem ad bonum determinat. Ad summum erit Deus instar sagacis consiliarii, qui Regis *molles aditus*, *& tempora noscens* ipsum ad aliquid faciendum facile inducit; non vero supremus Dominus, *qui habet humanorum cordium*, *quo placet*, *inclinandorum omnipotentissimam potestatem*, ut Sanctus Augustinus loquitur *de corrept. & gratia* cap. 14.

178. Et sane quando Deus alicui tribuit gratiam non congruam, non censetur auctor mali operis

in illius actionem, *& effectum*, ut ipse ait *Concordia* quæst. 14. art. 13. disp. 26. Determinationem vero actus ad certam speciem repetit Molina a libero nostro arbitrio. *Deus*, inquit ibidem, *generali concursu influit*, *ut causa universalis*, *influxu quodam indifferenti ad varias actiones*, *& effectus*, *a particulari influxu causarum secundarum* ... *Aut si causa libera sit*, *in ipsius potestate est ita influere*, *ut producatur potius hæc actio*, *quam illa*; *puta velle*, *quam nolle*, *aut ambulare*, *quam sedere*, *& hic effectus potius*, *quam ille* ... *vel etiam suspendere omnino influxum*, *ne ulla sit actio*. Quæ verba satis aperte indicant, consensum gratiæ, quo unus discernitur ab alio, nonnisi a nostro arbitrio pendere.

(a) Ita censent Tournellius *de gratia suffic.* artic. 4. concl. 4., ejusque abbreviator Collet qu. 5. *de gratia* artic. 2. concl. 2. prob. 4.; Jo. Martinonus in *Anti-Jansenio* disp. 26. sect. 3. num. 25. Tannerus disp. 6. *De gratia* quæst. 2. dub. 2., aliique.

peris, quod inde consequitur, non alia certe de causa, nisi quia ab hominis arbitrio pendebat, eadem gratia ad bonum uti, vel abuti ad malum; ergo ob eandem rationem Deus alicui tribuens gratiam congruam, non erit vere, ac proprie boni auctor, quia bonus usus illius gratiæ a libero arbitrio unice procedit.

179. Id patet vel in ipso allato exemplo militis; quamvis enim speciale aliquod beneficium sit, arma illi in opportuna occasione suppeditare, bonus tamen armorum usus ab ipso est, ita ut de eo gloriari possit; ergo eodem modo gloriari poterit justus &c. contra id quod dicit Apostolus Ephes. II. 9. *ut ne quis glorietur*; & Synodus Tridentina Session. XIV. cap. 8. *non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est*.

180. Dices secundo. Homo dum gratiæ prævenienti consentit, id non facit, nisi gratia concomitante adjutus: ergo nihil habet, unde gloriari possit.

181. Resp. Gratiam concomitantem, non minus quam concursum simultaneum in ordine naturali, esse omnino indifferentem, & determinationem nostræ voluntatis expectare, non autem illius causam esse: si ergo gratiæ prævenienti consensus voluntatis adscribi non potest, multo minus adscribi poterit gratiæ concomitanti. Ne multa: vel determinatio voluntatis ad bonum a gratia producitur: & tunc actum est de scientia media, quia Deus hunc consensum prævidet in suis decretis dandi eam gratiam, quæ voluntatem ad consensum inflectit: vel determinatio voluntatis ad bonum non producitur a gratia, sed ab ipsa hominis voluntate; & tunc habet aliquid homo, quod non accepit a Deo, & de quo gloriari possit (*a*).

PROPOSITIO II.

Scientiæ mediæ adversatur S. Augustinus.

182. Prob. hæc propos. primo confessione ipsius Molinæ, qui S. Doctorem sibi adversari non semel confessus est (*b*). Idipsum communi calculo judicarunt Censores Romani (uno demto) in congregationibus de hac controversia habitis. Vid. Serry Lib. III. *Hist. Congregat.* cap. 39.

183. Præterea scientia media fuit S. Augustino olim proposita, ab eo vero constanter rejecta: ergo &c. Prob. prima pars antecedentis. S. Prosper in sua epist. ad S. Augustinum quærit, *an per præscientiam possit stare propositum? An vero præscientia quodam ordine sit subnixa proposito?* Quod idem est, ac quærere, an scientia Dei præcedat, an vero subsequatur propositum, seu decretum? Deinde Massiliensium doctrinam exponens, *pene omnium*, inquit, *par invenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio* (notentur hæc verba) *in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit*.

184. Etiam S. Hilarius in epist. ad eumdem S. Augustinum observat, Semipelagianos, ut evincerent, scientiam in Deo priorem esse prædestinatione, solitos fuisse abuti quibusdam ipsius S. Patris verbis, quibus in *Quæst. II. contra Paganos*, seu epist. CII. scripserat, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, quando, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri*. His aliisque pluribus ambo isti S. Augustini discipuli scientiam mediam, ut Semipelagianorum doctrinam, magistro suo exponebant.

185. At vero ab ea probanda quam longissime abfuit S. Doctor; nam in libris *de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ*, quos hac occasione conscripsit, primum principii loco constituit, nulla nostra bona potuisse a Deo sine decreto, seu prædestinatione cognosci: *hæc Dei dona*, inquit *de dono persev.* cap. 17., *si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur a Deo;* hoc autem S. Augustini principium scientiam mediam ab ima radice convellit, qua Molinistæ dicunt, opera nostra bona a Deo ante suæ voluntatis decreta præsciri.

186. Præterea S. Augustinus concedit postea, aliqua posse a Deo sine prædestinatione præsciri; sed

(a) De hoc argumento ex S. Script. deprompto, quod sane gravissimum est, dignus est, qui legatur P. Antonin. Reginaldus *de mente Concilii Tridentini circa gratiam effic.* P. I. cap. 49.

(*b*) Molina in *Concordia* quæst. 23. art. 4. & 6. disp. 1. membr. ult. loquens de suis principiis, quorum tertium ibi enumeratum est scientia media, *quæ si data*, inquit, *explanataque semper fuissent, forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare . . . neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi, & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ*. Quæ verba plerisque doctis, & piis viris stomachum movent; præcipue vero venerabili Cardinali Baronio, qui in epist. ad Petrum de Villars Archiepisc. Viennensem in Gallia anno 1603. ita de Molinæ libris scribit: *Legi eos, sed non sine stomacho, cum in illis nihil potentius agere præferat, quam S. Augustino adversari (licet sanctum numquam nominet), eumque oscitantiæ redarguere; seque in illis disputationibus vigilantiorem, acutioremque jactare. Quis posset eum talia loquentem sine nausea tolerare?* Genuinam esse hanc epistolam, quæ nuper ex Archivio Patrum Oratorii Romani typis vulgata est Romæ Tom. II. *epistolarum Baronii* cura Raym. Albericii p. 121., ostendit Eusebius Eranistes epist. 37. n. 22. & seq.

sed quænam sunt ista? Sola peccata, quæ Deus nec facit, nec prædestinat. *Potest esse*, inquit *de prædestinat. Sanctorum* cap. 10., *sine prædestinatione præscientia: prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus* (nempe omnia nostra bona opera); *præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*.

187. Tertio testimonium illud ex *Quæstione II. contra Paganos*, quo Semipelagiani abutebantur ad scientiam mediam stabiliendam, aperte reprobavit, ut nobis fidem facit S. Thomas fidelis ipsius interpres 3. P. quæst. 1. art. 5. ad 2. Et reipsa S. Doctor in laud. libro *de prædest. Sanct.* cap. 9. illud ipsum suum testimonium expendens, ita loquitur: *utrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinaverit Deus credituros, quærere, ac disserere tunc necessarium non putavi*. Et postea sententiam corrigens, & mutans, sic dici posse concludit: *tunc voluisse apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem*. Itaque Augustino se ipsum exponente, Deus hoc futurum conditionatum, scilicet multos credituros in Christum, si ejus doctrinam prædicari audivissent, non prævidit, nisi in decreto, quo iidem electi fuerant crediturì, & quidem ab æterno ante mundi constitutionem.

188. Addo, adeo fuisse S. Augustino de hac veritate persuasum, ut ad explicanda quædam Scripturæ Sacræ, aut Sanct. Patrum loca, quibus Semipelagiani ad scientiam mediam stabiliendam abutebantur, hanc statuerit generalem regulam, ut quotiescumque bonorum operum præscientia nominatur, per eamdem nihil aliud, quam prædestinatio intelligatur. *Quid ergo*, inquit *de dono persev.* cap. 19., *nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Nempe ad S. Augustini mentem præscire Deum opera nostra bona, & prædestinare, unum idemque est; quatenus sine prædestinatione non potest esse bonorum operum præscientia.

189. Duo potissima sunt Adversariorum effugia. Primo dicunt, S. Doctorem non fuisse locutum de futuris *conditionate*, sed de futuris *absolute*. Secundo solum Semipelagianorum abusum reprobasse, qui comminiscebantur, ita a Deo fuisse prævisa nostra bona opera, ut eorum initium a nobis ipsis, non a gratia esset; & insuper eam præscientiam futurorum conditionatorum causam esse dicebant prædestinationis, & gratiæ.

190. Neutra tamen evasio ipsis prodest. Non prima; satis enim apparet, S. Augustinum ea posuisse principia, ex quibus sequitur nullam cujuscumque generis futurorum præscientiam ante decretum in Deo esse posse. Si enim nihil in ordine supernaturali *absolute* futurum est sine Dei decreto, a quo est omne bonum, nihil quoque boni futurum esse poterit eodem ordine *conditionate* ante decretum, nisi supponatur, eas esse in nostra voluntate vires, quibus possit sine Dei voluntate se determinare ad bonum, ejusque initium a se habere.

191. Præterea S. Augustinus de iis futuris agit, de quibus fuerat a suis discipulis Prospero, & Hilario interrogatus, nisi fingere velimus, eum a proposita quæstione malitia, vel imprudentia turpiter aberrasse. At vero Hilarius, & Prosper Semipelagianorum opiniones exponendo, de futuris conditionatis sine dubio agebant, ut patet ex eorum verbis supra relatis. Ac demum legatur caput 9. *de dono persev.*, & luce clarius apparebit, S. Augustinum de iis agere, quos Deus credituros esse prævidit, sub conditione, quod Christus iis appareret; tum de Tyriis, & Sidoniis quos pœnitentiam acturos testatus est Christus, si ejus miracula vidissent; quæ tamen videre non debebant. Hæc certe sunt futura conditionata, adeoque &c.

192. Quantum ad secundam évasionem, haud difficile nobis esset ostendere, etiam ex sententia Molinistarum eos abusus consequi, quos in Semipelagianis S. Doctor Augustinus reprehendebat. Sed quoniam res nimis in longum protraheretur, unico argumento, eoque brevissimo ostenditur luculentissime, S. Augustinum a scientia media Molinistarum fuisse admodum alienum. Si enim S. Doctor, resecato omni abusu, scientiam mediam adoptasset, qualis a Molina invecta fuit, & a Molinistis adoptatur, facile illi fuisset humanam libertatem cum gratiæ donis conciliare; quemadmodum se facillime id præstare profitentur Molinistæ; atqui id S. Doctor semper difficillimum reputavit, quamvis non impossibile, quod sexcentis ejusdem testimoniis confirmari potest; nec unquam destiterunt ejus adversarii clamare, contestarique, ex S. Augustini doctrina induci fatum, libertatem everti, removeri industriam, tolli virtutes &c.: ergo &c. (a).

PROPOSITIO III.

Scientiæ Mediæ adversatur etiam S. Thomas Aquinas.

193. Et quidem cum S. Augustinus tam aperte scientiæ mediæ refragetur, quis dubitet, eidem

(a) In libro *de Gratia Christi* c. 47. *Ista quæstio*, inquit, *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. In Libro etiam *de prædestina-*

dem quoque refragari S. Thomam, qui Augustinum ita presse in omnibus, ac præcipue in doctrina gratiæ secutus est, ut fidelis ejus discipulus, & interpres semper habitus fuerit, immo *Augustinus contractus* non immerito appellatus? Sed argumentis etiam directis hæc propositio ostenditur.

194. Primo; cum sæpius agat S. Doctor de scientiæ divinæ partitione, semper, ac constanter eam bifariam tantummodo partitur, scilicet in scientiam *simplicis intelligentiæ*, & scientiam *visionis*, ut de tertia aliqua scientia inter utramque media ne somniasse quidem videatur. Ita I. P. q. 14. art. 9., 3. P. q. 10. art. 2. ad 2., & multis aliis in locis.

195. Deinde quotiescumque Angelicus humanam libertatem cum divina præscientia, prædestinatione, & gratia conciliare studuit nunquam ad hoc Molinæ systema confugit, sed perpetuo ad efficaciam divinæ voluntatis ascendit, quæ prima causa est, non solum substantiæ actus, sed etiam ejusdem libertatis, vel contingentiæ. Ita I. P. quæst. 19. art. 8., & Lib. I. *cont. Gent.* cap. 55., & sæpe alias.

196. Demum constans est S. Thomæ principium, nihil esse futurum sive absolute, sive sub conditione ante Dei decretum, quemadmodum superius cap. VII. demonstratum est. Hoc autem principium de medio tollit scientiæ mediæ objectum, quod est futurum ante Dei decretum, adeoque ipsam scientiam mediam a fundamentis diruit.

197. Multa alia principia S. Doctoris, quibus scientia media prorsus evertitur, videri possunt apud P. Thomam de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tomo I. P. II. tract. 5. cap. 10., quæ nos brevitatis causa omittimus.

PROPOSITIO IV.

Scientia media variis rationibus impugnatur.

198. Primo Adversarii provocati, ut aliquod certum medium proferant, in quo Deus futura conditionata per scientiam mediam, seu ante suæ voluntatis decreta cognoscat, non habent, ubi certo pedem figant, ut patet ex varietate opinionum, in quas dividuntur, ut superius cap. VII. demonstravimus. His domesticis dissidiis satis ostendunt, quantum laborent, dum a S. Thomæ principiis recedere volunt, qui ubique constanter docet, Deum omnia in seipso, & in sua essentia, *tanquam in causa*, cognoscere: unde etiam in I. dist. 39. qu. 1. art. 1. ad 5. loquens de scientia Dei, *scire*, inquit, *secundum rationem sequitur voluntatem*; nam essentia divina non est causa rerum, nisi positis suæ voluntatis decretis.

199. Præterea nihil est futurum, etiam *conditionate*, maxime in ordine supernaturali, ante divinæ voluntatis decreta; nullus ergo est locus scientiæ mediæ, qua hujusmodi futura conditionata ante divina decreta a Deo explorari dicuntur. Prob. ant. Hæc futuritio conditionata vel aliquid reale est, vel nihil prorsus est: si nihil, res non erunt extractæ ab ordine possibilium, & sic erunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ. Si autem aliquid est reale, quo res illæ vere, & proprie a puris possibilibus distinguantur, tunc aliqua debet esse illarum futuritionis causa. At vero nulla alia esse potest hæc causa, quam divina decreta: ergo quemadmodum supra cum sanctis Augustino, & Thoma demonstratum est, futura absolute esse non posse ante divinum decretum, eadem plane ratione consequitur, neque futura conditionata ulla esse posse ante decreta Dei.

200. Res illustratur exemplo. 4. *Regum* XIII. Eliseus prædicit Joas Regi Israel: *si percussisses* (terram) *quinquies*, *aut sexies*, *sive septies*, *percussisses Syriam usque ad consumtionem*. Jam vero qua ratione, quæso, futura erat totalis destructio Syriæ, sub conditione non ponenda, quod Joas quinquies, sexies, aut etiam septies terram baculo percussisset, nisi quia Deus inscrutabilibus suis judiciis id decreverat? Ita etiam, & multo magis futura non sunt in quibuscumque circumstantiis nostra bona opera, nisi ex vi decreti conferendi gratiam efficacem, ad quam dubio procul ea consequuntur, & sine qua nunquam fiunt.

201. Ab hoc argumento facile se expedire posse censent Adversarii dicentes, futura conditionata, cum non sint effectus absolute existentes, sed qui essent, si certa poneretur conditio, non exige-

tione Sanctorum*, quem contra Semipelagianos inventores scientiæ mediæ conscripsit cap. 14. hanc quæstionem de concordia liberi arbitrii cum divina gratia *difficilem esse* dicit *ad solvendum*; & in epistolis 1. & ad Valentinum, tum 194. ad Sixtum, & alias sæpius eam vocat *difficillimam*, *& paucis intelligibilem*; quanquam non putavit esse omnino insolubilem; unde Lib. IV. contra Julianum cap. 8. *Ego dixi*, inquit, *istam quæstionem ad discernendum esse difficilem*, *non autem dixi*, *non posse discerni*. Etiam S. Thomas q. VI. *de Veritate* art. 23., postquam multa in hanc rem acutissime disseruit, ita demum concludit: *unde difficile videtur*, *concordare infallibilitatem prædestinationis* (idem est etiam de gratia efficaci, & de præscientia) *cum libertate arbitrii*. Et hoc confessus est ipse Molina in *Concordia* quæst. 23. art. 4. & 5. Disp. 1. memb. ult. p. 393. inquiens: *unum e difficillimis ab Augustino*, *& aliis fuit semper judicatum*, *verum invenire rationem*, *& modum*, *qui difficultates omnes pelleret*, *& humanum intellectum pacatum omnino redderet super concordia libertatis arbitrii cum divina gratia*, *præscientia*, *prædestinatione &c.*; & sibi ipsi multoties blanditur, omnem prorsus suo novo systemate difficultatem abstulisse. Immo nihil frequentius in ore Molinistarum, quam scientiam mediam esse veluti medium divinitus inspiratum Molinæ ad libertatem humanam cum gratiæ donis facillime conciliandam.

gere causam, vel decretum, quod modo sit, sed quod esset, si certa poneretur conditio; ut nimirum proportio sit causam inter & effectum; quod etiam Angelicus docet Lib. II. *Cont. Gent.* cap. 21. dicens: *effectus suis causis proportionaliter respondent, ut scilicet effectus in actu causis actualibus tribuamus, & effectus in potentia causis in potentia*.

202. Sed hoc speciosum choraginm est, quod imperitis fucum facere potest, difficultatem autem nullatenus tollit. Etenim distinguenda est rei futuritio ab ejus existentia: illa enim est ordo, vel habitudo quædam realis ad existentiam, vel absolute, vel sub certis conditionibus habendam: aliqua igitur esse debet hujus ordinis, vel habitudinis causa; seu, ut S. Thomas loquitur quæst. 12. *de verit.* art. 10. ad 2., distinguere oportet *eventum rei*, & *ordinem ad eventum*. Ordo, seu habitudo ad eventum non erit, aut esset, sed est actu; seu est illud, quo res futura, etiam conditionate solum, actu distinguitur a possibili: ergo debet esse modo aliquo ipsius causa; quemadmodum quamvis futurum absolute modo existentiam non habeat, quia tamen habet futuritionem, aliqua debet esse illius futuritionis causa præsens, & existens, scilicet divinum decretum. Angelicus autem laud. in loco non loquitur de futuris conditionatis, sed de effectibus possibilibus, quibus certe non tribuuntur, *nisi causæ in potentia*.

203. Quod si Adversarii asserant, hanc futuritionem conditionatam nihil esse reale, tunc exponant quæso, in quonam futura conditionata a puris possibilibus discernantur, si nihil reale præ illis habent? Quod si non discernuntor a possibilibus, eccur non poterunt per eamdem scientiam simplicis intelligentiæ cognosci, qua cognoscuntur possibilia, ut proinde nulla sit scientiæ mediæ necessitas?

204. Huic rationi, quæ plane ineluctabilis est, alteram subjicio haud levis momenti. Scientia media nonnisi Sæc. XVI. jam inclinante in Scholas catholicas invecta est ad conciliandam humanam libertatem cum gratiæ donis; atqui nihil in Theologia magis suspectum est, quam novæ doctrinæ; & regula est a Tertulliano tradita *de præscrip. hæreticorum* cap. 31., *id esse verum*, *quod prius traditum*, *id falsum*, *quod posterius immissum*: ergo &c. Major prob. primo ex confessione ipsius Molinæ, qui loquens de toto suo systemate, cujus præcipua basis est scientia media, hæc habet in *Concordia* qu. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membri ult.: *hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione, a nemine, quem viderim, hucusque tradita est*. Idem fere dicunt Fonseca Quæst. VI. *Metaph.* sect. 8., qui scientiam mediam se ante Molinam tradidisse gloriatur, Vasques in I. P. quæst. 14. disp. 69. cap. 4. Granado Tract. V. Disp. 3. sect. 2., Herice, aliique non pauci scientiæ mediæ patroni. Vid. Jac. Hyac. Serry Lib. I. *Hist. Congr. de Auxiliis* cap. 3.

205. Præterea non defuerunt inter ipsos Molinæ concellitas viri sacræ antiquitatis tenaces, qui scientiam mediam, tanquam novum Molinæ dogma, recenter in Scholas invectum, eliminandam esse censerent, ut P. Typhanius Universitatis Mussipontanæ Cancellarius, qui in Libro *de Ordine* &c. c. 24. sine ulla dubitatione pronunciat, *nullum Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem de scientia media cogitasse*. P. autem Mariana scientiæ mediæ systema vocat *hesterna Molinæ cogitata* (in celebri opere de *Regim. Societatis*). Henr. pariter Henriquez Suarezii Magister binas dedit censuras, in quibus præcipue ex capite novitatis, Molinæ systema explodendum judicat. Addit autem P. Macedo, qui diu inter Molinistas vixit, cum Henriquez *omnes pene alios Hispaniæ Doctores idem sensisse* (a).

206. Tertio novam esse Molinæ doctrinam facile apparet etiam ex turbis, quas fere ubique inter Theologos excitavit. Contra eam insurrexerunt celebres Universitates Salmanticensis, Lovaniensis, & Duacena, plures Ordines Religiosi, ac præcipue Dominicani, tum viri alii bene multi, scientia, dignitate, ac pietate insignes, ut Cardinales Baronius (b), Berullius, Quiroga &c. Eam denique condemnandam esse censuerunt, post septies repetitum ejus examen Censores a duobus summis Pontificibus Rom. Clem. VIII., & Paulo V. electi, quos propterea omni exceptione majores fuisse, credendum est. At vero, si Molinæ sententia fuisset doctrina *Scholasticorum*, *& recentiorum*, *& antiquorum*, ut Suarez ait Prolegom. II. *de gratia* cap. 1. n. 12., annon tot, tantique viri, tot Religiosæ Familiæ, & integræ Universitates contra eam insurrexissent? Annon sibilis, & cachinnis ii explosi fuissent, qui sententiam a primis usque ductam temporibus, & ubique in scholia Catholicis traditam novitatis accusare audebant? Primus ille clamor, ajebat alia occasione doctissimus Bossuetus, qui contra aliquam sententiam editur, ipsius novitatis testis est locupletissimus (c).

207.

(a) Confer. Serry *Hist. de Aux.* Lib. I. cap. 16. & 17., tum Lib. V. Sect. 3. capp. 7. & 8., ac in opere gallico *Le Thomisme triumphant* art. 6. §. 3., ejusque apologia §. 10.

(b) Vid. ejus Censura contra Molinam Tom. II. ejusdem epistol. cura Raim. Albericii Rom. edit. p. 124.

(c) Quas turbas excitaverit, & discordias Molinæ *Concordia*, nimis longum esse recensere. Spartam hanc accurate, copioseque adornavit P. Jac. Hyac. Serry in sua *Hist. de Auxiliis*. Videri etiam potest P. Billuard. T. I. dissert. 6. art. 6. §. 8., ubi scientiam mediam historice impugnat, & quæ latius a P. Serry, aliisque disputata sunt, in pauca summatim contrahit. Rationes autem multo plures contra scientiam mediam vi-

207. Ceterum dum affirmamus, scientiam mediam novam esse, aliis non adversamur, qui demonstrarunt, eam fuisse apud hæreticos antiquissimam. Non enim de Scholis loquimur, in quas Molina scientiam suam mediam invehere conatus est. Alii contra loquuntur de perversa ratione, qua veteres quidam hujusmodi scientia media abusi sunt. Nam doctissimo P. Montafauconio observante (Præfat. in Eusebii *Comment. in Psalm.*), Ariani omnium primi scientia media abusi sunt ad impugnandam gratuitam prædestinationem humanitatis Christi. Idem postea fecerunt Nestoriani; ac demum Pelagiani, ac Semipelagiani magis aperte scientiam mediam ad suos errores propugnandos adhibuerunt; unde Faustus Rejensis unus ex Semipelagianorum coriphæis principii loco habebat, *nisi præscientia exploraverit, prædestinationem nihil decernere* (a).

Solvuntur argumenta ex Sac. Litteris pro scientia media.

208. Præcipua Adversariorum objectio ex Sac. literis desumitur ex illo celebri testimonio Christi Matth. XI., & Lucæ X. ubi Judæorum pervicaciam, ac duritiem objurgans, inquiebat: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*. Ex quo loco ita contra nos ratiocinantur Adversarii. Christus Judæos in comparatione Tyriorum, & Sidoniorum objurgat; atqui justa illa objurgatio non esset, nisi admisso scientiæ mediæ systemate dicamus, Christum prævidisse Tyrios, & Sidonios pro innata sua libertate illi gratiæ consensuros, cui Judæi pro innata sua libertate resistebant. Si enim cum Thomistis dicamus, Christum prævidisse conversionem Tyriorum, & Sidoniorum, quia Deus in voluntatis suæ decretis statuerat iis gratiam efficacem tribuere, quam Corozaitis, & Bethsaiditis negaverat, ita potuissent isti Christo objurganti respondere: ut quid nos præ Tyriis, & Sidoniis reprehendis? Si auxilium efficax, quod illis collaturus eras, nobis etiam contulisses, nosque illis pares in gratiæ tuæ donis fecisses, non minus ac illi in cinere, & cilicio pœnitentiam egissemus. Merito, inquam, potuissent hoc modo respondere Judæi; ut enim justa sit unius præ alio increpatio, debent cetera quæque æqualia esse, sola autem diligentia inæqualis.

209. Resp. primo, hoc argumentum, si quid valet, etiam premere Adversarios, si juxta decretum Claudii Aquavivæ fateantur, aliquid plus, saltem moraliter, & in ratione beneficii contineri in gratia efficaci, quam in sufficienti: hoc enim posito ita poterant Corozaitæ, & Bethsaiditæ Christo objurganti respondere: Tyrii, & Sidonii visis miraculis tuis non credidissent, nisi majus aliquod beneficium eis contulisses, quam nobis contuleris: non est ergo, cur nos in comparatione Tyriorum, & Sidoniorum redarguas (b).

210. Resp. secundo cum Lemosio (*in Panoplia* T. I. P. 2. tract. 5. capit. 20.) „ Judæos
„ propter majorem obdurationem, malitiam, &
„ ingratitudinem seipsos reddidisse magis indi-
„ guos, ut converterentur, quam Gentiles illi,
„ qui nec ingrati, nec excæcati ex invidia, &
„ odio erant; unde propter majorem induratio-
„ nem eorum, & propter majus ex ipsis apposi-
„ tum impedimentum Deus illos non converte-
„ bat; quod quia appositum non fuisset a Ty-
„ riis, comparatione illorum juste Judæi damnan-
„ tur. Licet enim Tyrii etiam indigni essent, &
„ ex pura misericordia auxilium efficax recepis-
„ sent, tamen constat, non ita fuisse indignos,
„ sicut Judæi extiterunt. Quis ergo dubitat, quod
„ de hac majore indignitate, comparatione illa-
„ rum gentium, possint damnari justeque repre-
„ hendi? Unde & S. P. Augustinus comparando
„ utrosque ad invicem & Judæos, & gentes illas,
„ ita dicit cap. 14. *de dono persev. non erant*
„ *sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Ty-*
„ *riorum, & Sidoniorum*. Igitur de hac majo-
„ ri

deri possunt apud Thomistas, qui fusiore calamo rem hanc pertractant; præcipue apud Thomam de Lemos in *Panoplia* Tom. I. P. II. tract. 5. Pro nostra methodo dictum est satis.

(a) Vide, quæ supra n. 183. & seq. diximus, & P. Antonin. Reginaldum *de mente Concil. Trident.* c. 22.

(b) Ita olim statuit P. Claudius Aquaviva extinctæ Societatis Jesu Generalis 14 Decembris an. 1613. *Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quæ effectum reipsa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam sufficientem nominat, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habenti effectum sortiatur, altera non item, sed in ipso actu primo; quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt, effectum infallibiliter habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia & in actu primo contineri*, apud Serry in *Hist. de div. aux.* Lib. IV. c. 32. Hoc tamen Aquavivæ decretum, quod aliquibus videbatur pene consentire Thomistis, fuit ab ejus successore Mutio Vitellesco explicatum. Sed utut res sit, certe Bossuetus (*Second avertiss. aux Protestans* n. 18.) Semipelagianismi notam, quam Petrus Jurius Molinistis affricabat, non alia ratione abstergi posse putavit quam affirmando, *agnosci ab eis gratuitam aliquam divinæ misericordiæ erga omnes electos prælationem, gratiæ prævenientis necessitate ad omne opus bonum, & in omnibus bene operantibus specialem divinæ providentiæ directionem*. Quod si verum est, objecta difficultas non Scholam nostram tantum, sed Catholicos ad unum omnes æqualiter premit.

„ ri excæcatione, & obduratione juste damnantur „ Judæi." Hinc etiam Christus subdit: *verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*. Quæ verba ita commentatur S. Hieronymus: *Præferuntur Tyrus, & Sidon, urbes idololatriæ, & vitiis deditæ. Præferuntur autem ideo, quod Tyrus, & Sidon naturalem tantum legem calcaverit; istæ vero post transgressionem naturalis legis & scripturæ, etiam signa, quæ apud eos facta sunt, parvi duxerunt* (a).

211. Inst. primo. Illa major obduratio in Judæis ex defectu gratiæ efficacis oriebatur, quam si habuissent, omnis fuisset obduratio sublata; nam gratia efficax, Augustino docente (*de prædest. Sanct.* capit. 8.) *a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*: ergo adhuc poterant Judæi conqueri, se immerito præ Tyriis increpari.

212. Resp. neg. ant.; causa enim obdurationis est humanæ voluntatis perversitas, qua veluti innata gravitate ad malum tendimus, nostra libertate abutentes. Defectus autem gratiæ efficacis non est causa obdurationis, nisi ad summum, si ita loqui fas est, quatenus eam non impedit; veluti cur saxum ad terram ruat, vera causa est ipsius gravitas; & inepte quis illius casum homini tribueret, qui manum ad eumdem casum impediendum non supponeret.

213. Accidit, quod quamvis homo lapsus gratia Dei destitutus non possit omni obstaculo prorsus carere ad resurgendum, potest nihilominus sine gratia majoribus, vel minoribus obstaculis pro sua libertate se implicare: potest enim, ut Thomistæ docent, aliqua saltem faciliora præcepta sine gratia speciali viribus naturæ adimplere; non quidem *meritorie*, & in ordine supernaturali, sed solum quantum ad substantiam, & in ordine naturali. Quod si faciat, minora certa sibi obstacula creabit, quam ille, qui bibens iniquitatem, sicut aquam, propria nequitia plura Dei præcepta violavit. Nonnunquam igitur sicuti majoris, ita & minoris obstaculi causa esse potest sola hominis voluntas.

214. Inst. secundo. Saltem in hac hypothesi potuissent Tyrii, & Sidonii gloriari, quod minora ponendo obstacula gratiam illam efficacem consecuti fuissent, quia Judæi ob majora objecta impedimenta privati fuere; hoc autem repugnat Apostolo dicenti *ut ne quis glorietur*, ergo &c.

215. Resp. neg. maj.; alias quilibet impius aliquam gloriandi materiam in iis peccatis haberet, quæ non perpetravit: ut Judas gloriari potuisset, quod venditioni Magistri sui multa alia scelera non addidisset. Sed & illud caute observandum est, bona opera naturalis ordinis nullam prorsus afferre dispositionem ad gratiam, nisi fortasse remotam, & negativam, & quæ nullam habet cum gratiæ largitione connexionem. Neque enim Deus in gratiarum suarum distributione majora, vel minora obstacula respicit; & quandoque gratiam suam, quam minus indignis juste denegat, aliis magis indignis pro sua misericordia largitur, quia ipse Dominus est. Audiatur S. Augustinus *de dono persev.* cap. 11. *Parvulis, quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit .... & majoribus, etiam his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit*.

216. Inst. tertio. Non ideo fuerunt Judæi a Christo objurgati in comparatione Tyriorum, & Sidoniorum, quod majora impedimenta gratiæ posuerint; sed ideo solum, quod visis signis, & virtutibus suis pœnitentiam non egarint, quam in cinere & cilicio Tyrii, & Sidonii acturi erant. Sed si ad agendam pœnitentiam fuissent Tyriis & Sidoniis necessaria decreta divina, dandi eis gratias efficaces, fuisset hæc objurgatio comparativa prorsus injusta: ergo &c.

217. Resp., de utroque fuisse Judæos objurgatos; & ipsam objurgationem de eorum impœnitentia ex eo ipso oriri, quod majoribus suis sceleribus magis se indignos gratia conversionis reddidarint, quam Tyrii, & Sidonii, quorum oculi non erant sic obcæcati, nec cor adeo induratum. Hoc luculenter declaravit Christus ipse iis verbis: *verumtamen dico vobis: Tyro, & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*. Matth. XI. 22.

218. Inst. quarto. Gratis, & absurde fingitur illud decretum dandi Tyriis, & Sidoniis gratiam conversionis, sub conditione non ponenda, scilicet si Christi miracula viderent.

219. Resp., nec gratis, nec absurde poni illud decretum, quod ex ipso laud. testimonio evidentissime eruitur. Primo enim Adversarii ipsi fatebuntur, ad conversionem Tyriorum non suffecisse miracula Christi, sed necessariam fuisse internam voluntatis gratiam; nisi aperta Pelagianis consentire velint, qui gratiam solum externam admi-

(a) P. Antonin. Massoul. in suo opere *D. Thomas sui interpres de divina motione* Tom. II. diss. 4. qu. 6. respondet, ideo juste fuisse reprehensos Corozaitas, & Bethsaiditas, quia illa gratia, quæ fuisset efficax in Tyriis & Sidoniis, fuit in illis inefficax propter majorem ipsorum resistentiam; & probat, hanc suam responsionem & cum S. Thoma, & cum Thomistis reipsa convenire, licet primo aspectu e communi eorum loquendi modo videatur aliena. Eam reipsa tradunt Gonzalez (apud eumdem Massoul. loc. cit.), Contensonius in *Theol. mentis, & cordis* Lib. 8. diss. 2. c. 2. specul. 1. Bancel. Qu. V. *de scientia media* art. 4. §. 2. aliique. Si quis alias plurimas hujus difficultatis solutiones videre cupit, adeat laud. P. Massoulié diss. 3. qu. 2. art. 26. & P. Thomam de Lemos loc. laud. c. 27. Ceterum nostram responsionem probant præter Theologos fere omnes etiam Scripturæ sacræ interpretes nobilissimi, Estius, Calmet, aliique.

mittebant, positam in lege, atque doctrina. Secundo, cum Deus nihil faciat in tempore, quod ab æterno non decreverit, si daturus erat Tyriis, & Sidoniis internam gratiam necessariam ad conversionem, sub conditione, quod viderent miracula Christi, etiam ab æterno decreverat hanc illis gratiam dare sub eadem conditione, quanquam non ponenda. Demum nullum aliud medium assignare possunt Adversarii, in quo hoc futurum conditionatum viderit. Sed de decretis subjective absolutis, & objective conditionatis postea data opera agemus.

220. Inst. quinto. Ex hactenus dictis sequeretur, Judæis fuisse negatam gratiam efficacem ad conversionem propter ipsorum demerita, seu propter indurationem, & obcæcationem; sed hoc aperte falsum est, quia Deus ex suæ voluntatis beneplacito gratiam tribuit, vel denegat, non attendendo ad hominum merita, vel demerita: ergo &c.

221. Resp. tenendum omnino esse, gratiam a Deo denegari, ex justitia, scilicet propter hominum demerita; & perpetua phrasis est Sanct. Augustini, & Thomæ, gratiam Dei misericorditer dari quibus datur, & ex justitia denegari, quibus denegatur, hoc est, propter demerita præcedentia; & verum nihilominus est, gratiæ largitionem ex divinæ voluntatis beneplacito pendere; quia Deus etiam indignis, obduratis, & obcæcatis eam tribuit quando vult, & quibus vult; licet aliis propter sua demerita eandem justissime deneget.

Solvuntur objectiones ex S. Augustino.

222. Ob. primo. S. Augustinus Lib. I. ad Simplicianum quæst. 2. ita de quibusdam obduratis loquitur: *Si vellet* (Deus) *etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur*. Loquens autem de aliis, qui divinæ vocationi obsecundant, *illi electi*, ait, *qui congruenter vocati*. Et infra: *etiamsi nullos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur*; & paucis interpositis: *cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Et cum multa hujus rei attulisset exempla, sic generaliter colligit: *Cum ergo alius sic, alius autem sic moveatur ad finem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?* Ex his apparet, S. Augustinum gratiæ efficaciam in ejus congruitate reponere; atqui gratia congrua scientiæ mediæ tota innititur, qua Deus explorat, quid voluntas humana in diversis circumstantiis cum certis auxiliis gratiæ factura sit: ergo &c.

223. Resp. primo, S. Augustini mentem in his controversiis non ex illis operibus desumendam esse, quæ S. Doctor ante exortam hæresim Pelagianam conscripsit, cujusmodi sunt Libri ad Simplicianum; sed ex aliis, in quibus propter exortos Pelagianos errores majore diligentia hanc difficilem materiam discussit. Id adeo per se perspicuum est, ut consentientes habeamus etiam doctissimos Molinisticæ scholæ Theologos Card. Bellarminum Lib. II. *de gratia, & lib. arb.* cap. 15., & P. Garnerium Dissert. VI. *in Marium Mercat.* cap. 2. Immo universalis canon sanioris criticæ est, in unaquaque fidei controversia ea maxime consulenda esse Sanct. Patrum opera, quæ contra errores in ea natos conscripta fuere; potius quam alia, quæ ante illos errores jam prodierant. Quem canonem in hac ipsa materia usurpavit idem S. P. August. *de prædest. Sanct.* cap. 14. inquiens: *Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur* (a)?

(a) Verba Card. Bellarmini hæc sunt: *S. Augustinus, cum scripsit libros ad Simplicianum, adhuc juvenis erat, neque multa invenerat in hac difficillima quæstione, quæ postea majore diligentia investigavit, & reperit*. Postquam autem id manifestum fecit, nonnullis allatis testimoniis ex epistolis S. Patris ad Sixtum, & ad Paulinum, *Vides*, inquit, *quam aliter sapiat Augustinus senex, quam Augustinus juvenis. Nam senex scripsit ad Sixtum, & Paulinum, juvenis ad Simplicianum*. P. autem Garnerius *tanti viri sententiam*, inquit, *non ex quibuscumque operibus æqualiter, verum ex postremis potissimum esse intelligendam ... quamvis enim Augustinus assecutus sit aliquando tantam divinorum gratiæ mysteriorum intelligentiam, quantam forte nemo alius præter Apostolos; non tamen constitit statim in summo, sed per gradus nitendo difficultatum tenebros, prout divina luce se infundebat, obstantes perrupit*. Si hæc domestica testimonia adversarii serio perpenderent, non tam sæpe nos ad libros ad Simplicianum provocarent. Haud me latet, Arminium, Grotium, aliosque Remonstrantes, atque inter ipsos Catholicos Rich. Simonium, & Alb. Pighium contendisse, eos potius libros legendos, quos S. Pater, antequam fervidiore stylo contra Pelagianos uteretur, pacata mente conscripsit. Sed hæc regula nonnisi iis probari potuit, qui in Semipelagianismum inclinantes, a germana S. Augustini, atque Ecclesiæ doctrina abhorrebant. Tales erant Remonstrantes; idemque de Simonio judicium tulit Bossuetus Lib. VI. *Defense de la tradition, & des saints Peres* cap. 5. Nec aliter de Alb. Pighio sentinat Card. Polus apud Pallavicinum *Hist. Conc. Trident.* Lib. VIII. cap. 2. n. 2., tum multi alii apud Bælium in *Diction. art. Pighius*. V. Card. Norisius in *Vindiciis Augustin.* cap. 5. §. 4.

224. Nec valet, quod Lessius, & Vasquezius reponunt, S. Augustinum Lib. II. *Retrat.* c. 2. & *de prædest. Sanct.* c. 4. remittere Pelagianos ad libros Simpliciano inscriptos. Non inquam; id enim probat solum, in iis libris orthodoxam de gratia doctrinam contineri, quod minime inficiamur; non autem gratiæ œconomiam fuisse in iis ita copiose, & luculenter expositam, ut in aliis libris, quos exortæ jam, & grassanti hæresi Pelagianæ opposuit. Hinc idem S. Pater *de dono persever.* c. 21. postquam dixerat, se in libris ad Simplicianum, aliisque suis operibus hæresim Pelagianam, antequam appareret, jam confutasse, subdit, *se proficienter Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione cœpisset;* ac de sua sententia inquiebat *de præd. Sanct.* cap. 4. *quam nunc solito diligentius, atque copiosius novum Pelagianorum defendere urgemur errorem.* Ideo autem S. Doctor Semipelagianos ad libros ad Simplicianum aliquando remisit, ut eorum compesceret calumnias, qui blaterabant, Augustini sententiam novam esse, & nedum veteribus Patribus, sed ipsius etiam Augustini libris contrariam.

225. Resp. secundo, S. Augustinum in laud. loco ad Simplicianum non ponere efficaciam gratiæ in vocatione, quæ solum extrinsece sit congrua, quemadmodum Congruistæ gratiæ efficaciam explicant, sed quæ sit congrua intrinsice, quæ nimirum ita se voluntati nostræ accommodat, ut vi sua innata ejusdem voluntatis consensum, & determinationem eliciat, libere tamen, prout natura ejusdem voluntatis exigit. Quamobrem ita ibidem concludit: *cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & præbetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur, quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera charitatis ferventia, ille* (Deus) *tribuit, ille largitur.* Quod minus proprie a S. Doctore dictum fuisset, si putasset, a Deo nos vocari vocatione tali, quæ nutum, & consensum nostræ voluntatis expectaret, non autem in nobis efficeret.

226. Et quanquam negari non potest, Sanct. Doctorem in posterioribus suis libris contra Pelagianos, ac Semipelagianos majore perspicuitate, atque energia intrinsecam gratiæ congruitatem, & efficaciam exposuisse, eamdem tamen etiam in laud. libris ad Simplic. sufficienter innuit: nam præter verba mox allata, ea etiam consideranda sunt, quæ ibidem antea num. 12. dixerat; nempe si diligenter attendamus illud dictum Apostoli: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, non hoc Apostolus tantum dixisse videbitur, quod adjutorio Dei ad id, quod volumus, perveniamus, sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit .... Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate; ubi satis ostendit, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.* En gratia, quæ bonam voluntatem non expectat, sed operatur. Quod magis declarat hanc rationem subdens: *nam si propterea solum dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut juste, recteque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei, potest & hoc modo dici: igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Demonstrat autem absolute dici, quia *si Deus miseretur, etiam volumus,* quia *Deus est, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate.* Quæ omnia haud obscure intrinsecam gratiæ efficaciam manifestant.

227. Inst. S. Augustinus in libro *de dono perseverantiæ*, quem extremo vitæ suæ tempore contra Semipelagianos conscripsit, eamdem tradit doctrinam, quam in libris ad Simplic. exposuerat, inquiens: *ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter intelligendi munus, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant:* hoc autem Deus videre non potest, nisi per scientiam mediam: ergo &c.

228. Resp. S. Augustinum ibi loqui de externa tantum vocatione, quæ verbis, signis, & miraculis continetur, cuique percipiendæ unus habet a natura majorem dispositionem præ alio. Hæc tamen dispositio remotissima est, negativa, & nullo modo cum gratia conversionis per seipsam conjoncta: unde Sanct. Doctor exempla sæpe affert illorum, qui licet ad fidem suscipiendam magis a natura dispositi viderentur, justo tamen Dei judicio fuere in tenebris infidelitatis relicti, a quibus alii ingenio tardiores, minusque dispositi efficaciter liberati sunt. Nisi Deus, inquit S. Pater Lib. XV. *de civ. Dei* c. 6., *interiore gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest omnis prædicatio veritatis.* Omnis inquam, etiamsi congrua illi sit. Cui concinens S. Prosper in Carm. *de ingratis* ajebat.

... percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet;
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non Doctor, neque discipulus, sed gratia sola Efficit.

229. Ob. secundo. S. Augustinus *de dono persev.* cap. 10. propositam sibi scientiam mediam calculo suo probavit; nam de Tyriis, & Sidoniis loquens, *quidam disputator catholicus,* inquit, *non ignobilis hunc evangelii locum sic exposuit, ut diceret, præscisse Dominum Tyrios & Sidonios a fide fuisse postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent, & misericordia potius non eum illic ista fecisse; quoniam graviori pœnæ obnoxii fierent, si fidem, quam te-*nue-

nuerunt, *reliquissent*, *quam si eam nullo tempore tenuissent*. Hanc vero opinionem, quæ scientiæ mediæ systemati tota innititur, non rejicit S. Doctor.

230. Resp. S. Augustinum hanc sententiam minime adoptasse, sed ea tantummodo usum fuisse, tanquam argumento ad hominem, ut ostenderet, ea etiam posita, Semipelagianorum errorem everti, qui comminiscebantur, Deum pœnas ab hominibus reposcere propter ea peccata, in quæ eos lapsuros prævidit, si longiorem vitam duxissent; unde subdit: *in qua sententia docti hominis, & admodum acuti.... quid me attinet dicere, cum & ipsa nobis ad id, quod agimus, suffragetur?* Quod uberius declarat, quia liberatio a graviore apostasiæ scelere nullum fuisse Tyriis, & Sidoniis beneficium, si, ut delirabant Semipelagiani, homines etiam peccatorum, quæ facturi essent, pœnas luere deberent. Ulterius non satis apparet ex laudato S. August. loco, an disputator ille catholicus, cujus opinionem refert, putaverit, Tyrios, ac Sidonios a Deo fuisse prævisos per scientiam mediam a fide discessuros, an in suis decretis permissivis, ut Thomistæ docent.

231. Ob. tertio, S. Doctor *de prædest. sanct.* c. 10. inquit: *potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Magistro suo subscribunt Prosper. in resp. 13. *ad objecta Gallorum*, & Fulgentius Lib. I. *ad Monimum* cap. 29. atqui præscientia, quæ est sine prædestinatione, est scientia media: ergo. Adhuc clarius Sanct. Joan. Damascenus Lib. II. *de fide orthodoxa* cap. 30. statuit Deum, *omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire. Præscit enim etiam ea, quæ in nostra potestate, & arbitrio sunt, at non item ea præfinit*.

232. Resp. S. Doctorem loqui de præscientia peccatorum, quæ Deus non prædeterminat, quantum ad malitiam, sed permittit tantummodo, & præscit, non quidem ope scientiæ mediæ, sed in decretis suæ voluntatis *positivis*, quantum ad entitatem, & in *permissivis*, quantum ad malitiem. Clare seipsum explicat, ita prosequens: *prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus: unde dictum est Isaiæ XLV.* (secundum vers. LXX.) *fecit, quæ futura sunt: præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata*. Et pergit ulterius exemplis ostendere, ideo omnia bona opera nostra esse futura, quia Deus ea prædestinavit, ut mirum sit, Adversarios hoc loco abuti, unde nostra sententia luculentissime confirmatur. Idem dicendum ad loca objecta Sancti Prosperi, & Fulgentii. Ceterum ipsos actus malos, quentum ad entitatem physicam, quæ aliquid reale est, a Deo in suis decretis cognosci, multis argumentis ostendi facile posset, si modo hac de re ageretur. Damasceni autem verba ita explicat S. Thomas I. P. quæst. 23. art. 1. ad 1.: „ Damascenus nominat „ prædeterminationem *impositionem necessitati*, „ sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt præ„ determinatæ ad unum. Quod patet ex eo, quod „ subdit: *non enim vult malitiam, neque compellit virtutem*. Unde prædestinatio non exclu„ ditur. “

233. Ob. ult. Sanct. Augustinus quam sæpissime docet, *Dei esse vocare, nostrum autem consentire* (Lib. I. ad Simplic. quæst. 2. & *de spir. & litt.* cap. 34.); *& liberæ voluntati esse adscribendum, quod æquali tentationi unus cedat, resistat alter* (Lib. XII. *de civ. Dei* c. 6.) atqui si hæc vera sunt, non potest Deus futurum nostræ voluntatis consensum in suis decretis prævidere: prævidet ergo per scientiam mediam.

234. Resp. ad mentem S. Augustini nostrum quidem esse consentire vocationi Dei, ita tamen ut consensus ipse *in* nobis fiat a gratia, non ut a nobis solis pro innata nostra libertate oriatur. *Nos volumus*, inquit S. Doctor *de dono perser.* cap. 13. *sed Deus in nobis operatur & velle. Nos operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere, & dicere; hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo*. Et *de gratia & lib. arb.* c. 21. *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit*. Idemque sæpe repetit, ut plane integri exscribendi nobis essent libri, si omnia huc spectantia afferre vellemus.

235. Cum autem dicit, voluntati esse adscribendum, quod æquali tentationi unus resistat, alter cedat, loquitur de causa proxima, quæ certe est voluntas. Sed alia est causa altius requirenda, cur voluntas gratiæ consentiens tentationi non cedat; & hæc, Augustino docente, non est, nisi divinum decretum. *Multi audiunt*, inquit *de prædest. Sanct.* cap. 6., *verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique, quid veniat de misericordia, quid de judicio*.

Solvuntur objectiones ex S. Thoma.

236. Ob. primo. S. Thomas 3. P. q. 1. art. 5. ad 2. referens verba, quibus S. Augustinus *de dono persev.* cap. 9. Tyrios, & Sidonios pœnitentiam infallibiliter acturos fuisse asserit, si Christi miracula vidissent, ait: *proinde non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subvenit; aliis autem non subvenit, de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed aliud juste judicavit*.

237. Resp. his verbis solum significari, Deum præscivisse, quinam suis miraculis essent omni tem-

tempore, omnique loco crediturι; non autem ibi S. Thomam agere de medio, in quo id Deus prævιderit, utrum ante, vel post decretum. Id patet ex ejus scopo; statuerat enim in eo articulo, *non fuisse conveniens, Deum incarnari ab initio mundi:* sibi autem objecerat, *multo plures salvatos fuisse, si a principio humani generis Deus incarnatus fuisset*. Quam objectionem ut diluat, respondet cum S. Augustino, Deum ex iis, quos prævidit Christi miraculis credituros, atque salvandos, elegisse pro sua misericordia, quos voluit, alios autem pro sua justitia non elegisse; quod confirmat Apostoli sententia dicentis: *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Non autem ibi disputat Angelicus, aut inquirit de medio, in quo Deus aliquos miraculis Christi crediturος esse prævidit; quæ quæstio si mota fuisset, quis dubitet, Angelicum ex suis, & S. Augustini principiis fuisse responsurum, a Deo prævideri non potuisse, nisi in suis decretis, dandi eis gratiam interiorem, quæ ad fidem, & salutem est omnino necessaria?

238. Ob. secundo. S. Thomas 3. P. q. 1. art. 3. ad 4. docet, *prædestinationem præsupponere præsentiam futurorum: & rursus in I. dist. 46. q. 1. art. 1. dicitur*, inquit, *voluntas consequens, eo quod præsupponit præscientiam operum*. Demum q. 12. *de verit.* art. 10. *quædam vero*, inquit, *explentur operatione causarum aliarum, sive naturalium, sive voluntariarum; & hæc in quantum per alias causas complentur, non sunt prædestinata, sunt tamen præscita*. Et ibid. ad 3. ac sæpe alias docet, *quod præscientia prædestinationem excedit, & non in malis solis, sed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt sola virtute divina:* censet ergo S. Doctor, quædam a Deo præsciri sine decretis, adeoque per scientiam mediam.

239. Resp. primæ parti objectionis, ibi sermonem esse de Christi prædestinatione, quam S. Thomas probat factam fuisse post prævisionem peccati originalis: adeo ut, si Adam non peccasset, incarnatio Verbi divini non fuisset facta; quomodo autem Deus peccatum originale prævιderit ibi Angelicus minime inquirit.

240. In secundo loco loquitur de voluntate Dei consequenti retribuendi justis quidem præmium, pœnam autem reprobis, quæ utique præsupponit præscientiam operum; sed ista præscientia iterum a decreto repetitur, positivo quidem respectu bonorum operum, & permissivo respectu malorum.

241. In tertio demum loco S. Thomas prædestinationem sumit, non prout generaliter significat omne decretum Dei; sed peculiari quadam ratione, prout est decretum Dei faciendi aliqua opera prodigiosa, & supra naturæ vires, sive ut loquitur ipse Angelicus: *quæ fiunt ex sola operatione divinæ virtutis, ut suscitatio Lazari, & conceptio Christi, & hujusmodi*. Et hoc sensu vere docet Angelicus, ea, quæ explentur operatione causarum aliarum, *non esse prædestinata*, scilicet *prædestinatione stricte sumpta*, ut ibidem loquitur ad 3. quæ scilicet prædestinatio respicit opera tantum miraculosa; quamvis sint prædestinata, prædestinatione communiter accepta, prout est decretum generaliter respiciens omnia, quæ Deo volente fiunt.

242. Eodemque sensu intelligendum est, quod dicit, *præscientiam excedere prædestinationem* &c. prædestinationem, inquam, *stricte sumptam*, non autem sumptam in vulgari, communique significatione.

243. Id autem patet ex toto doctrinæ contextu; agit enim de divisione prophetiæ in prophetiam *prædestinationis, præscientiæ, & comminationis*; & docet, prophetiam, quæ solum respicit ordinem causarum ad effectum, esse *comminationis* tantum; prophetiam, quæ respicit ipsum eventum per operationem causarum, sive naturalium, sive liberarum, esse prophetiam *præscientiæ*; prophetiam demum, quæ respicit eventum rerum ex sola operatione divinæ virtutis, esse prophetiam *prædestinationis*. En igitur quo in sensu prædestinationem hoc loco sumat Angelicus.

244. Ob. tertio. S. Thomas q. 6. *de verit.* art. 3. docet, prædestinationem esse certam respectu Dei, *quia in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminiculo præparat, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat:* putat ergo S. Doctor esse in Deo aliquam scientiam, qua exploret, quædam ex adminiculis præparatis sint effectum habitura; nempe scientiam mediam, seu conditionatorum.

245. Resp. Adminicula, quibus præcipue utitur Deus ad prædestinatorum salutem, esse ex se, & ab intrinseco efficacia; & quamquam deficere possunt absolute, quia necessitatem voluntati non afferunt, infallibiliter tamen nunquam deficient. Ad hujusmodi autem auxiliorum efficaciam cognoscendam non indiget Deus scientiæ mediæ lumine. Audiatur ipse S. Præceptor 1. 2. qu. 112. art. 3. ubi docet, *præparationem ad gratiam secundum quod est a Deo movente, habere necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest..... unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur*.

246. Inst. Perpetua S. Thomæ doctrina est, *voluntatem determinare se ipsam, & esse dominam suorum actuum:* ergo Deus in decretis suis non potest ea futura cognoscere, quæ a libera voluntate hominis pendent; adeoque necessaria est scientia media.

247. Resp. nihil esse facilius, quam hoc argumento expedire, in quo tamen nonnulli frustra triumphant. Nam S. Thomas nihil aliud vult, quam voluntatem movere, ac determinare seipsam, & esse suorum actuum dominam in ordine causæ se-

secundæ, quod non excludit necessitatem divini auxilii efficaciter moventis. S. Thomas non alio indiget interprete, quam seipso; nam I. P. qu. 83. art. 1. ad 3. *liberum arbitrium*, inquit, *est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa ad id, quod liberum est; sicuti nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias &c.* Gemina habet aliis in locis, perpetuo docens, voluntatem movere quidem, & determinare seipsam, sed sub influxu, & præmotione causæ primæ, nempe Dei.

Solvuntur argumenta reliqua (a).

248. Obj. primo. S. Jo. Chrysostomus agens de vocatione Sancti Pauli, & Matthæi Homil. 51., & 65. in Matth., *Deum tunc eos vocasse* dicit, *quando noverat consensuros*. Id etiam nonnullorum aliorum Patrum similibus dictis confirmari potest: ergo &c.

249. Resp. hujusmodi S. Jo. Chrysostomi, aliorumque Patrum dicta intelligenda esse de præscientia innixa decretis; & adhiberi hic debet regula illa S. Augustini *de dono persev.* c. 8. *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Ut proinde idem sit, Deum *præscisse*, ac *prædestinasse*, quinam essent credituri.

250. Ob. secundo. Futura conditionata, quorum conditio adimpleri non debet, nequeunt esse objectum scientiæ *simplicis intelligentiæ*, quia hujus scientiæ objectum sunt possibilia, & necessaria; neque etiam possunt esse objectum scientiæ *visionis*, quia hac contemplatur res, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt: restat ergo, ut sint objectum scientiæ alicujus mediæ inter utramque.

251. Resp. primo, esse hac de re inter Thomistas aliquam non rerum magnam, sed verborum tantum parvam dissensionem. Omnes enim consentiunt in eo, quod caput est, scilicet quæcese futura sunt conditionata, a Deo videri in suis decretis *subjective* absolutis, *objective* autem conditionatis; dissident autem inter se, an hujusmodi scientia dicenda sit *simplicis intelligentiæ*, an *visionis*; quæ pura est λογομαχία (b).

252. Resp. secundo, distinguenda esse futura conditionata; alia sunt enim, quorum conditio infallibiliter est connexa cum rei eventu; ut ex. gr. si Petrus habuerit gratiam efficacem, convertetur. Hæc futura sunt necessaria, necessitate *consequentiæ*, & *infallibilitatis*; & hæc cognoscuntur per scientiam Dei necessariam, *seu simplicis intelligentiæ*; neque in istis futuris cognoscendis videtur ullo opus esse decreto. Alia autem sunt futura conditionata, quorum conditio nullatenus est connexa cum actu, aut saltem non infallibiliter, ut ex. gr. Joas ex integro eversurum Syriam, si septies jaculo percussisset terram; aut David, & Salomonis nepotes regnaturos in solio Israel, si legem Dei servassent; & cum in istis futuris certa connexio inter conditionem, & rei eventum non habeatur, nisi ex vi divini decreti, ea futura nonnisi in ipso divino decreto cognosci possunt; horumque scientiam probabilius videtur appellandam esse scientiam *visionis*, quia libera est, & a libero decreto pendet. Vid. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. I. P. II. tract. 5. cap. 22. tum in Disput. XXXIII. coram Clem. VIII. in *Actis Congreg.* &c. p. 870.

253. Ob. tertio. Deus certe cognoscit peccata futura; sed hæc nullo modo cognoscere potest in suo decreto: Deus enim non decernit peccata, sed prævidet tantum, & permittit: ergo &c.

254. Resp. primo, hoc argumento nos minime premi, qui agimus de futuris ordinis supernaturalis, cujusmodi non sunt peccata.

255. Resp. secundo cum Thomistis dist. min. Deus non potest cognoscere peccata in decreto *positivo* concurrendi ad malitiam, *conc.* in decreto *permissivo*, non impediendi malitiam, *nego*. Malitia peccati non est effectus, sed defectus; & prima illius causa est voluntas humana, quæ tum propter naturalem debilitatem, tum multo magis propter vulnus peccati originalis ad malum tendit. Deus autem statuens ejus lapsum non impedire, hoc ipso futurum peccatum videt. Præclare S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 95. *Non ergo fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo.* Præclare etiam Bossuetus, *Traité du libre arb.* cap. 5.: *Deus videns mensuram, quantitatemque boni, quod in creatura ipse ponit, videt consequenter malum esse, ubi boni confinia sunt, quomodo vacuum in natura cognosceret, videns quousque se corpora extendunt.* Sed hæc ad Philosophos potius pertinent, quam ad nos, quæ divina actuum nostrorum salutarium cognitione hic tantummodo solliciti sumus.

256. Ob. ultimo. Scientia media fuit ab Apostolica Sede probata; etenim quam diligentissimo examine per integrum decennium sub duobus Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. discussa, nulla inusta censura libera dimissa est; at vero cum aliquis in judicium vocatus, & peracto examine li-

(a) Potissimum Molinæ argumentum ex concordia libertatis humanæ cum gratiæ donis solvetur inferius, ubi agemus de efficacia divinæ voluntatis.

(b) P. Thomas de Lemos in Disputat. XXXV. coram Clem. VIII. p. 923. fidenter dicebat, hanc quæstionem esse de nomine, *immo de puro nomine*.

liber dimittitur, innocens haberi debet: ergo &c.

257. Resp. hoc nimis inconsiderate fuisse ab aliquibus jactatum, ut inani triumpho fucum imperitis facerent. Causa nondum finita est, nihilque omnino de Molinæ sententia ex juris formulis pronunciatum. Nam Paulo V. quibusdam haud ignotis ex causis visum est, hanc controversiam, quæ jam definitioni matura credebatur, suspensam relinquere. Rescripti Pontificii verba sic habent: *dixit Sanctitas sua, se opportuno tempore promulgaturam declarationem, ac determinationem suam*. Hinc Dominicani apostolicam hujus causæ definitionem a Pontificibus Gregorio XV. Urbano VIII. Innocentio XI. & Benedicto XIII. humiliter, & enixe sæpius postulabant (a).

258. Quod si Congregationum illarum acta consulamus, apparebit, causam contra Molinam jam præjudicatam fuisse. Ejus enim dogmata sæpius ad trutinam revocata omnium Censorum calculis (uno duntaxat excepto) semper condemnata fuere. Exarata denique erat Bulla, cui nihil aliud deerat, quam juris solemnitas ad totum Molinianum systema proscribendum (b).

259. Dices. Paulus V. prohibuit, Molinæ sententiæ aliquam notam inuri: ergo absoluta est, & a quacumque erroris suspicione liberata.

260. Resp. dist. ant. Prohibuit &c. quia Apostolicæ Sedis decretum nondum promulgatum est, *conc.*; quasi jam illa doctrina fuerit ab omni erroris suspicione liberata, *nego*. Cum Pontificium oraculum nondum prolatum sit, nemini licet privato, præcipitique judicio in Molinæ opiniones, quæ adhuc sub judice sunt, sententiam damnationis ferre; sed eadem ratione nemini licet eas innocentes pronunciare. Utroque enim modo Ecclesiæ judicium intempestive præoccupatur. Et de his plusquam satis, plura dicturi, ubi de gratiæ efficacia.

CAPUT XI.

In quo medio videat Deus futura conditionata, quorum conditio adimplenda non est?

261. Duplex distinguitur a Theologis Dei decretum, absolutum unum, quod absolute, & sine ulla conditione exprimitur, e. g. *volo Petrum a peccato ad pœnitentiam convertere*; aliud conditionatum, quod ab aliqua pendet conditione. Et hoc iterum duplex est; aliud conditionatum *ex parte subjecti*, cum nihil re ipsa decernitur, sed decerneretur, si quædam poneretur conditio, ut cum quis dicit, *vellem scientiis operam dare, si multo labore opus non esset*: quod decretum recte appellari solet velleitas potius, quam voluntas. Hujusmodi decreta a Deo ableganda sunt; nascuntur enim ex quadam animi suspensione, quæ maximam involvit imperfectionem. Aliud vero est decretum *subjective* absolutum, *objective* autem conditionatum; ut si judex ita statuat: *volo Petrum e carcere dimittere, si de ejus innocentia constiterit*; dicitur enim hoc decretum *subjective* absolutum, quia judex absolute decernit, & vult; *objective* autem conditionatum, quia conditio aliqua apponitur, quæ se tenet ex parte objecti, nec cadit supra actum ipsum volendi.

262. Hisce expositis, facile intelligitur non opus esse in Deo aliquo decreto, quando agitur de futuris conditionatis; quorum conditio, vel necessario, vel saltem infallibiliter cum objecto connexa est. Sed si conditio aut nullatenus, aut solum probabiliter cum objecto connectatur, haud difficile est ostendere, hæc futura non posse a Deo certo cognosci, nisi in decretis ipsius Dei *subjective* absolutis, *objective* autem conditionatis, at hujusmodi enim decretis omnino pendet, ut hæc reipsa futura sint.

263. Atque hæc decreta esse in Deo admittenda, primo ostenditur ex sacris litteris, in quibus plures inveniuntur Dei promissiones, non absolutæ, sed conditionatæ; ut promissiones ubertatis ter-

(a) Remensium Episcopus Car. le Tellier solemni decreto dato ad Academiam Remensem die decimo quinto Julii an. 1697. uti *falsam, temerariam, scandalosam, captiosam, & inducentem in errorem* damnavit hanc propositionem: *Doctrina Lud. Molinæ, aliorumque Theologorum, qui concordiam libertatis humanæ cum gratia divina ope scientiæ mediæ tradere enucleatius tentarunt ... tam valide impetita, & coram summis Pontificibus tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace purior inventa est &c.* Dignum est quod totum legatur celebre hoc Tellieri decretum, quod prostat apud P. Hyac. Serry in append. ad *Hist. de Auxiliis*. Vid. etiam Tom. II. *Ep. & opusc.* Card. Baronii edit. a Raym. Albericio Congregat. Orat. Romæ 1759. pag. 121.

(b) Videri potest hæc Bulla apud laud. P. Serry in append. *ad Hist. de auxiliis*. Neque audiendi sunt, qui actis Congregationum detractam esse omnem fidem dicunt ex decreto Innocentii X. die 23. April. 1654. Non inquam; eo enim decreto id solum declaratum est, acta illa non authentica, seu fidem publicam non habere, ut ostendit idem P. Serry in præfat. §. 12. Ceterum non ita pridem Petrus Franc. Fogginius Vaticanæ bibliothecæ custos in præfat. ad opuscula S. Augustini Romæ edita anno 1764, & Benedicto XIV. dicata, hujus Bullæ mentionem facere minime dubitavit §. 11. dicens: *Nec latum est rite usque adhuc conceptum, exaratumque decretum &c.* Quod si Innocentii X. Decreto Bulla hæc, & reliqua acta damnata fuissent, ut falsa, nec Fogginius ausus fuisset ita alloqui doctissimum Pontificem, nec oculatissimi Censores Romani id permisissent.

terræ Israelitis factæ Levit. XXVI. si in præceptis Dei ambulassent, ejusque mandata custodivissent; tum promissiones factæ David, & Salomoni, quod filii eorum regnaturi essent super thronum Israel usque in sempiternum, si legem ejus servassent. Ulterius Daniel. IX. 4. dicitur *Deus custodiens pactum custodientibus mandata;* atqui promissiones istæ, & pacta sunt totidem decreta Dei, absoluta quidem ex parte ipsius Dei, conditionata autem ex parte objecti; nisi dicere velimus, Deum non vere promisisse, sed verba dedisse inania, quod sacrilegum est cogitare: ergo &c.

264. Præterea Deus certo revelavit Prophetæ Eliseo 4. *Regum* XIII., Joas regem Israel percussurum fuisse Syriam usque ad consummationem, si terram jaculo quinquies, sexies, aut septies percussisset; atqui nulla alia ratio hujus futuri conditionati afferri potest, nisi Dei decretum. Quæ enim, quæso, connexio esse poterat inter conditionem & eventum hujus rei, nisi Dei decretum? ergo &c.

265. Eamdem veritatem explicat etiam S. Th. in I. *Sent.* dist. 46. qu. 1, art. 1. ad 2. inquiens: *voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.*

266. Corollarium. Semel ac ista decreta constituantur in Deo, ut reipsa constitui debent, operæ dispendium esset, multa afferre ad ostendendum, in iis decretis futura conditionata a Deo cognosci. Deus enim suam voluntatem perfectissime comprehendens, ea omnia cognoscit, quæ ab ejusdem divinæ voluntatis decretis dependent.

267. Ob. primo. Decreta hujusmodi nova sunt, quorum neque in sacris litteris, neque in sanctis Patribus, neque in antiquis Theologis ullum vestigium est. Præterea inutilia sunt, cum conditiones involvant, quæ nunquam ponentur. Tertio illusoria, & nugatoria videntur, cum ipsa conditio a Deo decernente dependeat, qui eam ponere non vult; perinde ac si quis diceret: *volo tibi centum aureos donare, si eos tibi pollicitus fuero;* polliceri autem absolute nolit. Sunt demum contradictoria; Deus enim vellet ex. gr. Tyriorum conversionem, sub conditione quod Christi miracula viderent, eodemque tempore, & actu eam nollet, nolens miracula Christi apud eos fieri: ergo &c.

268. Resp. Primum falsum esse, satis probant sacr. Scripturarum loca, & multo plura, quæ afferri possent, scilicet omnia illa, ex quibus Adversarii ipsi ostendunt, futura hæc conditionata a Deo cognosci: cognosci enim non possent nisi certo futura essent; nec certo futura esse possunt, nisi ex decreto Dei conjungentis rerum eventus cum conditione, quemadmodum explicatum est. Sic pariter sancti Patres, quotquot hæc futura a Deo cognosci asseruerunt, implicite saltem etiam divina decreta confiteri debuerunt, ex quibus illa suam futuritionem conditionatam desumunt. Quantum demum ad Theologos, P. Henriquez in libro *de ultimo fine hominis* c. 4. n. 2. postquam horum decretorum necessitatem ostendisset, plusquam 20. Theologos recenset, qui eam admittunt. P. autem Gonet in *Clypeo Theol. Thom.* disp. 5. cap. 2. §. 5. ea nonnullis etiam Molinistis probata fuisse, ostendit.

269. Ad secundum. Etiamsi non noctnis similes horum decretorum utilitatem non videremus, male tamen inde colligeretur, ea esse reipsa inutilia. Decreverat Deus integram victoriam de Syriis regi Joas tribuere, si terram sexies, vel septies jaculo percussisset, quem nonnisi ter percussurum esse sciebat. Decreverat, nepotibus David, & Salomonis thronum Israel concedere, si legem servassent, quam eos non servaturos certo noverat. Decreverat, infantibus quibusdam gratiam, & gloriam conferre, si ad baptismum suscipiendum pervenirent, ad quem tamen ex inscrutabili judiciorum suorum abysso nolebat eos pervenire; & sic de ceteris. Quare ea decreverit, quæ nunquam evenire debebant, ipse solus novit.

270. Dici tamen potest pro modulo nostro inutilia non esse hujusmodi decreta, quia & Dei bonitatem ex una parte, & hominum libertatem ac malitiam ex altera manifestant. Ut quando Deus promisit Abraham, se parciturum Sodomitis, si decem saltem justi inter eos fuissent Genes. XVIII. quanquam probe sciebat, decem ibi justos minime inveniri.

271. Ad tertium. Nullo pacto nugatoria, vel illusoria sunt hæc decreta; est enim eorum conditio absolute possibilis, ut cum Israelitis promisit terræ ubertatem, si mandata ejus custodirent, & omnibus vitam æternam, si in justitia usque ad finem perseveraverint. Quis enim negaverit, has conditiones esse possibiles? Immo ut possibiles sint, Deus auxilia suæ gratiæ pro omnibus præparavit, & omnibus offert. Exempla autem, quæ afferuntur ab Adversariis, non sunt ad rem; partim quia plerumque sunt de conditionibus impossibilibus, partim quia cum homines sint causæ particulares, non solent aliquid considerare, aut velle, nisi absolute, & *consequenter*, seu attentis omnibus circumstantiis. Deus vero, utpote causa universalis, multa vult *antecedentèr*, & conditionate, quæ absolute, & consequenter non vult; ut in proxima dissert. de voluntate uberius ostendemus.

272. Ad ult. Duæ voluntates antecedens, & consequens secum ipsis non pugnant, cum habeant objectum diversum; prima enim fertur in rem in se, & nude spectatam, vel etiam sub quibusdam conditionibus, sub quibus habet rationem boni, & volibilis; altera autem fertur in rem circumvestitam omnibus suis circumstantiis. Idem est de decretis conditionatis; futura enim conditionata, quæ

quæ reipsa esse non debent, spectant ad voluntatem antecedentem, absoluta vero ad consequentem.

273. Ob. secundo cum Vasquezio disp. 67. cap. 4. Omne decretum divinæ voluntatis infert, & producit aliquam mutationem physicam, & realem in objecto volito; etenim decreto posito aliqua relatio rationis exoritur inter Deum, & objectum; hæc autem cum non possit ex Dei mutatione oriri, oriri debet ex mutatione creaturæ; sed decreta conditionata, quorum conditio ponenda non est, nullam possunt inferre, aut producere mutationem realem in objecto, quod nunquam erit: ergo &c.

274. Resp. Decretum conditionatum efficere in objecto mutationem realem, non absolutam, sed conditionalem; realiter enim objectum transfertur a statu rerum pure possibilium ad statum alicujus futuritionis: & reipsa divina voluntas nostro intelligenda modo aliter refertur ad hæc futura conditionata, quam referatur ad possibilia tantum.

275. Inst. Objectum actu non coloratum, sed quod coloratum esset aliqua posita conditione, nequit esse terminus potentiæ visivæ: ergo etiam objectum, quod actu non est, sed esset posita certa conditione, nequit esse terminus divinæ voluntatis, ut decretum de eo emittat.

276. Resp. neg. cons. Quamvis enim objectum futurum sub conditione actu non sit, immo nec reipsa *absolute* futurum aliquando sit, est tamen impræsentiarum ejus futuritio, seu ipsius ordo ad existendum sub certis conditionibus, si ponerentur; & hujusmodi futuritio, seu ordo ad existendum, est divinæ volitionis terminus (a).

277. Quæres, an sint in Deo decreta de omnibus possibilibus combinationibus conditionum?

278. Resp. primo admittenda esse decreta de omnibus iis futuris conditionatis, quæ Deus nobis in sacris litteris revelare dignatus est; ut illud de plena destructione Syriæ, si Joas septies jaculo percussisset terram; & id genus alia, quæ infallibiliter cum conditione non connectuntur, nisi per decreta divina: secundo de omnibus iis futuris conditionatis, quæ Deus infinita sua scientia cognoscit; neque enim, ut dictum est, Deus aliter ea cognoscere potuit, quam in suis decretis.

279. At vero, ut bene notavit doctissimus P. Lemos, hæc decreta non sunt multiplicanda respectu omnium combinationum, quæ in infinitum procedunt, sed tantum oportet illa recipere quæ nobis ex divinis litteris, aut Sanct. Patrum interpretatione traduntur. *Et ratio est, quia cum istæ combinationes, quæ ex his conditionalibus exprimuntur, sint in infinitum multiplicabiles, ut de se est manifestum, infinitum autem non sit ordinabile in finem, nec ad divinam providentiam, quæ omnia in finem ordinat, spectat omnes has infinitas combinationes habere.... Quæ autem in Scriptura traduntur, ob altissimam rationem explicanda sunt, vel ad significationem mysteriorum explanandam, vel ad multorum duritiem increpandam, vel ad divinam efficaciam ostendendam, vel propter alios altissimos divinæ providentiæ fines, quæ tamen rationes in multiplicatione infinita horum decretorum omnino cessant*. Dignus est etiam, qui de hac re legatur non minus pius, quam doctus Vinc. Contensonius in sua Theologia *mentis, & cordis* Lib. II. Dissert. IV. cap. 2. specul. 1.

280. Hinc Angelicus Doctor non dubitavit constanter asserere, quod si homo non peccasset, Christus in mundum non venisset, quia in *Scriptura Sacra unica incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur* 3. Part. quæst. 1. artic. 3., satis luculenter innuens, non esse arbitratu nostro confingenda in Deo decreta de omnibus futuris conditionatis, quorum conditio ponenda non est. Et de his satis.

DISSERTATIO V.

De Dei voluntate.

Ut brevitati, quantum fieri potest, consulamus, multis resecatis, quæ de voluntate Dei late disputare solent Scholastici, tria præcipue discutiemus. Primo præmissis variis divinæ voluntatis divisionibus, celebrem controversiam de generali, & antecedente Dei voluntate salvandi omnes homines, qua majori poterimus diligentia tractabimus; tum divinæ voluntatis libertatem exponemus; ac postremo ejusdem efficaciam cum humana libertate ex S. Thomæ, ac Thomistarum doctrina conciliabimus.

CAPUT I.

De divinæ voluntatis objecto, variisque divisionibus.

1. Operæ dispendium facerem, si multis demonstrare aggrederer, in Deo esse voluntatem, quam sacræ litteræ frequentissime memorant, quam ratio ipsa naturalis ostendit, & quam nemo, quod sciam, ausus est inficiari.

2. Objectum porro divinæ voluntatis est duplex: aliud *formale*, & *primarium*, quod etiam *motivum* vocatur, quia sua ratione, propriaque bonitate voluntatem movet; aliud *materiale*, & *secundarium*, in quod divina voluntas fertur quidem

(a) Quæ in hoc capite dicta sunt, intelligi debent in hypothesi, quod sint reipsa aliqua futura conditionata sub conditione non adimplenda; qua de re disputatum est supra cap. V. Qui de his plura desiderat, adeat inter alios multos P. Thomam de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. I. P. II. cap. 22. & seq.

dem, non tamen ratione sui, sed ratione alterius, ad quod ordinatur.

3. Objectum *formale*, primarium, & motivum voluntatis Dei est sola ipsius bonitas, ad quam, tanquam ad finem, omnia alia referuntur, quare Prov. XVI. 4. dicitur: *universa propter semetipsum operatus est Dominus*. Et S. Th. I. P. qu. 19. art. 2. ad 2. *tota ratio volendi*, inquit, *est finis, & hoc est quod movet voluntatem .... unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ejus, nisi bonitas sua. Et sic, sicut alia a se intelligit, intelligendo essentiam suam; ita a se vult, volendo bonitatem suam*.

4. Creaturæ autem sunt objectum *secundarium*, & *materiale* voluntatis Dei, quas proinde Deus amat, non amore *affectivo*, sed *effectivo*. Quare Guillelmus Abbas S. Theodorici Lib. I. *de amore Dei* c. 4. (inter opera S. Bernardi Tom. V.) *Non enim*, inquit, o *Deus, afficeris ad nos, vel a nobis, cum nos amas ... nos autem a te, ad te, & in te afficimur, cum te amamus*. Cujus rei hanc affert Angelicus Doctor rationem I. P. qu. 20. artic. 2. *Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur, sicut ab objecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed e converso bonitas ejus, vel vera, vel æstimata provocat amorem, quo ei volumus & bonum conservari, quod habet, & addi, quod non habet, & ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens, & creans bonitatem in nobis*.

5. Quamvis autem divina voluntas unica in se sit, & simplicissima, spectata tamen diversitate volitorum, multiplex obtinuit apud Theologos ejusdem divisio, quæ etiam necessaria videtur ad intelligenda, ac inter se concilianda quædam S. Scripturæ loca, quæ secum ipsis prima facie pugnare videntur.

6. Ac primo alia dicitur in Deo voluntas *signi*, alia *beneplaciti*. Hæc est voluntas proprie dicta; voluntas autem *signi* metaphorice dicitur, & proprie non est, nisi signum divinæ voluntatis, ut declarat S. Th. I. P. q. 19. art. 11. nempe *quod solet esse in nobis signum voluntatis, quandoque metaphorice in Deo voluntas dicitur*. Quinque autem enumerari a Theologis solent divinæ voluntatis signa, scilicet *præceptum, consilium, prohibitio, permissio, & operatio*, quæ hoc versiculo continentur:

Præcipit, hortatur, prohibet, permittit, & implet.

7. Ex istis signis *permissio malorum* nunquam concurrit cum voluntate *beneplaciti*; *operatio* autem semper concurrit. Reliqua demum quandoque concurrunt, quandoque non concurrunt; & hæc sunt *præceptum, consilium, & prohibitio*. His signis aliud addendum esse putat Guill. Estius in I. *Sent.* dist. 45. §. 7. nempe *præparationem*; quæ signum esse solet eorum, quæ facere volumus (a).

8. Secundo celeberrima est divisio voluntatis divinæ in *antecedentem, & consequentem*: quæ quidem distinctio, inquit Angelicus I. P. q. 19. art. 6. ad 1. *non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte volitorum*. Hujus distinctionis primum vestigium reperiri dicitur apud S. Jo. Damascenum Lib II. *de fide orthod.* c. 29. (b); attamen Sanct. Chrysostomus Hom. I. in epist. ad Eph. aliquam hujus duplicis voluntatis mentionem facere videtur, voluntatem antecedentem appellans *primam*, consequentem vero *secundam*.

9. Voluntas porro antecedens, & consequens ita explicatur a S. Thoma loco laud.: *Considerandum est, quod unumquodque, secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum: quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet: sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere: unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus an-*

(a) Non erit inutile hic obiter observare, magnum esse in Theologia morali voluntatis *signi* usum; hæc enim est regula actionum humanarum, quamquam hæc voluntati *beneplaciti* aliquando non consentiat: Sin exempli gratia voluntas *signi* fuit, non autem *beneplaciti*, ut Abraham filium suum immolaret, & tamen sine dubio culpabilis fuisset Abraham, si huic voluntati *signi*, seu præcepto immolandi filium obtemperare renuisset. Contra voluntas Dei *beneplaciti* fuit, ut Christus occideretur; sed contraria erat voluntas *signi*, ideoque Judæi non sequentes voluntatem *signi* gravissimo Deicidii scelere se obstrinxerunt.

(b) Verba S. Jo. Damasc. hæc sunt: „ Hoc itidem „ nosse oportet, Deum primaria, & antecedente vo„ luntate velle omnes salvos esse, & regni compotes „ fieri: non enim nos ut puniret, condidit: sed quia „ bonus est, ad hoc ut bonitatis suæ participes esse„ mus. Peccantes porro puniri vult, quia justus est. „ Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur, & „ beneplacitum, cujus ipse causa sit; secunda autem „ consequens voluntas, & permissio ex nostra causa „ ortum habens, eaque duplex: altera dispensatione „ quadam fit, & ad salutem erudit; altera a reproba„ tione proficiscitur, ad absolutam, ut diximus, pœ„ nam pertinens “.

antecedenter vult omnem hominem salvari, *sed consequenter vult quosdam damnari*, *secundum exigentiam suæ justitiæ*. Prima voluntas dicitur inefficax & conditionata, immo a S. Thoma vocatur voluntas *secundum quid*, subdens: *neque tamen id quod antecedenter volumus*, *simpliciter volumus*, *sed secundum quid* .... *& magis potest dici velleitas*, *quam absoluta voluntas*. Hisce breviter expositis magna exoritur, & perdifficilis quæstio, an, & quomodo Deus velit omnium hominum salutem, quam mox expendemus.

CAPUT II.

De voluntate, *qua Deus vult hominum salutem in statu naturæ lapsæ*.

10. Duo hac in re, sibique oppositi fuerunt Pelagianorum, ac Prædestinatianorum errores. Pelagiani, eorumque surculi Semipelagiani commenti sunt, Deum una prorsus, eademque generali voluntate æqualiter velle salutem omnium hominum, conditione tamen apposita, *si ipsi velint salvari*. Hæc autem conditio modo aliquatenus diverso a Pelagianis explicabatur, ac a Semipelagianis. Illi nempe omnis gratiæ inimici a sola hominum voluntate eorum salutem pendere arbitrabantur, isti autem alicujus gratiæ necessitatem agnoscentes dicebant, Deum velle salutem omnium hominum, si ipsi gratiæ suæ quam omnibus præsto semper esse putabant, consentire vellent. Ex hoc tamen non minus, quam in sententia Pelagianorum consequebatur, totum inter eos, qui salvantur, & qui pereunt, discrimen ab hominum, non autem a Dei voluntate esse repetendum (*a*).

11. Cum vero utrique a S. Augustino premerentur exemplo parvulorum, qui non omnes salvantur, quin tamen hæc diversitas ab eorum voluntate, quæ nulla est, repeti possit, Pelagiani nodum secabant, peccatum originale, ac proinde parvulorum, qui sine baptismo moriuntur, damnationem negantes. Semipelagiani autem commenti sunt, eos ex infantibus salvari, vel perdi, quorum bona vel mala merita, si ad adultam evasissent ætatem, Deus prævidit: ut ita totum salvandorum, & pereuntium discrimen a sola eorum voluntate semper repeteretur.

12. Hanc eamdem erroneam sententiam suscitari conati sunt Remonstrantes Sæc. XVII., qui duce Jac. Arminio ita a Calvini duritie recesserunt, ut in apertum Semipelagianismum declinarent, damnati propterea a Calvinianis in Synodo Dordracena ann. 1618. Confer Bossuetum in *Hist. variat. Eccles. Protestantium* Lib. XIV. n. 23.

13. Ergo autem perniciosior est iste error, quod passim in eum prolabantur quotquot vel inter ipsos Catholicos non satis bene mysteria gratiæ, & prædestinationis edocti sunt. Nimirum maxima pars hominum putat, Deum æqualiter velle omnium salutem, omnibus proinde gratiæ suæ auxilia indifferenter offerre, atque etiam conferre, eosque demum ad salutem pervenire, qui iisdem auxiliis bene utuntur pro sua libertate; quemadmodum sua culpa pereunt qui iisdem bene uti negligunt. Quod si esset, quis non videt, inde consequi, hominem esse suæ salutis arbitrum, & unum se discernere ab alio, non autem electorum prædestinationem esse a gratuita Dei misericordia repetendam? (*b*)

14. Theologi Scholastici unanimi fere calculo

(*a*)

(*a*) Pelagius in Comment. super epist. S. Pauli, qui olim Hieronymi nomen præferens, multos fefellit, illud celebre Apostoli dictum: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, ita explicabat: *si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint*, scilicet viribus naturæ, non voluntate præparata per gratiam. Et Julianus apud S. Augustinum Lib. IV. contra ipsum c. 8. inquiebat, *Ab eo pulsantibus aperiri*, *qui omnes homines vult salvos fieri*; quæ verba quo sensu dicta sint, ita explicat S. Augustinus, *ut videlicet intelligamus*, *dicentibus vobis*; *ideo non omnes salvos fieri*, *& in agnitionem veritatis venire*, *quia ipsi nolunt petere*, *cum Deus velit dare*, *nolunt quærere*, *cum Deus velit ostendere*, *nolunt pulsare*; *cum Deus velit aperire*. Semipelagianorum autem hac in re doctrinam ita exponit S. Prosper in epist. ad S. August. n. 4.: *Propositum vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt*, *quod Deus constituerit*, *nullum in regnum suum*, *nisi per Sacramentum regenerationis assumere*, *& ad hoc salutis donum omnes homines universaliter*, *sive per naturalem*, *sive per scriptam legem*, *sive per evangelicam prædicationem*, *vocari*, *ut & qui voluerint*, *fiant filii Dei*, *& inexcusabiles sint*, *qui fideles esse noluerint*, *quia justitia Dei in eo sit*, *ut qui non crediderint*, *pereant*; *bonitas in eo appareat*, *si neminem repellat a vita*, *sed indifferenter velit universos salvos fieri &c.*: & n. 6. *Itaque*, *quantum ad Deum pertinet*, *omnibus paratam vitam æternam*, *quantum autem ad arbitrii libertatem*, *ab his eam apprehendi*, *qui Deo sponte crediderint*, *& auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint*. Ubi semper apparet, ita explicari voluntatem Dei salvandi omnes homines, ut ille indifferens prorsus sit & æqualis erga omnes: ab hominum autem voluntate repetendum esse, cur isti potius, quam illi salventur.

(*b*) Cælestinus Sfondratus in suo *Nodo prædestinationis dissoluto* ea passim insinuat, quæ nisi emollientur, vix, ac ne vix quidem ab hoc errore excusari posse videantur: nempe sæpius inculcat, Deum, *quantum in se est*, *absolute*, *impense*, *atque efficaciter*, *immo efficacissime* omnium hominum salutem velle, neque Deum in prædestinationis negotio ex se distinxisse inter Abel, & Cain, Petrum, & Judam &c., sed omnibus æqualiter salutem voluisse. Videri potest contra ipsum liber, cui titulus: *Augustiniana Ecclesiæ Rom. Doctrina a Card. Sfondrati nodo extricata per varios S. Augustini discipulos*. Contra hanc vulgi erroneam opinionem ajebat olim Guill. Estius in I. dist. 46. §. 2. *Non debemus in Deo imaginari*, *sicut est in hominibus*, *voluntatem*, *studium*, *conatum aliquem*, *quo velit*, *studeat*, *nitatur*, *& quantum in ipso est*, *agat*, *ut omnes homines salventur*, *quod tamen propterea non assequatur*, *quia bonæ ejus voluntati obsistat mala vo-*

(*a*) statuunt, generaliter Deum velle omnium hominum salutem, sed voluntate antecedente solum, non autem voluntate consequente, quia nonnisi electos efficaciter salvari vult, ut proinde ab hac voluntate consequente tota salvandorum discretio repeti debeat. Sed in explicanda postea hac generali, & antecedente Dei voluntate salutis omnium hominum plurimum inter se dissident duæ æmulæ Scholæ, Thomistica, & Moliniana.

15. Thomistæ enim, qui gratiam per se efficacem, & electorum prædestinationem gratuitam esse cum sanctis Augustino, & Thoma contendunt, non alia ratione Deum antecedenter velle omnium hominum salutem dicunt, nisi quia hæc in se ipsa *antecedenter*, & sine ullis circumstantiis considerata bona est, seu, ut loquitur S. Thomas Lect. I. in cap. II. epist. 1. ad Timoth., *habet rationem, ut sit volibilis*, adeoque objectum est divinæ voluntatis. Sed idem Deus ex altissimis suæ providentiæ finibus *consequenter*, atque *efficaciter* nonnisi aliquos salvari vult, qui etiam infallibiliter salvantur, reliquos autem in massa damnationis relictos perire permittit: eo fere modo, quo judex vellet homicidam vivere, si per leges liceret, sed considerato ordine justitiæ efficaciter vult eum occidi; *similiter*, inquit Angelicus I. P. quæst. 19. art. 6. ad 1., utens hoc ipso exemplo judicis, *Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ*.

16. Qui autem Molinæ placitis adhærent, voluntatem Dei antecedentem, & generalem salutis omnium hominum conditionatam esse dicunt conditione, quæ ab eorumdem hominum voluntate pendeat, si nempe ipsi velint divinæ gratiæ pro sua libertate consentire, atque eidem cooperari; unde inferunt, auxilia gratiæ ad salutem sufficientia omnibus hominibus sine ulla exceptione destinata fuisse, Deum postea scientia sua media explorasse, quinam iis auxiliis bene usuri essent, & quinam male; illos ad gloriam voluntate consequente prædestinasse, hos reprobasse; atque ita voluntatem antecedentem appellant, quæ hominum merita præcedit, consequentem, quæ illorum prævisionem subsequitur; unde etiam requiritur in eorum doctrina, voluntatem Dei antecedentem, quæ ex se inefficax est, fieri efficacem, & consequentem ex præviso hominum consensu, bonoque usu gratiæ.

17. Ubi tamen serio observandum est, etiam Thomistas, ceterosque Theologos, quotquot sunt, fateri debere, in voluntate, quam habet Deus salutis hominum, sive antecedens ea sit, sive consequens, eam conditionem involvi, *si ipsi velint*; neque enim Deus vult salvare nolentes. *Non ut homines nolentes credant, sed ut volentes de nolentibus fiant*, inquit S. Augustinus Lib. I. ad Bonifacium cap. 19. Sed in hoc est magnum discrimen, quod Molinistæ dicant, Deum velle omnes homines salvare, si ipsi velint versatili ejus gratiæ consentire, eo sensu, ut prævisus aliquorum consensus sit causa, cur Deus eos postea ad æternam gloriam prædestinet (si tamen hæc potest veri nominis prædestinatio appellari seu velit *efficaciter* & *consequenter* eos salvari: alios autem, quos non consensuros prævidit, *efficaciter*, & *consequenter* salvari nolit (*b*).

18. Qui autem inconcussis sancti Augustini, & Tho-

luntas hominum; qua prævalente, atque impediente frustretur voluntas Dei. Quæ opinio & potentiæ divinæ detrahit, & felicitati; nam si non potest Deus, quod vult, impotens est: si non assequitur, quod optat, infelix est, & miser. Id ipsum ante Estium observaverat Thomas Bradvvardinus *de causa Dei*. P. I. cap. 1. §. 8.

(*a*) Dixi *fere*; nam Vasquezius inter illos non ignobilis in I. P. S. Thomæ disput. 95. cap. 6. ab hac generali Dei voluntate excipit parvulos sine baptismo morientes; quam Vasquezii opinionem refert, nec sine quadam approbationis specie, doctissimus Bossuetus *dans la Defense de la tradition, & des saints Peres* Lib. IX. cap. 22.

(*b*) Audiatur ipse Molina in *Concordia* quæst. 19. art. 6. disp. 1., ubi explicans cum Damasceno voluntatem Dei antecedentem dicit, Deum in statu naturæ lapsæ *voluisse omnibus sempiternam felicitatem, mediaque ad eam consequendam necessaria, non tamen voluntate absoluta, sed dependenter tum a libero arbitrio hominum, tum etiam a cursu, dispositione, & eventibus hujus mundi*. Hoc secundum *a cursu &c.* positum fuit pro parvulis, quorum voluntate non potest eorumdem salus æterna repeti. Post autem explicaturus, quid prædestinatio addat supra generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines, sine tergiversatione fatetur, nihil addere, nisi præscientiam boni usus auxiliorum sufficientium; inquit enim quæst. 23. art. 4. & 5. membr. 11., *ratio ordinis in Deo, seu mediorum accommodatorum, ut creaturæ mente præditæ pervenire possint ad beatitudinem, cum proposito eundem ordinem exequendi ... est providentia divina circa creaturas ad beatitudinem, sive illæ prædestinatæ sint ... sive non. Ratio vero ejusdem ordinis cum eodem proposito, prævidente Deo per scientiam mediam, quod per eam ad beatitudinem devenient, est prædestinatio, comparatione earum, quæ perventuræ prævidentur*. Idipsum sæpius inculcat; immo antea ostensurum se promiserat, *Deum non alia ratione prædestinatos in vitam æternam elegisse, quam complacendo sibi in mediis, ac fine ipso beatorum prævisis*. Præstat audire etiam Petavium celebratissimum inter Molinianæ Scholæ Theologos, qui Lib. X. *de prædestinat.* cap. 3. n. 5. sic ait: *ex eadem generali, communique Dei voluntate consequens est, ut omnibus gratiam, ac necessaria comparandæ salutis præsidia, & adjumenta suppeditet ... nisi enim ita faceret, sed certis tantummodo necessaria præberet auxilia, cum sine iis salus æterna comparari nequeat, non omnes salvos velle diceretur, sed eos duntaxat, quibus opem ferret, reliquos nolle omnino salvos esse*. Nemo autem ignorat, quid Molinistæ per auxilia sufficientia intelligant; talem nempe gratiam, præterquam nihil aliud ex parte Dei ad bene operandum requiritur, & qua proinde, ut mali abutuntur ex propria perversa voluntate, ita boni pro arbitrii libertate bene utuntur ad meritum. Congruis-

Thomæ principiis adhærent, totum nostræ salutis negotium a Deo principaliter repetentes, docent, velle Deum omnes salvos fieri *antecedenter*, si quidem ipsi velint, seu potius si inscrutabilia ipsius judicia sinant, ut faciant omnes velle salvari; nam ab efficaci ejus gratia oritur, ut homines bonum operari, & salvari velint, ut nempe bona hominum voluntas non sit proprie causa, cur Deus eos salvari velit, sed potius sit effectus illius divinæ voluntatis, qua Deus eos a massa perditionis sua misericordia liberavit.

19. Pelagianorum errori opposita est absurda illa, & horribilis Prædestinatianorum blasphemia, Deum scilicet non creasse homines, ut salutem consequantur æternam, sed ut multitudine eorum ornetur mundus; seu, ut olim Vincentius manifesta calumnia discipulis S. Augustini objiciebat, eos scilicet docere, *Deum nolle omnes salvare, etiamsi ipsi velint, & majorem partem humani generis ad hoc creasse, ut illam perdat in æternum*, apud S. Prosperum in *respons. ad objectiones Vincentianas* 2. & 3.; quo quid horrendius audiri potest? Et tamen id olim placuit etiam Calvino, Jo. Piscatori, Theodoro Bezæ, aliisque; quanquam Calviniani posteriores a tam dura Magistri sui sententia recesserunt.

20. Nos hic primum generalem, & antecedentem Dei voluntatem salutis omnium hominum defendemus; post autem abusum Pelagianorum, ac Molinistarum confutabimus, quos supra num. 10. & sequ. exposuimus. Sit itaque

PROPOSITIO I.

Admittenda est antecedens, & generalis voluntas Dei salvandi omnes homines.

21. Hæc enim est phrasis sacr. Scripturarum, atque omnium fere sanct. Patrum. Nam celebre est, & disertissimum illud Apostoli Pauli dictum 1. ad Timoth. II. 4. Deus *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire;* quod Paulinum testimonium quanquam potest cum S. Augustino de voluntate Dei consequente salvandi solos electos recte intelligi, nihil tamen impedit, quin cum aliis Patribus etiam de voluntate antecedente, & generali explicetur; neque enim, ut postea ostendemus, una explicatio cum altera pugnat.

22. Deinde nihil occurrit frequentius in sacris litteris, quam Deum expectare peccatores ad pœnitentiam, eosdem etiam vocare, & exhortari, ut convertantur. Ezechiel. XVIII. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* tum cap. XXXIII. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat. Convertimini a viis vestris pessimis.* Et S. Petrus 2. epist. III. 9. de Deo inquit: *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Atque id genus innumera plane inveniuntur, quibus infinita Dei misericordia elucet etiam erga peccatores, quorum conversionem se desiderare Deus significat, ut & ipsi salutem consequantur æternam.

23. Nec minus aperte loquuntur S. Patres, qui laudata Scripturæ sacræ verba repetentes hanc generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines sæpius prædicant. Paucis Latinis contenti erimus; nam de Græcis nulla dubitatio est (a).

24. S. Cyprianus epist. 52. inquit: *Cum scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam æternam redire;* & S. Hieronymus in cap. XVIII. Ezechielis commentans verba superius relata, *ergo*, inquit, *Domini voluntas est, omnes salvos fieri, & ad notitiam veritatis pervenire.*

25. Et quanquam S. Augustinus disputationibus cum Pelagianis impeditus nullibi fortasse, ut multi arbitrantur, hanc generalem, & antecedentem Dei voluntatem salvandi omnes homines aperte tradiderit; ipsa tamen noluisse illum excludere ex eo colligo, quod ejus discipuli eam admittere non recusarunt. Nam S. Prosper iis respondens, qui Augustinianam doctrinam, ut prædestinatiano errore infectam, manifesta calumnia accusabant, *Sincerissime*, inquit in resp. ad 2. object. Vincent., *credendum, atque profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant .... siquidem* A-

quidem fatentur, aliquam esse specialem in Deo prædilectionem erga prædestinatos, qua movetur, ut illis gratias congruas, quas futuras esse efficaces scientia media prævidit, misericorditer largiatur; imo eorum aliqui eousque progressi sunt, ut cum S. Augustino prædestinationem electorum ad gloriam gratiam prorsus esse, concederent. Vereor tamen, ne dum gratiam per se, & ab intrinseco efficacem respuunt, solamque versatilem a nutu nostræ voluntatis pendulam admittunt, in purum Molinismum relabantur, ac primam rationem, cur aliqui gratiæ consentiant, & salventur, una cum Molina a *solo* libero eorum arbitrio repetere cogantur, ac dicant cum Lessio in *Disput. de prædest. & reprob. Angel. & hominum* sect. 7. *Posuisti* (Domine) *omnia in arbitrio nostro, perinde ac si solis naturæ viribus regnum obtinendum esset... Collocasti & perseverantiam, & prædestinationis complementum, & totam salutem in arbitrio nostro, ut si velimus, salvi simus.*

(a) Sine dubio excessit Jansenius, cum Lib. III. *de gratia Christi* cap. 20., Patrum Græcorum auctoritatem parvi fecit, eo quod *ante subortas de divina gratia difficultates Commentario suo exaraverint, nec ulli imperfectius de gratia, quam Græci locuti sint.* Contra hunc errorem, quem alio ex fine renovavit Rich. Simonius, vid. Bossuetus *Défense de la Tradition, & des saints Peres* Lib. I. cap. 5.

Apostolus, *cujus ista sententia est*, *sollicitissime præcipit*, *quod & in omnibus Ecclesiis piissime custoditur*, *ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur*, *ex quibus quod multi pereunt*, *pereuntis est meritum*, *quod multi salventur*, *salvantis est donum*.

26. Auctor item Lib. *de vocatione gentium*, qui a multis idem S. Prosper putatur, hæc habet Lib. II. cap. 1. *remotis*, *abdicatisque omnibus concertationibus*, *quæ intemperantium disputationum gignit animositas*, *tria esse perspicuum est.... unum*, *quo profitendum est*, *Deum velle omnes salvos fieri*, *& in agnitionem veritatis venire &c.* Quod iterum repetit ibid. cap. 5o.

27. Etiam S. Remigius, & tota Lugdunensis Ecclesia ipsi adhærens, postquam in opere inscripto de *tribus epistolis* tres S. Augustini expositiones, quibus Paulinus textus: *qui vult omnes &c.* ad solos electos refertur, ut continentes *veram omnino*, *& salubrem intelligentiam* collaudavit, etiam quartam expositionem, quæ ad omnes homines extenditur, minime repudiandam esse censet; subdit tamen hæc verba diligenter notanda: *in quarto autem modo illud sine dubio cavendum est*, *quia & occasionem Pelagianæ pravitati præbet*, *quod Deum*, *ut salvet homines*, *humanas expectare asserit voluntates*.

28. Demum, ut ceteros omittam, S. Thomas non putavit ab Augustini vestigiis, quibus fideliter semper inhæsit, se recedere, quando Apostolicam illam sententiam: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, explicuit primo cum ipso S. Augustino de solis electis, & postea cum S. Jo. Damasceno de omnibus hominibus. Ita Lect. I. in illum locum Apostoli, & I. P. qu. 19. art. 6. ad 1., aliisque in locis; quod mox in solutione primæ objectionis apertius declarabitur.

29. Ob. primo. Celebris ille Apostoli locus: *qui vult omnes homines salvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire*, a S. Augustino, aliisque Patribus refertur ad solos electos. Nam primo S. Doctor *de correpat. & grat.* cap. 15. dicit, *posse sic intelligi*, *quod omnes homines Deus vult salvos fieri*, *quoniam nos facit velle*; *sicut misit spiritum filii sui clamantem*: *Abba*, *Pater*, *idest nos clamare facientem*. Secundo alteram explicationem tradit *de prædestinatione Sanctorum* cap. 8. inquiens: *sicut integre loquimur*, *cum de aliquo litterarum magistro*, *qui in civitate solus est*, *dicimus: omnes iste hic litteras docet*, *non quia omnes discunt*, *sed quia nemo nisi ab illo discit*, *quicumque ibi litteras discit; ita recte dicimus: omnes Deus docet venire ad Christum*, *non quia omnes veniunt*, *sed quia nemo aliter venit*. Tertiam interpretationem habet S. Doctor in *Enchiridio* cap. 103., *& de correpat.* & grat. cap. 14., ubi ait: *dictum est: omnes homines vult salvos fieri*, *ut intelligantur omnes prædestinati*, *quia omne genus hominum in eis est*, *sicuti dictum est Pharisæis: decimatis omne olus: ubi non est intelligendum*, *nisi omne*, *quod habebant &c.* Has S. Augustini interpretationes Paulini textus multi alii Sancti Patres approbarunt, ut S. Prosper in epist. ad Ruffinum, S. Fulgentius *de Incarnat. & gratia* cap. 31. (quem P. Sirmondus recte appellavit *linguam*, *& organum sui ævi*), Episcopi Africani in Sardinia exules in *epist. Synod.* cap. 14., S. Gregorius Magnus, sive quilibet alius sub ejus nomine Lib. V. in 1. *Regum* cap. 4. n. 63., S. Remigius, seu potius Ecclesia Lugdunensis in opere *de tribus epistolis* cap. 13., ubi asserere non dubitavit, in his tribus modis *veram & salubrem* Paulini textus intelligentiam contineri, S. Prudentius in epist. ad Wenilonem Senonensem, cujus auctoritatem frustra Petavius elevare conatur Lib. XIII. *de Incarnat.* cap. 12., ac denique S. Thomas I. P. quæst. 19. art. 6. ad 1., & in Comment. in 1. epist. ad Timoth. II. 4. (*a*).

30. Resp. cum S. Thoma, hæc Apostoli verba, quamvis si intelligantur de voluntate consequente, debent restringi ad solos electos, posse tamen etiam extendi ad omnes omnino homines, si intelligantur de voluntate antecedente. *Unumquodque*, ait Angelicus I. P. quæst. 19. art. 6. ad 1., *secundum quod bonum est*, *sic est volitum a Deo* &c. Vide sup. num. 9. Non ergo pugnat, objecta S. Pauli verba intelligi etiam de voluntate antecedente, qua Deus vult omnes omnino homines salvos fieri, quatenus omnes homines naturam habent *ordinatam ad beatitudinem*, ut loquitur idem Angelicus quæst. 23. *de verit.* art. 2.; quamvis recte possint etiam intelligi de voluntate consequente, & tunc debeant ad solos electos referri.

31. Inst. Si verba illa Apostoli, & alia similia possent aliqua ratione intelligi de generali voluntate salvandi omnes homines, mirum est id fugisse S. Augustinum: at vero S. Doctor hæc omnia loca semper interpretatus est de voluntate consequente, ac de solis electis; numquam de omnibus hominibus (*b*). Præterea quamlibet aliam eorumdem

(*a*) Mirum est, hæc omnia aut ignorasse, aut contempsisse Molinam, dum in *Concordia* quæst. 19. art. 6. Disp. 1. istas S. Augustini expositiones verborum S. Pauli ausus est appellare *vel ipso primo aspectu peregrinos*, *& extorres*. Molinæ concinit Vasquez, dum I. P. disp. 83. cap. 2. n. 12. fidenter asserit, Augustinum nullo ex illis tribus modis Pauli locum recte exposuisse. Petavius item, qui Lib. X. *de prædestin.* cap. 3. n. 2. hos modos ab Augustino *sibi quidem ad eludendum magis excogitatos*, *quam certos*, *ac solidos videri*, ait.

(*b*) Solent a quibusdam allegari pro voluntate Dei antecedente ea S. Patris verba *de Spiritu & litt.* cap. 33.: *vult Deus omnes homines salvos fieri &c.... Non sic autem ut ab eis liberum adimat arbitrium*, *quo vel bene*, *vel male utentes justissime judicentur*. Sed Jan-

dem verborum explicationem ferre posse testatur, eam autem solum reprobat de voluntate antecedente, & inefficaci. Nam in *Enchiridio* c. 103. libenter concedit, ut quocumque alio modo verba S. Pauli intelligantur, *dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse, qui sine ullis ambiguitatibus si in cœlo, & in terra .... omnia quæcumque voluit, fecit, profecto facere noluit, quodcumque non fecit*.

52. Resp. S. Augustinum hæc Scripturæ loca nunquam voluisse de voluntate Dei antecedente explicare his fortasse de causis. Primo quia hujusmodi explicatio non potest cum doctrina catholica de gratuita Dei prædestinatione tam ad gratiam, quam ad gloriam sine aliquibus difficultatibus conciliari; quas difficultates reipsa Scholastici experiuntur, ut declinato sensu Pelagiano statuant in Deo generalem voluntatem salvandi omnes homines: contra vero nulla fere est difficultas, si hæc, aliaque similia S. Scripturæ verba de voluntate consequenti, & efficaci salvandi solos electos intelligantur (a). Secundo quia expositis iis Scripturæ locis de sola voluntate consequente, magis magisque confirmabantur ea dogmata de gratiæ necessitate, de gratuita ejusdem largitione, de Dei præscientia, ac prædestinatione, quæ tanto labore contra Pelagianos, ac Semipelagianos defendebat; contra vero posita voluntate Dei antecedente salutis omnium hominum, novæ semper exoriebantur eorumdem cavillationes. Demum quia obvius, & litteralis illorum locorum sensus potius exigere videtur, ut de voluntate consequente, quam de antecedente explicentur. Unde etiam S. Thomas Lect. I. in cap. II. epist. 1. ad Timoth. eam interpretationem S. Augustini, ut sit *distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum*, dicit, *magis facere ad intentionem Apostoli*.

53. Ob. secundo. Omnia illa Scripturarum, Sanctorumque Patrum loca, quæ prædicant Dei voluntatem generalem salvandi omnes homines, referri debent ad statum naturæ innocentis, & ante prævisionem peccati originalis. Nam S. Remigius hanc esse Sanct. Patrum mentem aperte testatur in opere *de tribus epistolis* cap. 12. inquiens: *Ita fit, ut etiamsi secundum pium quorumdam Patrum piorum sensum Deus vult omnes homines salvos fieri bonitate creatoris, qua creaturam suam bene a se conditam perire non vult, idipsum iterum nolit judicis æquitate, qua eamdem creaturam suam, vel originali, vel etiam actuali peccato nequiter inquinatam, & vitiatam impunitam esse non sinit*.

54. Id etiam confirmatur ex S. Thoma, qui ubicumque agit de voluntate antecedente; docet, eam respicere objectum *absolute*, & sine ullis circumstantiis; adeoque etiam sine peccato originali, quod in statu naturæ lapsæ invenitur. Quod iterum patet ex similitudine, qua ibi S. D. utitur

senius Lib. II. *de gratia Christi* cap. 3n., & Lib. III. cap. 20. contendit, ea fuisse a S. Augustino prolata non ex suo, sed ex Pelagianorum sensu, miraturque illorum inscitiam, qui Pelagianam objectionem pro Augustiniana doctrina inconsiderate acceperunt. Jansenio hac in parte consentiunt Arnaldus in *Apologia pro Sanctis Patribus* p. 66., Juvenin Tom. V. P. VI. disp. cap. 6. art. 1., & non pauci alii. Reipsa quæ immediate præcedunt, eorum errorem aperte redolent, qui non aliter bona nostra opera Deo tribuenda esse dicebant, nisi quia *homo vocante Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter, cum crearetur, accepit*: quod plane Pelagianum est. Mirabile certe videtur, hunc locum, si vere Augustini mentem contineret, nunquam fuisse a S. Thoma animadversum, ut etiam ex Augustino probaret, textum Apostoli, *qui vult omnes* &c. posse ad voluntatem Dei antecedentem referri; constanterque dixisse eum ab Augustino fuisse de voluntate consequenti intellectum. Etiam S. Remigius *de tribus epist.* duplicem distinguens explicationem illorum verborum: *qui vult* &c., primam, quæ illa ad solos electos refert, Augustino tribuit; alteram, quæ eadem ad omnes homines extendit, *aliis quibusdam sanctis, ac venerabilibus Patribus*. Et ex veteribus ne unus quidem Sanct. Augustinum allegavit pro generali voluntate Dei salvandi omnes homines confirmanda. Quid plura? Vasquez, in I. P. S. Thomæ disput. 83., cap. 1., & Petavius Lib. IX. *de Deo* cap. 15. num. 2. ingenue fatentur, laud. locum Apostoli fuisse *semper* ab Augustino de voluntate consequenti intellectum; quorum certe intererat verba *de spir. & litt.* pro voluntate Dei antecedente adhibere, si ea a S. Augustino ex sua mente prolata credidissent. Petavius tamen sibi ipsi non consentiens, Lib. XIII. *de Incarn.* cap. 3. contendit, Augustinum in loco laud. suam mentem omnino expressisse.

(a) Cum hæc Scripturæ loca de generali voluntate Dei explicantur, imperitis occasio facile præbetur in Pelagianum errorem labendi, quasi tota discretio salvandorum non a Deo, qui quantum in se est, omnes salvare vult, sed a nostro arbitrio dependeat. Hinc Scholastici, ut ab hac Pelagiana præsumptione recedant, ad varias recurrunt subtilitates, quæ quamvis in se reprehendi nullo modo possint, haud facile tamen a minus acutis intelliguntur. Sic ex. gr. dicunt aliqui, hanc voluntatem esse duntaxat *signi*, & metaphoricam, non autem *beneplaciti*, & realem. Alii illam esse *beneplaciti*, sed quæ inefficax est defectu conditionis, cui est alligata. Nonnulli hanc voluntatem *beneplaciti* dicunt, non tam respicere hominum salutem, quam *ordinationem*, vel *ordinabilitatem* ad ipsam salutem; unde S. Bonaventura in I. *Sent.* dist. 46. quæst. 1. dicit: *Velle antecedenter salvare non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem*. Ut nihil dicam de capitali illa controversia, quam paulo post expendemus, an conditio, cui voluntas antecedens alligata dicitur, ab homine pendeat, nempe *si ipse velit*, an a Deo solo, si nempe altissimi ejus providentiæ fines id permittant. Quæ omnia nec breviter, nec facile expediri possunt. Contra autem ab omnibus his, aliisque difficultatibus se eximebat S. Augustinus, omnia scripturæ sacræ loca, quæ innuunt, Deum velle omnes homines salvos fieri, de solis electis explicans,

tur judicis, qui omnem hominem *absolute* vult vivere, scilicet ante prævisionem alicujus criminis; postea vero considerans aliquem ut homicidam, vult ipsum suspendi.

35. Resp. ad primum, Deum velle certe non posse salutem peccatoris, prout actu peccator est ejusque inimicus, componendo, ut ita dicam, salutem æternam cum peccato, quod est impossibile; posse tamen etiam in statu naturæ lapsæ eam velle *absolute*, considerata tantum natura hominis ab ipso Deo condita propter beatitudinem; quod ibidem concedit S. Remigius cap. 13. inquiens: *quod autem ibi simpliciter intelligitur, Deum omnes homines velle salvos fieri, bonitate scilicet creatoris, ita ut putamus, fideliter potest recipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem hominum non credatur humana obsistente voluntate implere non posse, sed obsistente humana iniquitate implere nolle*.

36. Eodemque sensu intelligi debet S. Thomas, scilicet abstractione facta non solum a peccato, quo natura humana infecta est, sed etiam ab altissimis divinæ providentiæ finibus, & natura humana in se tantummodo considerata, prout ordinata est, vel ordinabilis ad æternam felicitatem.

37. Obj. tertio. Hæc generalis voluntas Dei salvandi omnes homines conciliari non potest cum gratuita aliquorum electione ad gloriam, quam inferius cum sanctis nostris Doctoribus Augustino, & Thoma strenue propugnabimus; antecedenter enim ad prævisionem omnium meritorum vellet Deus, & non vellet omnes salvari.

38. Resp., reipsa Deum velle, & non velle omnes salvari, sed sub diversa ratione. Spectata sola natura hominum, quæ creata est propter beatitudinem, & seposita quacumque alia consideratione, *æqualiter bonum est*, inquit Angelicus in I. dist. 46. quæst. 1. art. 1., *omnem hominem salvari, quia omnes conveniunt in natura humana;* & sic Deus vult omnes homines salvos fieri; considerata autem manifestatione suorum attributorum, ac spectatis aliis nobis imperviis providentiæ suæ consiliis, non vult nisi aliquos efficaciter a massa damnata liberare, quos propterea gratuito electos vocat vocatione sua efficaci, justificat, & glorificat. Neque in hoc aliqua est divinæ voluntatis pugna; sicuti non repugnat, velle judicem absolvere reum, si per leges liceret, & simul nolle, quia leges id vetant; aut velle mercatorem servare merces, nisi obstaret periculum vitæ, & consequenter nolle propter vitam conservandam.

39. Inst. primo ex ipsis allatis exemplis. Si mercator posset conservare merces, & non conservaret, non censeretur habuisse veram eas salvandi voluntatem; idemque est de judice; sed Deus posset utique omnes homines salvare, si vellet; ergo si eos non salvat, argumentum nobis præbet credendi, eos nolle salvare.

40. Resp., Id utique Deum posse *absolute*, & solum considerata hominum voluntate, quæ ipsius dominio, & potestati plenissime subjecta est; non autem id posse, consideratis aliis divinæ suæ voluntatis finibus, quos perscrutari nobis datum non est; perinde ac si videremus optimum, & justum Regem nolle homines ad supplicium damnatos pro sua bonitate liberare, quod utique posset, non propterea colligendum esset, ipsum nec *antecedenter* velle istorum infelicium salutem, sed potius eam velle quidem *absolute;* attento tamen justitiæ ordine, quem violare non debet, eam efficaciter nolle. Idemque dici debet de mercatore, qui posset quidem merces salvare, sed cum jactura suæ vitæ, vel majoris alicujus boni. Tunc enim ex eo, quod in mare projiceret merces, colligi non posset, eum nullam prorsus habuisse voluntatem eas salvandi. Porro id eo potiori jure dicendum est de Deo, qui provisor est universalissimus, & ex malis, quæ in hoc mundo permittit, & potest, & scit majora bona elicere ad perfectionem universi, suorum attributorum manifestationem, aliosque inscrutabiles suæ providentiæ fines.

41. Inst. secundo. Hujusmodi voluntas antecedens Deo repugnat: primo quia otiosa, & inutilis esset; ut enim docet S. Thomas in I. P. dist. 47. quæst. 1. art. 2., *operatio correspondet voluntati consequenti*. Secundo, quia voluntas conditionata est imperfecta. Tertio, quia Dei beatitudinem turbari oporteret, si quod vult, obtinere non posset; ut mercatori, qui merces salvare non potest, contingit. Quarto, quia nec liquido apparet, quodnam sit hujus voluntatis objectum; neque enim esse potest salus hominum, ut tantum possibilis, cum mere possibilia non sint objectum divinæ voluntatis, sed omnipotentiæ, neque vero ut futura, quoniam reipsa nunquam erit.

42. Resp., hanc voluntatem, ut est duntaxat, & præcise *antecedens*, esse otiosam, non autem ut conjunctam habet voluntatem consequentem, ut enim docet S. Thomas in I. dist. 46. quæst. 1. art. 1., *ipsius effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia, quam gratuita, sicut potentiæ naturales, & præcepta legis, & hujusmodi* (a): seu, ut loquitur S. Bonaventura in I. dist. 46. quæst. 1., *antecedenter connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ ... unde velle antecedenter sal-*

va-

(a) Acute observat P. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. 11. tract. 2. cap. 13., Sanctum Doctorem *non facere mentionem auxiliorum internorum gratiæ, ea numerando inter effectus illius voluntatis, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, quia videbat, quod ex virtute illius voluntatis non sequitur, ut effectus ejus, quod omnes in universum homines recipiant interna auxilia gratiæ*, ut Molinistæ nimis fidenter pronunciant.

vare non connotat salutem, *sed ordinabilitatem ad salutem*. Hinc infertur, voluntatem antecedentem esse quidem inefficacem, quantum ad ipsam salutem, esse tamen suo modo efficacem, quantum ad ordinem ad salutem, prout ex sanctis Doctoribus Angelico, & Seraphico explicatum est, quanquam respectu illius effectus, qui reipsa obtinetur, rectius appellatur *consequens*, quam *antecedens*:

43. Secundæ difficultati respondet S. Thomas in l. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ad 2., *quod voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem ad salutem*.

44. Nulla vero potest in Deo esse turbatio, aut molestia, si illud non fiat, quod *antecedenter* vult, quia voluntas illa non redditur inefficax ex impedimentis ab aliqua alia causa appositis; puta quia homines nolunt, ut aliqui dicunt, sed quia ipse Deus ex inscrutabili judiciorum suorum abysso *consequenter*, *& efficaciter* non vult facere ut homines ipsi velint.

45. Ad quartum. Vult Deus æternam salutem nobis esse possibilem, & propterea nobis dedit naturam ordinatam ad beatitudinem, instituit media tam naturæ, quam gratiæ ad eam promoventia (Vid. sup. num. 42.). Est ergo objectum ipsius voluntatis salus hominum æterna, non ut possibilis sibi, quod ab ejus omnipotentia sola dependet, sed ut possibilis nobis, saltem *absolute*, & considerata generali ordinatione hominum ad eamdem, quod ab ejus omnipotentia sola dependet, sed ut possibilis nobis, saltem *absolute*, & considerata generali ordinatione hominum ad eamdem, quod ab ejus voluntate dependet.

46. Ob. quarto. Saltem intelligi non potest, quomodo Deus velit salutem parvulorum, quibus illa nec possibilis est, eorum nempe, quibus decedentibus in utero materno baptismum conferri non potest, unicum pro ipsis salutis medium.

47. Resp., etiam eorum salutem sine ullis circumstantiis consideratam, esse a Deo volitam, & remedium esse a Christo institutum, etiam illorum peccato delendo sufficientissimum; sed consequenter Deum nolle ipsis hoc remedium applicari, cum aliis multis de causis nobis ignotis, tum etiam ut hinc gravitatem primi peccati cognoscamus.

48. Ob. ult. Si Deus vult omnes homines salvos fieri, quia, ut diximus cum S. Thoma, natura humana creata est propter beatitudinem, pari modo dici poterit velle etiam salutem dæmonum; atqui hoc est plane inauditum, & absurdum: ergo &c.

49. Resp. dici quidem posse, Deum voluisse aliquando salutem dæmonum, quando nempe eos creavit propter beatitudinem, eosque ad ipsam ordinavit: modo autem id dici non posse, cum non amplius sint ad beatitudinem ordinati; quod idem da aliis damnatis asserendum videtur.

50. Colliges ex hactenus dictis, aliquo potiore sensu esse in Deo admittendam voluntatem salvandi eos, qui ad gratiam baptismatis, fidei, & justificationis, Deo sic volente, perveniunt, quamvis in accepta justitia ex propriæ voluntatis perversitate non perseverent; quam eorum perversitatem Deus ex inscrutabili judiciorum suorum abysso nec impedire, nec corrigere efficaciter vult. Harum enim gratiarum largitio quid aliud est, quam signum divinæ voluntatis eos salvandi? Quod etiam Concilium Tridentinum statuit Sess. VI. c. 7. inquiens: *justificationis causa finalis est gloria Dei, ac Christi, ac vita æterna*.

51. Et hæc quidem de generali, & antecedente voluntate Dei salvandi omnes homines. Verumtamen ne quis ex ea occasionem arripiat in oppositam Pelagianam, aut Semipelagianam hæresim, vel opiniones Molinianas supra descriptas n. 10. & seq. delabandi, aliquanto fusius explicandum modo est, quo sensu debeat generalis, & antecedens voluntas in Deo admitti: *Veritas enim ista, quia fundamentalis est in hac materia, probanda est copiosius*, inquit Thomas de Lemos, a cujus doctrina nobis propositum est non recedere. Sit itaque

PROPOSITIO II.

Deus non vult quantum in se est, æqualiter omnes homines salvos fieri, sub hac tantummodo conditione si ipsi velint; ita ut totum discrimen inter salvandos, & non salvandos sit ab hominum voluntate, & non a gratuita Dei misericordia repetendum.

52. Hanc capitalem veritatem sæpius demonstravit S. Augustinus contra Pelagianos, & Semipelagianos invicto illo parvulorum exemplo. Quis enim fingere possit, Deum velle æqualiter omnes parvulos salvari, *si ipsi velint*, *quorum nondum est velle*, *vel nolle?* Hoc exemplo ita S. Pater contra Julianum triumphabat Lib. IV. cap. 8. n. 42.: *Si Deus vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt, cur tot millia parvulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, ubi certa est agnitio veritatis? Numquid aut homines non sunt ... aut aliquis poterit dicere: Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nondum velle, seu nolle ista noverunt?* Hoc autem posito exemplo parvulorum colligebat Sanct. Augustinus, Deum multo minus velle salvos facere omnes peccatores adultos, *si ipsi velint*; alioquin illa intolerabilis consequeretur absurditas, *ut Deum benevolentiorem faciamus omnibus impiissimis, & sceleratissimis hominibus, quam innocentissimis, & purissimis ab omni labe peccati*, scilicet actualis. Et rursus

nus sequeretur, inquit, *ut Deus esse Christianos omnes velit, quorum multi nolunt, non omnes velit, quorum nemo est, qui nolit, quod abhorret a vero*.

53. Haud sum nescius, quid huic Sanct. Augustini argumento nonnulli potentiores reponant, scilicet Deum velle etiam salutem parvulorum, non quidem ea conditione, *si ipsi velint*, sed alia, *nisi obstent cursus, dispositio, & eventus hujus mundi* (*a*).

54. Verum non animadvertunt, non hic agi de voluntate Dei permissiva, cujusmodi est ea, qua Deus impedire non vult hominum perversitatem, ac suarum gratiarum abusum; sed agi de voluntate Dei positiva, qua ordinem naturæ constituit, atque indesinenter conservat, & qua proinde non pure permittit, sed positive vult, saltem indirecte, infelices illos pueros sine ullo gratiæ subsidio mori, & perire. Agi etiam de illa voluntate positiva, qua non attentis cursu, dispositionibus, & eventibus hujus mundi, sed tantummodo inscrutabili suorum judiciorum abysso, voluit, & jussit, omnes primogenitos Ægypti ab Angelo una nocte trucidari, & tot infantes, vel ab uberibus matrum pendentes, vel nondum in lucem editos una cum eorum genitricibus ab Israëlitis occidi. Jam vero quis intelligat, voluisse Deum, *quantum in se est*, & conditionate, conditione se tenente ex parte cursus, vel dispositionis hujus mundi, & non potius conditione, quæ unice se teneat ex parte judiciorum suorum, voluisse, inquam, omnes istos pueros salvari, quos ipse positiva sua voluntate, & contra consuetum naturæ ordinem perire volebat, antequam percipiendæ gratiæ capaces essent?

55. Porro Semipelagiani hoc argumento ad incitas redacti nihil aliud reponere potuerunt, nisi aut illos infantes propriis nescio quibus culpis id fuisse promeritos, quod S. Augustinus nec confutatione dignum reputavit L. 1. *de peccat. meritis, & remiss.* cap. 17., aut, quod non minus absurdum est, eos pœnas dare illorum criminum, quæ in adulta ætate eosdem perpetraturos esse Deus prævidit, si ad eam pervenissent. Vid. S. Prosper in epistol. ad S. August., & S. Augustinus *de prædest. sanct. cap.* 15.

56. Præterea idem S. Doctor hunc eundem Pelagianorum, ac Semipelagianorum errorem, Deum scilicet velle omnium hominum salutem, non omnes tamen salvari, quia ipsi nolunt, hac efficaci ratione profligat in *Enchiridio* cap. 98. *Quis porro tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Si enim*, ut alibi dicit (*de corrept. & grat.* cap. 14.) *velle, seu nolle in volentis, & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*.

57. Hinc illusorium plane videtur dicere, velle Deum omnes homines salvos fieri, *si ipsi velint;* cum aliunde certissimum sit, bonam hominum voluntatem a superna Dei voluntate omnino pendere, *qui operatur in nobis velle & perficere*. Unde iterum S. Augustinus idipsum confirmans ea Psalmi verba affert: *Omnia quæcumque voluit Deus fecit*, & subdit in *Enchiridio* cap. 95.: *quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit; & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit* (*b*).

58. Atque hic obiter observo, non solum voluisse S. Augustinum capitalem Pelagianorum errorem convellere; qui hominum salutem a sola eorum voluntate, omni secluso gratiæ auxilio, pendere dicebant: sed ea occasione voluisse insuper docere, posita necessitate gratiæ ad omne opus bonum, consequenter confitendum esse, nostram salutem a divina voluntate primario suspendi, quia hanc ipsam gratiam, quæ ad bene operandum est necessaria, Deus quibus vult misericorditer largitur, ut per eam salventur, quibus autem non vult, ex justitia denegat, ut maneant in massa perditionis, quod & in parvulis manifestum esse dicebat, & in adultis. *Parvulis*, inquit *de dono persev.* cap. 11. *quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subvenit ... & majoribus etiam his, quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subvenire, non subvenit*. Quibus verbis nihil disertius esse potest, aut efficacius ad evertendum illud recentiorum systema, qui dicunt, Deum velle, quantum in se est, omnes homines salvos fieri, *si ipsi velint;* omnibus proinde larga manu ea auxilia conferre, quæ ita ad salutem sufficiunt, ut nihil aliud ex parte Dei, sed solus voluntati humanæ desideretur consensus ad eamdem consequendam.

59. His inconcussis S. Augustini testimoniis pauca

(*a*) Hac ratione putavit Molina facile posse expediri hoc gravissimum S. Augustini argumentum. *Unde cessat*, inquit in *Concordia* quæst. 19. art. 6. disp. 1., *objectio, quam sæpius Augustinus repetit ... sæpe enim objicit, pueros in uteris maternis interdum perire ante baptismum*. Ubi sine tergiversatione fatetur, S. Augustini doctrinam suæ esse manifeste oppositam, dum ipsius argumentis satisfacere conatur.

(*b*) Ex his patet, quam inconsiderate ex calamo P. Assermet hæc propositio exciderit in Tractat. *de gratia: Dico, Deum esse omnipotentem super corda hominum, non vero respectu salutis humanæ;* quasi quod S. Augustinus dicit *de corrept. & gratia c.* 14. *de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit;* & alia, quæ in hanc rem quam sæpissime repetit, non debeant ad hominum salutem extendi. Vid. Instructio Pastor. D. de Rastignac Archiep. Turonensis ann. 1750. ubi inter alios plures Anonymi cujusdam errores hic etiam condemnatur, *exercitium omnipotentiæ Dei ad consequendam in nobis justitiam, non potest cum usu nostræ libertatis, & bonorum operum meritis conciliari*.

ea addamus ex ejus discipulis. S. Prosper in ep. ad Ruffinum, postquam c. 12. observavit, innumerabilem multitudinem infantium sine regeneratione decedere, ita subdit cap. 13. „ Et ubi est „ illud, quod nobis quasi contrarium a non in„ telligentibus semper opponitur, quod Deus o„ mnes homines velit salvos fieri, & ad agnitio„ nem veritatis venire? Numquid non sunt de o„ mnibus hominibus, qui a præteritis generatio„ nibus usque in hoc tempus sine cognitione Dei „ perierunt? ... Inter salvatos parvulos, & non „ salvatos parvulos, quæ meritorum potuit esse „ discretio? ... Confiteamur, neminem immerito „ perdi, neminem merito liberari, & omnipoten„ tissimam Domini bonitatem omnes salvare, & „ omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos „ vult omnes fieri salvos, & ad agnitionem veri„ tatis venire: nisi enim ipso vocante, docente, „ salvante nemo venit, nemo eruditur, nemo sal„ vatur. " Post autem cap. 15. eos multis Scripturarum testimoniis confutat, qui dicunt, voluntati Dei humanas obsistere voluntates &c.

60. S. autem Fulgentius, cujus eo gravior est auctoritas, quo non suo tantum, sed aliorum etiam Africæ Episcoporum ore loquebatur, postquam multa attulit ad explodendam generalem illam Dei voluntatem salvandi omnes, *si ipsi velint*, ita demum concludit in Libro *de Incarnat. & gratia*, cui Episcopi XV. subscripserunt, c. 31. *ipsi omnes utique salvi fiunt, quos omnes vult salvos fieri; quia hæc salus non illis ex humana voluntate nascitur, sed ex Dei voluntate præstatur*. Ubi semper eadem affertur ratio, scilicet hanc ipsam voluntatem hominum, qua volunt salvi fieri, esse illius divinæ voluntatis effectum, qua Deus eos salvos fieri vult; non autem conditionem, a qua divina voluntas suspendatur.

61. Petrus etiam Diaconus non propriam duntaxat, sed omnium eorum sententiam exponens, qui in *causa fidei* ex Oriente Romam missi fuere, data opera eos copiose refellit, qui textu Apostoli abutebantur ad statuendam generalem voluntatem Dei salvandi omnes homines a conditione humanæ voluntatis pendentem. *Hæc si ita sunt*, inquit, *ut hæretici jactitant, comprehensa sunt ab ipsis inscrutabilia, & incomprehensibilia Dei judicia. Si enim, ut ipsi volunt, nolentes damnat, salvat autem volentes, nihil est omnino, quod quæratur ulterius, & quantum ad ipsos fallit scriptura, quæ incomprehensibilia Dei testatur judicia*. Et multis pergit confutare perversam Paulini textus, *qui vult omnes* &c. intelligentiam, ut scilicet Deus *quantum in se est*, velit omnes salvare, *modo ipsi velint*.

62. Ac denique, ne infinitus sim, S. Remigius, seu potius tota Lugdunensis Ecclesia, cui ille præerat, & cujus nomine loquebatur, in libro *de tribus epistolis* cap. 12. *Quid causæ est*, inquit, *ut Deus, qui omnes homines vult salvos fieri, non omnes homines salvet? voluntatem eorum non expectat, quia voluntatem veræ salutis suæ nemo habere potest, nisi per illum. An quod vult, non potest omnipotens?* Ac concludit, ideo non omnes homines salvari, quia Deus non vult; & cur Deus non vult? *quia*, inquit, *in hac re sicut justum, ita & occultum est judicium ejus*.

63. Omnes isti Sancti Patres in Augustiniana doctrina enutriti communi calculo tanquam Pelagianum commentum explodebant illam generalem Dei voluntatem salvandi omnes, quæ suspensa esset ab ea conditione, *si homines ipsi salvari velint*; quia hæc bona hominum voluntas esse non potest nisi a Deo; & quia absurdum est, divinam voluntatem a voluntate hominum impediri.

64. Ob. primo. S. Scriptura disertissimis verbis asserit, Deum velle, quantum in se est, omnes homines salvos fieri. Et quidem celebratissimus est ille Apostoli locus 1. ad Timoth. II. 4. *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* quem locum sancti Patres bene multi, ut Chrysostomus, Prosper, Damascenus, & S. Thomas de generali voluntate Dei salvandi omnes, & singulos homines, *modo ipsi salvari velint*, interpretantur.

65. Resp., *hunc obscurissimum, & difficillimum locum*, ut eum appellat S. Remigius *de tribus epist.* cap. 11. variis modis a sanctis Patribus explicari, quos omnes complexus est S. Thomas Lect. 1. in hunc loc. inquiens: „ Velle ponitur „ quandoque pro voluntate beneplaciti, quando„ que pro voluntate signi. Pro voluntate signi „ vult salvare omnes, quia omnibus proposuit sa„ lutis præcepta, consilia, & remedia (a). Pro „ voluntate beneplaciti sic exponi potest quatuor „ modis: uno modo, ut sit locutio causalis, sic„ ut Deus dicitur aliquid facere, quia facit alios „ illud facere, sicut Roman. VIII. Spiritus po„ stulat, idest postulare nos facit. Sic ergo Deus „ vult, quia scilicet facit suos sanctos velle, quod „ omnes salvi fiant; hoc velle enim debet esse in „ sanctis, quia nesciunt, qui sint prædestinati, „ & qui non. Alio modo, ut sit distributio ac„ commoda, idest omnes, qui salvabuntur, quia „ nullus salvatur, nisi per voluntatem ejus: sic„ uti in una schola magister docet omnes pueros „ hujus civitatis, quia nullus docetur, nisi ab eo. „ Alio modo ut sit distributio pro generibus sin„ gulorum, non pro singulis generum, idest nul„ lum genus hominum excipitur a salute, quæ o„ lim tantum Judæis, sed modo omnibus præbe-

(a) Observat P. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. II. tract. 2. cap. 15. hanc S. Thomæ explicationem de voluntate *signi* posse sine ullo inconvenienti defendi: *nec enim*, inquit, *ita est necessarium defendere, quod Deus voluntate antecedente velit omnes homines salvos fieri, ut illud non possit explicari respectu omnium hominum de voluntate signi, per præcepta, atque consilia significata*. Sed de hoc aliqua in fine addemus.

„ betur. Et hoc magis facit ad intentionem Apo„ stoli. "

66. *Alio vero modo*, pergit Angelicus, *secundum Damascenum; ut intelligatur de voluntate antecedente, non consequente. In voluntate enim Dei licet non sit prius, & posterius, dicitur tamen voluntas antecedens, & consequens. Item secundum ordinem volitorum, secundum quod voluntas potest dupliciter considerari, scilicet in universali, vel absolute, & secundum aliquas circumstantias & in particulari ... sic in Deo salus omnium hominum secundum se considerata habet rationem, ut sit volibilis; & Apostolus hic ita loquitur; & sic ejus voluntas est antecedens: sed si consideretur bonum justitiæ, & quod peccata puniantur, sic non vult.* Ubi duo sunt observatione digna: primo S. Thomam concedere, posse textum Paulinum una cum Sancto Augustino de voluntate consequenti intelligi, & ad solos electos restringi: secundo posse etiam cum Sanct. Joann. Damasceno ad omnes homines extendi, quod Deus salvare vult voluntate antecedente, & conditionata; sed conditionem non se tenere ex parte hominum, *si nempe ipsi velint;* sed *potissimum, & primario* ex parte Dei, si videlicet bonum justitiæ id permittat. Eamdem doctrinam tradit etiam Angelicus I. Part. quæst. 19. art. 6. & ad 1. & alibi.

67. Inst. S. Paulus videtur omnino excludere S. Augustini interpretationem; innuit enim, eo sensu Deum velle omnes homines salvos fieri, quo antea dixerat, orandum esse pro omnibus: *obsecro fieri orationes pro omnibus:* immo ideo dicit esse pro omnibus orandum, quia *hoc bonum est, & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri:* atqui est orandum pro omnibus omnino hominibus sine ulla exceptione: ergo etiam sine ulla exceptione Deus vult &c. aliter hic verborum S. Pauli exurgeret sensus: *orandum est pro omnibus omnino hominibus, quia Deus vult aliquos eorum salvos fieri:* quo nihil minus cohærens fingi potest.

68. Resp. nobis esse orandum pro omnibus, quia ut S. Augustinus docet Lib. XXI. *de civ. Dei* cap. 24. & *de corrept. & gratia* cap. 15., ignoramus, quinam sint prædestinati, & de singulorum salute bene sperare debemus, cum singuli, quamdiu in hac vita sunt, eam possint obtinere: non autem inde sequitur, etiam Deum, quantum in se est, velle eodem modo omnium, & singulorum salutem. Immo, ut acute observat Estius Comment. in hunc locum, si Deus, quantum in se est, vellet omnium salutem, *si ipsi salvari velint*, ac proinde omnibus auxilia ad eam obtinendam necessaria largiretur, ut nihil amplius ex parte ejusdem Dei obtinendum esset, frustra nos moneret Apostolus, ut oremus, cum nihil amplius a Deo impetrandum restaret. Non itaque eodem sensu sumitur ab Apostolo vox *omnes* in primo versiculo, ac in quarto; nec quidquam est in ejus pericocha minus apte cohærens, si ita intelligatur: *Deus, qui omnes electos vult efficaciter salvos facere, vult etiam ut nos pro omnibus omnino hominibus oremus, quia quinam sint electi, ignoramus, & de nullo prorsus, quamdiu in hac vita est, desperare debemus* (a).

69. Ob. secundo alia S. Scripturæ loca, quibus generalis hæc Dei voluntas salvandi omnes homines, *modo ipsi velint*, luculenter asseritur. S. Petrus 2. ep. III. 9. de Deo inquit: *nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti;* & apud Prophetam Ezechielem XXXIII. 11. *Vivo ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat.* Atque innumera alia id genus inveniuntur, quibus Deus infinitam suam erga homines misericordiam declarat, modo ipsi converti, & salvari velint.

70. Resp. Etiamsi allata testimonia intelligentur de generali, & antecedente voluntate Dei salvandi omnes homines, prout nos quoque ea accepimus supra n. 22. non propterea sequi, eamdem voluntatem suspendi ab ea conditione *si homines salvari velint*, quasi voluntas divina a voluntate humana in hoc negotio dependeat; & hominum bona voluntas sit causa, cur Deus postea efficaciter eos salvare velit; sed contra efficax voluntas Dei salvandi electos causa est, ut ipsi electi salvari velint, & divinæ vocationi obsequantur: & quia Deus non vult salvare nisi volentes salvari, cum aliquos salvare efficaciter vult, facit, ut etiam ipsi velint. Quemadmodum quia reipsa non salvantur, nisi justi perseverantes in justitia usque ad finem, voluntate, qua vult electos salvari, vult etiam eos in justitia perseverare.

71. Quanquam etiam laudata duo testimonia possunt facile de voluntate Dei efficaci, quæ ad solos electos restringitur, recte intelligi. Et quidem primum ex ep. 2. S. Petri ab Estio, aliisque interpretibus litteraliter & ex contextu explicatur de solis prædestinatis, ut sensus sit, *non tardat Dominus promissionem suam*, scilicet adventus sui ad judicandum mundum, *sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos*, nempe electos (quo nomine idem S. Petrus eos vocaverat in prima epistola) *nolens aliquos perire &c.* ut

(a) Quemquem S. Remigius in Libro *de tenenda veritate Scripturæ* c. 12. ea etiam verba, *fieri orationes pro omnibus* intellexit pro generibus singulorum, non pro singulis generum, inquiens: *non dixit Apostolus universaliter, & generaliter, & ut isti addiderunt, sine exceptione: qui vult omnes homines salvos fieri; sed specialiter ad eos retulit, de quibus supra dixerat, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his, qui in sublimitate sunt; ut quod dixit omnes, omne genus hominum intelligi voluerit, omnium scilicet gentium, sexuum, conditionum, ordinum, dignitatum.*

ut intelligamus, diem judicii differri, ut omnes, qui adhuc venire debent electi, simul colligantur, eo ferme sensu, quo Christus Matt. XXIV. 22. dixit, breviandos esse dies magnæ tribulationis propter electos.

72. Hanc interpretationem nobis suppeditat S. Fulgentius, qui Lib. II. *de remiss. peccat.* c. 2. Fausto his verbis S. Petri abutenti ita respondet: *illos hic omnes debemus accipere, quibus sic Deus pœnitentiam hic donat, ut etiam perseverantiam donet*. Consentiunt Vener. Beda, Œcumenius, aliique.

73. Alterum Ezechielis testimonium, ac nonnulla alia similia pariter Estius l. dist. 46. §. 6. exponit, vel de voluntate Dei antecedenti, sensu a nobis explicato; vel de voluntate, quam Deus in iis operatur, quos Deus facit velle conversionem peccatoris, & pro ea orare; vel de voluntate *signi*, quatenus Deus in sacris litteris peccatores ad pœnitentiam invitat, & pro eorum conversione sacramenta, ac remedia instituit, unde etiam quod noster vulgatus habet: *nolo mortem peccatoris* ex hebraico fonte אם אחפץ במות הרשע. Sic vertit P. Car. Houbigaut: *non delector morte impii*.

74. Ob. tertio. Deus ore Isaiæ de Synagoga conquerens, & quasi in judicio suam causam agens: *nunc ergo*, inquit cap. V. 3. & seq. *habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Cui simile est illud Ezechielis XXIV. 13. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata a sordibus tuis*. Matthæi quoque XXIIII. 37. ita Christus Judæos obstinationis redarguit: *Jerusalem, Jerusalem .... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Quod antea etiam dictum fuerat Prov. I. 24. *vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret;* quæ sæpius in sacris litteris repetita inveniuntur, ut ardens, & efficax salutis reproborum obtinendæ voluntas significetur, cui nihil aliud, quam hominum perversitas obsistat.

75. Resp. hæc, & similia Scripturarum oracula esse intelligenda de voluntate *signi*, quæ consistit in præceptis, exhortationibus, miraculis, aliisque gratiis, sive externis, sive etiam internis, quibus Deus omni tempore populum Israeliticum ad pœnitentiam vocavit. Sed male quis inde colligeret, Deum *efficaci* voluntate, *quantum in ipso erat*, voluisse impiorum conversionem, nec impetrare eam potuisse; nam ut recte observabat S. Augustinus hæc eadem ipsa loca perpendens in *Enchiridio* c. 97. & seq. *ubi est illa omnipotentia, quæ in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, si colligere filios Jerusalem voluit, & non fecit? ... Quis tam impie desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?*

76. Unde etiam diligentiores interpretes acute observant, non esse dictum a Deo: quid est, quod potui ultra facere; sed, quid est, quod *debui* ultra facere &c. ut intelligeremus, fecisse utique Deum, quod debebat, & quod sufficiebat pro Judæorum conversione, & salute, non autem totum illud, quod facere poterat, & quod si fecisset, fuissent sine dubio conversi, & salvati; cum Deus habeat humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.

77. Ob. quarto. Sancti Patres generalem Dei voluntatem salvandi omnes homines aperte prædicant, eamque erga omnes æqualem esse, dicunt; ita ut tota ratio, quare illa in multis non impleatur, a sola hominum perversitate sit repetenda. Nam S. Jo. Chrysost. Hom. XLIV. in Joannem sic loquitur: *Paulus ait: qui vult omnes homines salvos fieri; cur igitur non omnes salvi fiunt, si vult omnes salvos esse? Quoniam non omnium voluntas illius voluntatem sequitur*. Et iterum Hom. XVI. in ep. ad Romanos: *Undenam alii vasa iræ, alii vasa misericordiæ sunt? ex libera sua utique voluntate. Nam Deus, cum sit valde bonus, in utriusque partem benignitatem ostendit ... Quod si salutem Pharao non est adeptus, totum id illius voluntati tribuendum est, cum nihil minus, quam ii, qui salvati sunt, ille habuerit*. Et rursus explicans ea verba a Christo filiis Zebedæi dicta Matth. XX. 23. *non est meum dare vobis regnum* &c. inquit Hom. XXXIII. *hoc manifestum, non suum esse tantummodo dare, sed & certantium esse capere. Nam si istud ex se uno penderet, omnes utique salvi essent homines, & ad agnitionem veritatis venirent*. Chrysostomo de more consentiunt Œcumenius & Theophilactus. Immo ipse S. Aug. *de Spiritu & litera* c. 33. *Vult Deus*, inquit, *omnes homines salvos fieri &c. ... non sic tamen, ut ab eis liberum adimat arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur*. Et de Tyriis, ac Sidoniis loquens, qui utique electi non erant, *possent*, inquit in *Enchiridio* c. 95., *salvi esse si vellent*. Ac denique S. Th. in l. dist. 46. q. 1. art. 1. *Consideratis*, inquit, *omnibus circumstantiis personæ, sic non invenitur de omnibus bonum esse, quod salventur; bonum enim est, eum, qui se præparat, & consentit, salvari per largitatem gratiæ divinæ, & resistentem non est bonum salvari, quia injustum est ... Et hæc dicitur voluntas consequens eo quod præsupponit præscientiam operum, non tamquam causam voluntatis, sed quasi rationem voliti* (a).

(a) Solent etiam allegari verba S. Ambr. quæ affert Magister *Sententiarum* in Collect. ad epist. S. Pauli 1. ad Timoth. II. *Si Deus, qui omnipotens est, vult omnes homines salvos fieri, cur non impletur hæc ejus*

78. Resp. dist. Sancti Patres &c. ita ut discrimen sit a voluntate humana, ut a causa tantum proxima, & immediata repetendum, *conc.*; ut a causa totali, & prima, quæ Dei voluntatem reddat vel efficacem, vel inefficacem, *nego*. A nobis enim solum exploditur generalis illa, & æqualis Dei erga omnes voluntas in sensu Pelagiano, & Semipelagiano; necnon etiam in sensu Moliniano, quatenus significatur, voluntatem Dei reddi efficacem a nostro consensu, vel inefficacem a dissensu, ut sic discretio salvandorum ab humana voluntate, tanquam a primo fonte, repetatur. Ceterum recto, sanoque sensu dici potest, saltem de adultis, reprobos ideo non salvari, *quia nolunt*, & electos salvari, *quia volunt*; reipsa enim requiritur liber nostræ voluntatis consensus ad meritum, vel demeritum, unde æterna salus, vel damnatio consequitur. Sed adhuc altior restat indaganda causa, quæ facit, ut electi velint salvi fieri, & ita velint, ut non deficiant: quæ causa utique posset etiam reproborum voluntates, quantumvis malas, in bonum convertere, ut ipsi salvi esse vellent: & ista altior causa non est nisi divina voluntas, a qua *primo*, & *principaliter* repetenda est electorum discretio.

79. Audiatur S. Aug. *de gratia Christi* c. 46. ubi laudans ea S. Ambrosii verba: *Deus, quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit: Oh sensum*, inquit, *hominis Dei ex ipso haustum fonte gratiæ Dei ... videte, si non illud est propheticum: miserebor, cujus misertus ero*, & *misericordiam præstabo, cui misericors fuero; & illud apostolicum; igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Et iterum Lib. I. *Retractat.* c. 10. *Verum est omnino, omnes homines hoc posse, si velint, sed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis ut possint*. Et in epist. 217. alias 107. ad Vitalem c. 6. *Manifestum est*, inquit, *eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omnino, qua locutione sit dictum, quod omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult; quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis*.

80. S. autem Fulgentius Lib. III. *de prædest. & gratia* cap. 14. huic ipsi objectioni respondens, *sicut verum est*, inquit, *de illis, qui ratione utuntur: qui volunt, salvantur; & qui nolunt, non salvantur; ita verum est, eos, qui salvi fiunt, tunc salvari velle, quando divina gratia præveniuntur, ut velint. Immo tunc salvari volunt, quando ipsum velle dono divinæ largitatis accipiunt*.

81. Sexcenta alia hujus generis agglomerare possem ex S. Augustino, ejusque discipulis; sed ut brevior sim, concludo verbis S. Remigii *de tenenda verit. Scripturæ* cap. 12.: *Illud in hac quæstione manifestum est; quod etiamsi generaliter, & indifferenter omnes homines Deus vult salvos fieri, in aliorum tamen cordibus benignitate misericordiæ suæ ipse operatur eamdem bonam voluntatem suam, ut & ipsi salvari velint, atque salventur*.

82. Eodemque sensu explicandum est testimonium S. Augustini ex Libro *de spiritu & littera*; si tamen ibi in sua, & non potius in Pelagianorum sententia locutus est, quod probabilissimum certe videtur, ut supra observavimus (in nota ad num. 31.)

83. Postremum de Tyriis, & Sidoniis eadem explicatione facile expeditur; & fortasse etiam mendum ibidem cubat, ut legi debeat in numero singulari, possent salvi esse, si *vellet*, nempe si ipse Deus vellet eos salvare: quomodo se invenisse dicunt editores Benedictini plane in XXV. Codicibus (vide eorum notam); & quomodo etiam Petrus Lombardus in I. *Sent.* dist. 46. & Guill. Estius in 1. *Sent.* dist. 46. §. 2. legerunt. Quæ lectio eidem S. Augustino mirifice concordat, dicenti Lib. XI. *de Genes. ad litt.* cap. 10. „ posset Deus ipsorum voluntates in bonum convertere, quoniam omnipotens est, posset plane. „ Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluit? „ penes ipsum est; debemus enim non plus sapere, quam oportet sapere. "

84. Nulla vero mihi apparet difficultas in verbis S. Thomæ, si conferantur cum antecedentibus; inquit enim, *si ergo in homine tantum natura ipsius consideretur, æqualiter bonum est, omnem hominem salvari, quia omnes conveniunt in natura humana. Et cum omne bonum sit volitum a Deo; hoc etiam Deus vult, & hæc voluntas vocatur antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult*. Nec obest, quod subdit: *consideratis omnibus circumstantiis personæ* &c. Nam si ulterius de causis harum circumstantiarum inquiratur, scilicet quare Petrus a peccato resipuerit, & perseveraverit in justitia, Judas autem fuerit in sua impietate derelictus? apparebit, i-

voluntas? Sed in hac locutione sensus & conditio latet. Vult ergo Deus omnes salvos fieri, si accedant ad eum ... si & ipsi velint. Hoc testimonio utuatur Molina in *Concordia* q. 19. art. 6. disp. 1., Franc. Suarez Lib. IV. *de Prædest.* cap. 1. n. 5. & Vasquez in I. P. disp. 83. cap. 4. Sed modo omnibus compertum est, hunc librum non esse S. Ambrosii, sed incerti auctoris, ac Pelagiano hia, aliisque erroribus refertum. Idem dicendum de Comment. in epist. Sanct. Pauli sub nomine S. Hieronymi, cujus hæc verba allegantur a Molina, Vasquezio, & Suarez: *Qui omnes homines vult salvos fieri ... si ipsi tamen vocanti Deo consentire voluerint*. Sed fucum ipsis, aliisque fecit falsum Hieronymi nomen; post enim deprehensum fuit, opus illud esse hæresiarchæ Pelagii. En quibus auctoribus adversarii nostri ad suas confirmandas opiniones aliquando utantur.

iterum ad inscrutabilia Dei judicia esse confugiendum, qui in altero suam misericordiam, in altero suam justitiam ostendere voluit; ut proinde voluntas antecedens salvandi omnes homines non pendeat ab hac conditione *si ipsi velint*, sed ab hac alia, si id altissimis, & inscrutabilibus divinis consiliis non repugnet.

85. Quando demum Angelicus ita concludit: *& hæc dicitur voluntas consequens* &c. intelligendus est de voluntate consequenti in ordine *executivo*, qua scilicet vult gloriam æternam, tanquam præmium, & mercedem bonis meritis nostris reddi. Ceterum aliam voluntatem in ordine *intentivo* agnoscit S. Præceptor, quæ non præsupponit præscientiam bonorum operum, sed illorum est causa.

86. Sane idem S. Præceptor quæst. VI. *de verit.* art. 2. cum probasset, præscientiam meritorum non esse causam prædestinationis, ita sibi objicit secundo loco: *prædestinatio includit in se voluntatem divinam salutis humanæ; nec potest dici, quod includat solam voluntatem antecedentem, quia hac voluntate Deus vult omnes homines salvos fieri ... unde omnes essent prædestinati: relinquitur igitur, quod includat voluntatem consequentem. Sed voluntas consequens, ut dicit Damascenus, est ex nostra causa, scilicet inquantum nos habemus diversimode ad merendam salutem, vel damnationem: ergo merita nostra a Deo præscita sunt causa prædestinationis*. En, ni fallor, voluntas antecedens alligata conditioni ex parte nostra, ut fiat consequens, si nos velimus.

87. Huic autem objectioni ita S. Doctor respondet: *prædestinatio includit voluntatem consequentem, quæ respicit aliquo modo id, quod est ex parte nostra, non quidem sicut inclinans divinam voluntatem ad volendum, sed sicut id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat: vel etiam sicut id, quod ad gratiam quodammodo disponit, & gloriam meretur*. Illa ergo conditio *si nos velimus*, seu potius *ut nos velimus* includitur in divina voluntate, non tanquam causa, sed tanquam effectus, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat.

88. Inst. primo. S. Thomas explicans ea verba Apostoli Hebr. XII. 15. *Ne quis desit gratiæ Dei*, inquit Lect. 3. *gratia Dei nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis*. Et Lib. III. cont. Gent. cap. 159. *Deus*, inquit, *quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant; sicuti sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniatur*. Ac demum quæst. XIV. *de verit.* art. 11. ad 1. *Hoc*, inquit, *ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur*.

89. Resp. S. Thomam in primo loco loqui de gratia Dei habituali, quam Deus omnibus paratus est concedere, dummodo removeatur obstaculum peccati; ad quod tamen removendum gratia actualis necessaria est, quam Deus pro sua misericordia aliquibus dat, aliis pro sua justitia denegat; ut proinde semper ad divinam voluntatem, tanquam ad primam, & principalem hujus discriminis causam, confugiendum sit. S. Doctor non indiget alio interprete, quam seipso; statim enim subdit: *hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit ... hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei; quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus*. Quibus verbis perspicue docet, non omnibus a Deo concedi adjutorium gratiæ ad removendum obstaculum peccati, ut Theologi illi putant, qui dicunt, Deum, quantum in se est, efficaciter velle omnium hominum salutem, conditione tamen ab illorum arbitrio unice pendente, *si ipsi velint*.

90. Eodem modo, immo etiam clarius mentem suam S. Doctor aperit Lib. III. *cont. Gent.* ita enim pergit cap. seq. *Quod autem dictum est, in potestate liberi arbitrii esse, ne impedimentum gratiæ præstet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit* (scilicet justis); *si autem per inordinationem præcedentem declinaverit ad malum, non erit omnino in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare*. Quam doctrinam postquam multis rationibus confirmavit, ita subdit cap. 161. „ Licet autem ille, „ qui peccat, impedimentum gratiæ præstet, & „ inquantum rerum ordo exigit, gratiam non de- „ beret accipere, tamen quia Deus præter ordi- „ nem rebus inditum operari potest sicut eum cæ- „ cum illuminat, vel mortuum resuscitat, inter- „ dum ex abundantia bonitatis suæ etiam eos, qui „ impedimentum gratiæ præstant, auxilio suo præ- „ venit, avertens eos a malo, & convertens ad „ bonum; & sicuti non omnes cæcos illuminat, „ nec omnes languidos sanat, ut & in illis, quos „ curat, opus virtutis ejus appareat, & in aliis „ ordo naturæ servetur; ita non omnes qui gra- „ tiam impediunt, auxilio suo prævenit, ut aver- „ tantur a malo, & convertantur ad bonum; sed „ aliquos in quibus vult suam misericordiam ap- „ parere, ita quod in aliis justitiæ ordo manife- „ stetur " &c. Quam gratiæ distributionem, vel denegationem ita Angelicus ex Dei voluntate pendere docet cum Apostolo Paulo, quemadmodum ex voluntate figuli pendet, ut ex eodem luto quædam fiant vasa in honorem, quædam in contumeliam. Unde etiam 1. 2. quæst. 79. art. 3. eadem solis similitudine utens, observat hoc inter solem, & Deum esse discrimen, quod sol non tollit im-

pe-

pedimentum luminis, Deus autem potest impedimentum gratiæ tollere; atque inde concludit, quod *causa subtractionis gratiæ est non solum ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit*.

91. Quæ demum habet in q. laud. *de veritate* clarius explicat 1. 2. q. 109. art. 6. ubi cum sibi objecisset illud ipsum axioma: *si homo facit quod in se est, Deus ei non denegat gratiam*, ex quo axiomate in loco laud. *de verit.* collegerat, *ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet provideat* &c. ita respondet ad 2. *nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur, secundum illud Jo. XV. sine me nihil potestis facere, & ideo cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo* (a).

92. Inst. secundo. S. Jo. Damascenus, a quo primum hæc distinctio duplicis voluntatis antecedentis, & consequentis aperte explicata & in Scholas invecta est, & quem S. Thomas, omnesque fere Scholastici in hac parte sequuntur, voluntatem consequentem pendere docet ex prævisione bonorum, vel malorum operum: ergo voluntas antecedens est ante hanc prævisionem, ut proinde Deus velit omnes æqualiter salvos esse, si tamen ipsi velint, quorum bona opera futura præviderit. Ita enim habet S. Joann. lib. II. *de fide orthod.* cap. 29. *prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum; secunda autem consequens voluntas, & permissio ex nostra causa ortum habens, eaque duplex; altera dispensatione quadam fit, & ad salutem erudit, altera a reprobatione proficiscitur, ad absolutam, ut diximus, pœnam pertinens*. Eademque fere repetit in *Dialogo contra Manichæos* n. 76., ubi quasi concludens inquit: *itaque voluntas antecedens est illud, quod quis a seipso vult; consequens vero id, quod ex eorum, quæ fiunt, causa proficiscitur*.

93. Resp. voluntatem consequentem *justitiæ* dependere a prævisione operum, non autem voluntatem consequentem *misericordiæ*. Duplex est enim distinguenda in Deo voluntas consequens in electorum salute, una autem dumtaxat in damnatione reproborum. Prima voluntas consequens in ordine intentivo, & puræ misericordiæ ea est, a qua sola movetur Deus, ut quosdam velit efficaciter salvos esse, quin aliquod in iis præcederet meritum, cur eligerentur; altera est in ordine executivo, & *justitiæ*, qua eisdem electis vult gloriam æternam dare, tanquam meritorum coronam; & hæc voluntas, ut inquit supra laud. n. 87. S. Thomas, *respicit aliquo modo id, quod est ex parte nostra, non quidem sicut inclinans divinam voluntatem ad volendum, sed sicut id, ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat*. Quamobrem prima voluntas, quæ tota misericordiæ est, non respicit merita in homine, quæ nulla sunt; altera autem, quæ est justitiæ, merita quidem respicit, sed solum ut ejusdem voluntatis effectus; nempe ut inquit S. Augustinus Lib. V. contra Julian. c. 3., *Deus nullum elegit dignum, sed eligendo fecit dignum*. In reprobis autem voluntas consequens una est solius justitiæ, quæ prævisionem demeritorum subsequitur: *potest enim Deus aliquos liberare sine bonis meritis, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est*. Præclara est ejusdem S. Augustini sententia Lib. III. cont. Jul. cap. 18. In hoc sensu intelligendum esse S. Joann. Damascenum, etiam constat ex eo, quod subdit in secundo loco objecto: *ita antecedens Dei voluntas bonitatis ipsius est, consequens vero justitiæ* (b).

94. Et ita explicandi sunt nonnulli alii Patres, præcipue qui populo loquentes libentius de voluntate divinæ justitiæ verba faciebant, qua Deus bona bonis, mala autem malis retribuit; ex ea enim major excitari solet bene operandi fervor: hinc illud pervulgatum: *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum*. A vero tamen longe aberraret, qui hanc, aliasque hujus generis locutiones eo sensu intelligeret, quasi a nobis vel unice, vel saltem primario penderet nostra salus: non autem a Deo, qui

(a) P. Ludov. Soto major Ord. Præd. olim in Conimbricensi Universitate Professor in suis Comment. super epist. ad Timoth., postquam multa attulit ad illustrandum illum Pauli locum: *qui vult &c. arduum, & difficilem*, ita concludit: *Hæc igitur locutio, qua interdum utuntur sancti Patres, ac veteres Theologi, dicentes, Deum, quantum in se est, velle omnes homines salvos fieri, figurata, & hyperbolica est, potius quam propria, & exquisita, nisi de electis, & prædestinatis intelligatur, quos proprie & efficaciter, ut diximus, salvos fieri vult*. Estius etiam in *Comment.* ad cap. II. epistol. 1. ad Timoth. *Notandum est*, inquit, *quod voluntatem antecedentem exprimunt interdum Doctores per illam phrasim, quantum in se est, ut B. Thomas Lib. III. cont. Gent. cap. 159. dicit enim, quod Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, quia vult omnes homines salvos fieri ... Significat ergo, quod si peccatum non intervenisset, omnes habuissent gratiam, & pervenissent ad salutem. Verum quoniam illud, quod dicitur, Deum, quantum in se est, velle omnes homines salvos fieri, & paratum esse ad dandam omnibus gratiam, vulgo accipi solet in eum sensum, quem supra rejecimus, (nempe modo ipsi velint) idcirco idem S. Doct. in Summa, ubi exactius loqui solet, abstinuit ab ea phrasi, nolens cuiquam occasionem errandi præbere*.

(b) Calebria Joan. Polmanus in suo *Breviario theol.* num. 242. *Ad mentem*, inquit, *Sanct. Chrysostomi, & Damasceni voluntas antecedens est ea, qua Deus vult aliquid ex mera bonitate sua, uti salvare: voluntas consequens est ea, qua Deus vult aliquid alienum a bonitate sua, uti damnare*. Unde patet, voluntatem antecedentem non fuisse a Sancto Joanne Damasceno eo sensu usurpatam, quo hic a nobis sumitur.

qui dat gratiam, & gloriam, velle, & operari, incipere, & perficere.

95. Obj. quinto. S. Prosper hanc nostram sententiam, ut nimis duram condemnat in *sent. de sing. capit. Gallorum* num. 8. inquiens: *qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire*.

96. Resp. hanc sententiam fuisse a S. Prospero, ut duriorem rejectam in sensu prædestinatiano, quem Semipelagiani S. Augustini discipulis ad invidiam ipsis conflandam affingebant; quasi Deus gratuita voluntate vellet reproborum interitum, quemadmodum gratuita bonitate vult electorum salutem; & quo *Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint*. Non autem in nostro sensu, quem ipsius Magister Augustinus tam sæpe, & tam perspicue tradiderat. Immo ipse S. Prosper eodem ipsissimo loco efficacem illam voluntatem, qua Deus solos electos salvare vult, his verbis declarat, quæ immediate subdit: *& voluntatis suæ propositum in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestinatos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit ... ut & qui salvantur, ideo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri, & qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt*. Vide supra num. 59.

97. Neque vero hic nos conturbare debent illorum querelæ, qui hanc nostram sententiam, ut divinæ bonitati injuriosam sugillant, quasi illam spem tollat, quam in generali Dei voluntate homines de sua salute reponunt. Vanæ enim sunt hujusmodi querelæ, & nisi velimus imperitos æquivocis verbis decipere, fatendum est, antecedentem Dei voluntatem neque objectum esse, nec fundamentum, nec motivum spei nostræ, sed totam nostram fiduciam ad voluntatem Dei consequentem unice referri, a qua nostra salus vere dependet. Quæ enim, amabo, erit fiducia nostra in ea generali voluntate, quæ electos juxta, ac reprobos æqualiter respicit, & per quam solam nemo unus adhuc salutem est consecutus, aut aliquando consequetur?

98. Sed in hoc subtiliter fallimur, quod posita generali voluntate Dei salvandi omnes homines, si ipsi velint, positisque auxiliis sufficientibus, quæ omnibus præsto esse ex ea voluntate Dei arbitramur, certo confidimus, nos volituros, ac divinis auxiliis nostra libertate bene usuros; itaque salutem æternam nostro arbitrio consecuturos; ut proinde re bene considerata similes simus iis, de quibus S. Hilarius in epist. ad S. Augustinum n. 4. dicit: *nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt*. Vere igitur spes nostra non generali Dei, sed peculiari nostræ voluntati innititur, a qua tanquam a conditione Dei voluntatem pendere existimamus, quasi nos soli nostræ salutis arbitri simus, non Deus. *Sed maledictus omnis, sicut divina testantur eloquia, qui spem ponit in homine; ac per hoc & in seipso qui spem ponit, hujus maledicti vinculo innectitur. Ideo nonnisi a Domino Deo petere debemus, quidquid speramus, nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos*. S. Augustinus in *Enchiridio* cap. 114.

99. Ob. ultimo. Salus æterna dependet etiam a nostro arbitrio: ergo Deus eam velle non potest, nisi sub ea conditione, *si nos etiam velimus*.

100. Resp., verum esse antecedens, si concedatur, etiam nostrum liberum arbitrium esse in potestate Dei, ipsiusque inclinationem ad bonum, & divinæ gratiæ consensionem esse ejusdem divinæ gratiæ effectum, ut proinde Deus, quos vult salvos facere, faciet etiam velle salvos fieri. *Cogitare debes*, inquit S. Augustinus *de spirit. & littera* c. 2. *quamvis ad hominem id agere pertineat, hoc quoque munus esse divinum, atque ideo non dubitare opus esse divinum. Deus est enim, qui operatur in nobis, ait Apostolus, & velle, & operari pro bona voluntate* (a).

101. Quæres, an voluntas antecedens salutis omnium hominum sit voluntas *beneplaciti* & propria; an voluntas *signi* dumtaxat, & metaphorica?

102. Respond. Sanct. Thomas eam esse voluntatem *beneplaciti* aperte testatur in quæst. 23. *de verit.* art. 3. dicens: *voluntas de Deo proprie dicitur, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & consequentem dividitur*. Idem repetit in I. distinct. 47. quæst. 1. art. 2., aliisque in locis. Quamquam in Lect. I. in cap. II. e-

(a) Præclara sunt etiam quæ S. Pater habet *de corrept. & grat.* 8. ubi ait: *An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est si eam usque in finem perseverare noluisset? quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo Christus rogasset, ut vellet? Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, qua fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Et Lib. II. operis imperf. c. 154. loquens de promissione facta Abrahæ, scilicet in semine ejus benedicendas omnes gentes, *Dicite nobis*, inquit, *o vani non defensores, sed inflatores liberi arbitrii, qui ignorantes Dei justitiam, & vestram justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non estis subjecti: dicite, inquam, nobis, si noluissent gentes credere, justeque vivere, evacuaretur promissio, quæ facta est ad Abraham? Non, inques. Ergo ut Abraham ob stipendium fidei consequeretur dilatationem seminis, præparata est gentium voluntas a Domino; & ut vellent, quod & nolle potuissent, ab illo factum est, qui ea, quæ promisit, potens est & facere*. De hac materia legatur P. Thom. de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tom. II. tract. 2. c. 10. & seq.

epistol. ad Timoth. aperte dicit, ea Apostoli verba: *qui vult omnes homines* &c. posse etiam de voluntate *signi* exponi. Vid. supr. num. 65.

103. Porro si voluntas antecedens est voluntas *beneplaciti*, debet etiam in Deo vere & proprie esse, non metaphorice. *In Deo*, inquit Angelicus I. Part. quæst. 19. art. 11., *distinguitur voluntas, proprie, & metaphorice dicta; voluntas enim proprie dicta vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphorice dicta est voluntas signi*.

104. Sed aliis non paucis Theologis visum est, voluntatem antecedentem non esse nisi voluntatem *signi*, nec in Deo esse nisi *metaphorice*, & eminenter. Molina in *Concordia* quæst. 19. artic. 6. disp. 1., aliique putarunt, hanc sententiam placuisse etiam Sancto Thomæ fortasse propter opusculum *de præscientia*, *& prædestinatione*, quod olim ipsi, sed falso adscribebatur (*a*); in eo enim opusc. cap. 6. hæc habentur: „ Deus dicitur velle aliquid dupliciter; uno modo proprie ... & hæc dicitur voluntas beneplaciti, quæ semper in omnibus infallibiliter impletur ... Alio modo dicitur velle aliquid metaphorice ... & hæc dicitur voluntas signi, quæ non semper impletur, de qua dicit Apostolus 1. Timoth. II.: qui vult omnes homines salvos fieri. " Cum tamen hoc opusculum sit veteris alicujus, gravisque Theologi, apparet, hanc sententiam suos olim habuisse patronos.

105. Nec illi desunt celebres etiam Thomistæ, qui saltem eam probabiliorem esse putarunt. Sane Guill. Estius in Lib. I. dist. 46. §. 3. hæc habet: „ Longe probabilius sentiunt, qui negant in Deo formaliter, & proprie esse voluntatem antecedentem ... atque sufficere dicunt, hujusmodi voluntatem eminenter, sive per tropum in Deo constitui, quomodo sunt in Deo ira, pœnitentia, misericordia, & quæcumque bonæ affectiones; quæ ita in hominibus sunt, ut imperfectionem aliqnam includant: veluti mutationem, passionem, defectum, propter quas imperfectiones necesse est, vel per eminentiam causalitatis, vel quocumque alio tropo sermonis Deo tribuantur. Constat autem, Deum in priorum cordibus operari hunc affectum, ut omnes velint salvos fieri: est igitur hujusmodi affectus in Deo eminenter.

106. „ Quod autem, *pergit Estius*, imperfectionem illa voluntas includat, ideoque formaliter in Deo esse non possit, primum arguit nomen velleitatis; hoc enim nomine S. Thomas voluntatem hanc potius appellandam censet; velleitas autem non aliud esse videtur, quam imperfecta quædam, & suspensa voluntas. Deinde quia voluntas hæc significat desiderium alicujus rei inefficax, quale non potest esse in Deo. Tertio, quia otiosa esset hujusmodi in Deo voluntas, & proinde frustra, quia nullum in rebus haberet effectum propriæ sibi respondentem. Quarto, quia si formaliter illa voluntas sit in Deo, erit perpetua ac proinde Deus semper volet omnium hominum salutem, quod videtur absurdum; cum nec pii quidem homines post hanc vitam hoc sint volituri. Unde & postremum oritur argumentum, quia Sancti Angeli, & Justorum spiritus in cœlo non habent hujusmodi voluntatem, propter status sui perfectionem; quia etiam fit, ut nec orent pro reprobis, nec ulla super damnatis commiseratione moveantur, sed pure, & perfecte in eorum punitione laudent Dei justitiam, ut in fine IV. Libri sentent. docetur; multo minus ergo in Deo debet poni formaliter hujusmodi voluntas. " Hæc fusius notare placuit, ut præcipua saltem hujus opinionis fundamenta non laterent.

107. Ceterum eidem subscribunt etiam alii ex Thomistis, ut Cajetanus in Comment. ad cap. II. epist. 1. ad Timoth., inquiens: *vult omnes &c. non est hic, speculative Theologe, sermo de voluntate beneplaciti ... sed est sermo de voluntate signi*. Navarettus in I. P. Sanct. Thomæ quæst. 19. controv. 8. ad art. 6. *Communior*, inquit, *atque verior resolutio est, illam voluntatem* (antecedentem) *non esse formaliter in Deo, sed eminenter*. Videri etiam possunt Th. de Lemos supra laud. in nota ad num. 65., Bannez. in I. Part. S. Thomæ quæst. 19. art. 6., Sylvius ad eumdem locum Sanct. Thomæ, Polmanus in *Breviario theol.* Part. I. num. 249., Trigosius ex Capuccinorum familia in suis Commentariis ad opera S. Bonaventuræ, quos sub auspiciis, & cum privilegio Clementis VIII. R. P. in Vaticana typographia edi curavit, quæst. 14. art. 1. dub. 2. & celebris auctor *de l' action de Dieu sur les creat.* sect. 7. P. I. cap. 13. §. 3.

108. Verumtamen ut omnis errandi tollatur occasio, distinguenda est ea voluntas, qua Deus vult antecedenter omnium hominum salutem, ab ea, qua vult media ad salutem obtinendam, sive ordinis mere naturalis, sive etiam supernaturalis; hæc enim secunda est in Deo reipsa, & *formaliter*; & solum de prima disputatur, utrum *formaliter* sit in Deo, an *eminenter* tantum. Audiatur P. Xantes Mariales Venetus, ex patricia Pinardorum familia, qui in sua *Biblioth. interpretum Sanct. Thomæ* Tom. III. *de volunt. Dei* art. 6. controv. 15. cap. 3. *Voluntas antecedens*, inquit, *potest vocari voluntas metaphorica, seu signi, & non voluntas propria, & formaliter ... Per ordinem autem ad media collata est realis voluntas, & non metaphorica, quia revera vult*, a-

(*a*) Vid. Echard. *de Scriptor. Ord. FF. Prædic.* in S. Thoma, & P. Bernard. de Rubeis Dissert. XX. *de gestis, scriptis, ac doctrina S. Thomæ*, cap. 5.

actualiterque confert media, quibus possimus ad salutem pervenire.

109. Quia vero Angelicus non semel repetit, voluntatem antecedentem esse voluntatem *beneplaciti*, *quæ de Deo proprie dicitur*, qui eamdem voluntatem antecedentem non *formaliter*, sed *eminenter* tantum, & *metaphorice* esse volunt, verba S. Doctoris ita explicant, ut solum docuerit, eam *proprie* de Deo dici, idest non *fictitie*, sed cum *fundamento*. Vel etiam quod Angelicus locutus sit de voluntate antecedente, prout consequentem adjunctam habet, quæ media respicit. Ceterum, inquiunt, Angelicum nunquam putasse, voluntatem antecedentem, & inefficacem proprie, & reipsa in Deo esse, vel ex iis solis apparet, quæ habet in I. Part. quæst. 19. art. 6. ad 1., ubi postquam distinctionem illius duplicis voluntatis ex Damasceno attulisset, *quæ quidem distinctio*, concludit, *non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius, aut posterius, sed ex parte volitorum*. Et hæc satis sint; neque enim tanti momenti esse videntur, ut operæ pretium sit in iis diutius immorari.

CAPUT III.

De Christi morte pro hominum salute.

110. Ista quæstio ita cum præcedente conjuncta est, ut non facile ab ea seperari queat (*a*): quamobrem peropportunus hic videtur ejusdem pertractandæ locus; præcipue quia contra eosdem fere adversarios pugnare debebimus. Pelagiani siquidem in Christo æqualem omnino fuisse voluntatem salvandi omnes homines, eumque propterea pro omnibus omnino hominibus pretiosum sanguinem suum fudisse, atque æterno Patri obtulisse, ideo contendebant, ut inde colligerent, non e speciali Dei benevolentia, & gratia, sed tantummodo ab hominum arbitrio esse repetendum, cur isti potius, quam alii salventur. Neque ab hoc errore omnino declinabant Semipelagiani eadem fere ratione de Christi Passione, ac de Dei voluntate loquentes (vid. sup. num. 10. seq.) (*b*).

111. Molinistæ cohærenter ad ea, quæ de voluntate Dei salvandi omnes homines ex eorum sententia sup. n. 16. exposuimus, passim docent, Christum eo sensu pro omnibus hominibus sine ulla exceptione infinitum sanguinis sui pretium Petri obtulisse, *ut quantum in ipso est*, omnes omnino salvere velit. Hæc autem verba, *quantum in ipso est*, ita explicant, ut virtute passionis Dominicæ omnibus præsto sint auxilia sufficientia ad salutem: auxilia vero sufficientia ad mentem Molinistarum ea vocantur, quæ ita ad salutem sufficiunt, ut nihil ex parte Dei amplius desideretur, solusque desit voluntatis humanæ consensus. Quod si verum est, illud consequi manifeste videtur, non jam ab absoluta, atque efficaci Christi Domini voluntate, sed potius a nostro arbitrio discretionem electorum pendere, nostramque salutem esse a nobis, & non a Deo sperandam (*c*).

112. Prædestinatiani in oppositum vitium declinantes, contendebant, dici nullatenus posse, *pro* to-

(*a*) Quidam tamen aliter de humana Christi voluntate, ac de voluntate Dei disserendum esse censuerunt. Nam Estius in Lib. I. *Sentent.* dist. 46. §. 3. postquam dixit, sibi probabilius videri, in Deo non esse *formaliter* voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, sed solum *eminenter*, sive per tropum, quomodo sunt in Deo ira, pœnitentia, misericordia, & quæcumque bonæ affectiones, sibi objicit, Christum proprie talem habuisse voluntatem salvandi omnes; respondet autem, *dico, quod in Christo fuerit hujusmodi velleitas, non esse consequens, quod sit in Deo, ut Deus est; Christus enim cum veritate humanæ naturæ suscepit humanas affectiones*.

(*b*) Pelagius in Comment. in epist. Sancti Pauli, qui olim S. Hieronymi fœtus putabatur, ea Apostoli verba 1. ad Timoth. II. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, ita explicat: *Ille se pro omnibus dedit, si omnes redimi vellent*. S. autem Prosper in epist. ad S. August. ita Semipelagianorum errorem in hac materie exponit n. 3.: *Universis hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem, & ad baptismum accedere voluerint, salvi esse possint*. Et n. 6.: *itaque, quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam; quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint* &c. Omnes eadem oberrabant chorda, ut initium salutis ab homine repeterent, non a Deo Salvatore nostro, quem erga omnes æqualiter, & indifferenter se habere, comminiscebantur.

(*c*) Audiatur nomine aliorum Dion. Petavius, qui Lib. X. *de prædestin.* cap. 5. n. 4. ex communi, ut ipse quidem arbitratur, sententia Patrum, præsertim Augustino superiorum (nam Augustinum sibi contrarium esse hic aperte fatetur, alibi autem eumdem volentem ad sua castra pertrahere conatur) illud statuit, *pro omnibus passum esse Christum, hoc est ejus ad universos merita pertinuisse; non eodem tamen modo. Quod enim ad eos attinet, qui ante illum mortui, damnatique sunt, eo spectavit ejus mors, & passio, ut illic, cum viverent, gratiæ necessaria præsidia istius futuræ merito concessa fuerint, quibus salutem, si vellent, adipisci potuissent ... De aliis autem, qui postea vixerunt, reprobis, consentaneum est, pro illis & esse passum, & orasse Christum, ut quantum in ipso erat, compotes fierent salutis æternæ*. Quid porro per gratiam sufficientem intelligatur, declarat idem Petavius eodem Libro cap. 16. n. 3., *quæ scilicet ex se idonea est ad opus perficiendum, nec ut agat reipsa id, cujus causa datur, requirit aliud, quam voluntarium, liberumque consensum*; seu, ut illi exponunt, gratia sufficiens ita complet potentiam, ut ad ipsum opus nihil aliud ex parte Dei requiratur. Confer, quæ superius diximus in nota ad num. 27. Multo autem apertius locutus est Lud. Molina in *Concordia* disp. 10. quæst. 14. art. 33. contendens, Christum sua morte promeruisse omnibus omnino hominibus talia gratiæ auxilia, *ut semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra* &c.

totius mundi redemptione Salvatorem esse crucifixum: unde etiam colligebant, *quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non aufferat percepta gratia originale peccatum, & quod non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum regenerati, & pie, justeque vixerint, nihil eis prosit &c.* Quæ absurdæ blasphemiæ olim a Semipelagianis objiciebantur, tanquam legitimæ Augustinianorum de divina gratia dogmatum consequentiæ, post autem fuerunt a Prædestinatianis infeliciter adoptatæ. Vid. S. Prosper in *Respons. ad capitula objectionum Gallorum calumniantium.*

113. Nos tutissimis Sanct. Augustini, & Thomæ principiis insistentes, primo contra Pelagianos, & Semipelagianos ostendemus, Christum Dominum pro solis electis salvificæ suæ passionis pretium Patri *efficaciter* obtulisse, non vero indifferenter pro omnibus, quasi tota discretio ab iis pendeat, qui salvantur, non vero a Christo Domino, qui pro sua misericordia eos salvos facere omnino voluit. Qua quidem in disputatione nobis haud raro continget, etiam Molinistarum sententiam oppugnare; non quod Theologi privati fines prætergredientes aliquam audeamus ei notam inurere; sed quia censemus, *per theologicas consecutiones* eamdem ab iis erroribus, quos cum tota Ecclesia ipsi se damnare profitentur, nos satis abhorrere (*a*).

114. His autem erroribus explosis contra horrendas Prædestinatianorum blasphemias demonstrabimus, multiplici sensu vere dici posse, & debere, Christum pro omnibus hominibus passum, & mortuum esse; & potiori quodam jure pro iis, qui ad gratiam baptismi, & fidei perveniunt, quamvis in accepta justitia non perseverent usque ad finem.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus pro solis electis infinitum mortis suæ pretium æterno Patri obtulit ex efficaci absolutaque voluntate eos salvandi.

115. Prob. primo disertissimis sacr. litter. testimoniis, quibus dicitur Christus duntaxat pro electis mortuus, ea proculdubio ratione, quia nonnisi eos absolute, & efficaciter salvare voluit. Joann. III. 14. ait Christus de seipso: *exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et cap. X. 15. *animam meam pono pro ovibus meis.* Item Matth. I. 21. ait Angelus ad Joseph: *vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum* (idest electos) *a peccatis eorum.* Etiam S. Paulus Ephes. V. 25. *Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata.* At nimis longus essem, si omnia huc spectantia afferre vellem.

116. Porro hæc, & cetera iis similia Scripturarum testimonia intelligenda esse in sensu *exclusivo*, ut Scholastici ajunt, S. Augustinus, aliique tum ante, tum post ipsum Patres bene multi luculenter tradunt. Sanct. Irenæus Lib. II. *adv. hær.* cap. 39. *Omnes*, inquit, *venit salvare, omnes, inquam, qui per ipsum renascuntur in Deum.* S. Ambrosius in Psalm. I. num. 24. *Puer*, inquit, *natus est nobis; nobis, qui credimus, non Judæis, qui non crediderunt; nobis, non hæreticis;* & S. Hieronymus in cap. XX. Matth. observat, Christum non dixisse *animam suam dare redemptionem pro omnibus, sed pro multis; idest pro iis, qui credere voluerunt.* Quæ S. Patrum verba non de fide quacumque, sed de ea intelligi debent, quæ cum bonis operibus conjuncta nos ad salutem perducit, juxta illud: *qui crediderit ... salvus erit.* Quod clarius exponit S. Augustinus multis in locis. *Quando perit*, inquit in Serm. de S. Vincentio mart., *qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo, & Christus perdet, quod emit sanguine suo?* Et Tract. CXI. in Joann. explicans illa Christi verba: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum*, inquit: *ostendit ... eos sibi esse datos, quibus omnibus det vitam æternam: proinde non ei dati sunt, quibus vitam non dabit æternam.*

117. Immo S. Doctor ad solos electos, vel fideles sæpe contrahit alia Scripturæ Sacræ loca, quæ Christum generaliter pro omnibus hominibus mortuum fuisse, indicare videntur. Ut cum Tract. 87. in Joann. ostendit, mundi nomine, pro quo Christus dicitur passus, non intelligi, nisi Ecclesiam. *Sicuti est illud*, inquit, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; itemque illud; non venit filius hominis, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum; & in episto-*

(*a*) Theologi Lovanienses in sua celebri Censura an. 1586. damnarunt inter alias hanc assertionem num. 7. *Deus voluit dare Christum in redemptionem pro omnibus, nullo excepto: ergo omnibus præparavit sufficientia media per Christum. Prob. consequens; quia catenus est Christus omnibus Redemptor, quatenus per ipsum dantur omnibus auxilia sufficientia, quibus resurgant a peccatis. Si enim non darentur sufficientia, verus non esset eorum Redemptor, quia neque quoad sufficientiam, neque quoad efficaciam.* Talis autem est laudat. Theologorum censura. *Non dissimilis erat olim Massiliensium ratiocinatio; sed cui sic respondendum: Christus Redemptor est omnium, quoad pretii sufficientiam, quia merito Sanguinis ejus omnes a peccatis liberari possent, si crederent: non est autem redemptor omnium secundum efficaciam, quia non omnibus per eum datur, ut credant. Ut enim infidelis credat, præter prædicationis beneficium necessarium est gratiæ specialis donum, quo fiat, ut prædicationi consentiat.*

stola sua Joannes ait: *Advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum, & ipse propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed etiam totius mundi: totus ergo mundus est Ecclesia ... Iste mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, & qui per Christum salvatur.* Hæc postrema verba ostendunt, S. Doctorem non loqui de Ecclesia, prout etiam reprobos comprehendit; sed de Ecclesia prædestinatorum, *qui per Christum salvantur*.

118. Non dissimiliter intelligi vult locum illum S. Pauli Roman. VIII. *qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, inquiens in Tract. XLV. in Jo. *quibus nobis? præscitis, prædestinatis, justificatis* &c. Quod alibi repetit (in Serm. VI. *de Verbis Apostoli* c. 8.) dicens: *misit Deus filium suum propter præscitos, & prædestinatos, vocandos, justificandos, glorificandos*. Et universim S. Doctor gratuitam electorum prædestinationem strenue propugnans, consequenter asserebat, Christum efficaciter pro illorum salute orasse, & passum fuisse, non autem ut salvaret reprobos (a).

119. Augustinum de more secuti sunt Prosper, Fulgentius, aliique ejus discipuli, quorum primus canebat in carmine *de Ingratis* P. II. cap. 15.

Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemtum,
Haud dubie impletur quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur.

Unde infert, Christum non omnes efficaciter redemisse, ut reipsa salvarentur. Et ad primam object. Vincent. *Redemptionis proprietas*, inquit, *haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi hujus missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Quod rursus confirmat in resp. ad c. IX. Gallorum inquiens: *Cum rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.*

120. S. autem Fulgentius, postquam ut superius n. 60. vidimus, errorem illorum, qui Deum velle omnes homines salvare dicebant, *si ipsi vellent*, copiose refutavit, loquens de Christi voluntate, *Sicut Pater*, inquit *de Incarnat. & gratia* cap. 31., *suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat; eosdem autem vivificare vult, quos vult salvos fieri: sic ergo, quos vult, salvat, quemadmodum quos vult, vivificat.*

121. Et S. Bernardus Augustinianæ doctrinæ studiosissimus Hom. III. super *Missus est* in fine, *non possunt perire*, ajebat, *pro quibus Filius rogat, ne pereant; pro quibus Pater tradidit Filium in mortem.*

122. Præterea Sæc. IX. in celebri illa, quæ tunc exorta est, propter Monachum Gotteschalcum controversia, S. Remigius, seu potius tota Ecclesia Lugdunensis, cui ille præerat, & cujus nomine loquebatur, in libro *de tenenda veritate Scripturæ* cap. 14. ita fidenter pronunciabat: *Certissime, & clarissime ostenditur, pro omnibus fidelibus Christi, qui fuerunt, aut sunt, vel erunt, factam esse passionem Christi ... De ceteris vero qui in ipsa facultate atque impietate sua perseverantes sunt, perituri, si de scripturæ sanctæ auctoritate, quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis, & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint boni viri, qui talia definiverunt, dignum omnino est, ut credamus & nos. Si vero non potuerunt, cessent contendere pro eo, quod non legunt: pudeat eos definire, quod nesciunt: timeant statuere, quod nullum Sanctorum Patrum Concilium, nullum Apostolicæ sedis Pontificem, nullum ecclesiasticorum dogmatum decretum hactenus inveniant statuisse.*

123. Atque in eadem causa Gotteschalchi Concilium Valentinum postquam cap. 4. eorum damnavit errorem, qui sanguinem Christi „ etiam „ pro illis impiis, qui a mundi exordio usque ad „ passionem Domini in sua impietate mortui æ„ terna damnatione puniti sunt, effusum definie„ bant, *ita pergit*: illud nobis simpliciter, & fi„ deliter tenendum, ac docendum placet, juxta „ evangelicam, & apostolicam veritatem, quod „ pro illis hoc datum pretium teneamus, de qui„ bus ipse Dominus noster dicit: sicut Moyses e„ xaltavit serpentem in deserto, ita exaltari opor„ tet filium hominis, ut omnis qui credit in i„ psum, non pereat, sed habeat vitam æternam. “ Sed de hoc Concilio inferius redibit sermo num. 166. & 188.

124. Ab his, aliisque Augustini discipulis non est sejungendus S. Thomas, qui 3. P. quæst. 21. art. 3. cum ostendisset, omnem Christi orationem absolutam fuisse exauditam; sibi autem objecisset num. 2. orasse Christum pro suis crucifixoribus, & pro iis, qui erant crediturí per verbum Apo-

(a) Dion. Petavius hoc ingenue confessus est Lib. X. *de prædest.* cap. 5. n. 3. dicens: *Si quis Augustini sententiam illam amplecti voluerit, qui prædestinationem sine ullo ad merita respectu, tanquam ad causam fieri censet, reprobationem autem ex solo originali delicto, consequens videtur, ut neque reproborum salvandorum voluntatem ullam habuisse Deum asserat, neque pro eorum salute vel esse passum, vel orasse: qui enim poterat, cum absoluto decreto damnare illos statuisset?* Hæc oblitus fuisse videtur, quando Lib. XIII. *de Incarnat.* c. 2. & seq. probare nisus est ex S. Augustino Christum, *quantum in se est*, pro omnibus hominibus sine ulla prorsus exceptione pretium Sanguinis sui Patri obtulisse.

stolorum in eum, quia tamen ejus oratio fuerit exaudita, respondet: „ Dominus non oravit pro „ omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omni„ bus, qui erant credituri in eum; sed pro his „ solum, qui erant prædestinati, ut per ipsum „ vitam consequerentur æternam. “ Et sexcentis in locis Angelicus constanter repetit, Christum pro solis prædestinatis mortuum esse *efficaciter*, pro ceteris autem hominibus *sufficienter*; quod ex infra dicendis apparebit uberius.

125. Prob. ulterius nostra propositio eo invicto argumento, quo S. Augustinus contra Pelagianos, ac Semipelagianos sæpius est usus, ex parvulis illis desumto, qui sine baptismo morientes ab æterna salute infeliciter excidunt, non certe *quia ipsi nolint*, cum nondum per ætatem ipsis velle, aut nolle liceat; sed quia Deus non vult, ut ipsis infinitus passionis Christi applicetur fructus. Quod cum in omnibus sine dubio verum sit, manifestius tamen in iis apparet, qui antequam nascantur, sine ulla parentum culpa, solo Deo volente, moriuntur; tum in iis, quos in Ægypto Dei jussu Angelus exterminator una nocte percussit Exodi XII.; atque in iis demum, quos in uteris maternis adhuc existentes Israelitæ Deo jubente sæpius occiderunt.

126. Ubi S. Augustinus, cujus ingenii acumen nihil prorsus fugiebat, Lib. V. *contra Julianum* cap. 14. observavit, hoc esse multo mirabilius, quod „ aliquando Deus adoptat in filium, quem „ format in utero immundissimæ fœminæ; & a„ liquando non vult esse suum filium, quem for„ mat in utero suæ filiæ. Ille quippe ad bapti„ smum nescio qua provisione pervenit; iste re„ pemina morte non pervenit: atque ita Deus, „ in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Chri„ sti consortio, quem formavit in diaboli domi„ cilio, & non vult esse in regno suo, quem for„ mavit in templo suo: aut si vult, cur non fa„ cit, quod vult? “ Quis autem credat, Christum voluisse *efficaciter quantum in se erat*, pro iis pretium sui sanguinis offerre, quos ex inscrutabili divinorum judiciorum abysso certo perituros esse sciebat?

127. Quod autem de parvulis luculentissime demonstratum est, dici similiter debet de iis infidelibus, quibus nulla unquam affulsit Evangelii lux; quod iterum contingit, Deo non permittente solum, sed *positive* volente, ut prædicatores fidei eo non perveniant: cujus divinæ voluntatis disertissimum testimonium reddit historia Actuum Apostolorum, in qua dicitur c. XVI. quod Paulus, & Timotheus *vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia; & quod tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*. Perrexerunt potius ad Macedones, *certi facti, quod vocasset eos Deus evangelizare eis*.

128. Ob. primo. Nihil frequentius in sacris litteris, quam Christum pro omnibus omnino hominibus sine ulla exceptione, aut distinctione indifferenter esse mortuum. Nam S. Paulus in ep. ad Hebr. II. 9. de Christo loquens dicit: *ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*. Quæ verba ita S. Jo. Chrysostomus exponit: *& ipse quidem pro omnibus mortuus est. Quid autem, si non omnes credant? Hic, quod suum erat, implevit*. Præterea idem Apostolus 1. ad Timoth. II. 5. *Unus*, inquit, *mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et Roman. VIII. 32. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*; Joann. item IV. 42. Samaritani dicebant: *ipsi audivimus, & scimus, quia hic est vere salvator mundi*. Ac demum S. Joannes in sua 1. ep. II. 2. de Christo ait: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*.

129. Resp. Primum testimonium ita explicat Angelicus Lect. 3.: „ pro omnibus dupliciter po„ test intelligi, vel ut sit distributio accommoda, „ scilicet pro omnibus prædestinatis; pro istis e„ nim tantum habet efficaciam; vel absolute pro „ omnibus, quantum ad sufficientiam; sufficiens „ enim, quantum ad se, omnibus est. 1. ad Ti„ moth. IV. Qui est salvator omnium, maxime „ autem fidelium “. Eodemque sensu de sufficientia pretii, non autem de efficaci ejusdem oblatione intelligendus est S. Chrysostomus, ut infra n. 147. magis declarabitur.

130. Alterum similiter Sanctus Thomas explicat Lect. 1. in laud. c. II. ep. 1. ad Timoth., simul etiam conjungens objecta S. Joannis verba epist. 1. cap. II. *Ipse est propitiatio &c.* inquiens: „ pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus suf„ ficienter, quia pretium sanguinis ejus est suffi„ ciens ad salutem omnium; sed non habet effi„ caciam, nisi in electis propter impedimentum “; scilicet propter impedimentum perversæ voluntatis, quam Deus in reprobis ex sua justitia non vult corrigere; vult autem ex sua misericordia corrigere, vel impedire in electis: quod posset utique præstare etiam in reprobis, si vellet.

131. Ceterum redemptionem *proprie*, & *efficaciter* sumtam pertinere in sensu distributivo ad solos electos, patet ex Apocal. V. 9., ubi Sancti benedicunt Christo, dicentes: *quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*. Ecclesia etiam Lugdunensis *de tribus ep.* c. 16. ea ipsa verba: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, ita explicat: *non quod omnes sua passione redemerit, sicut utique manifestum est* (scilicet ex voluntate efficaci eos salvandi): *sed quod nemo accipiat redemptionem, nisi in illo, & per illum*. Eademque ratione alia loca objecta, & quæ illis similia objici possunt, explicari debent.

132. Inst. S. Paulus 2. Corinth. V. 14. *Si unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est* Chri-

Christus. Qui Paulinus textus ex seipso apertus est, ad statuendam mortem Christi generaliter pro omnibus hominibus, & multo etiam illustrior fit ex S. Augustini expositione, qui eodem usus est contra Julianum Lib. IV. c. 4., ut evinceret, peccatum originale in omnes omnino homines propagari. Quod S. Augustini argumentum nullius prorsus roboris esset, si verba S. Pauli ad omnes omnino homines non extenderentur.

133. Resp. textum Apostoli posse intelligi de morte Christi pro omnibus *sufficienter*, non autem *efficaciter*; qua posita explicatione nullam habet vim contra nos. Veruntamen S. Thomas observavit Lect. 3. in hunc locum, aliam esse horum verborum expositionem menti Apostoli magis consentaneam, magisque litteralem; ut scilicet ad solos electos referantur, qui omnes mortui sunt, idest ut mortuos se reputare debent, juxta illud Coloss. III. 3. *mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*. Hinc consequenter S. Paulus subdit: *ut & qui vivunt* (scilicet vita naturali) *jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*, scilicet Christo Redemptori; idest totam vitam suam dirigant ad obsequium, & honorem Christi, prout de se ipso idem Apostolus testabatur ad Galat. II. 20. inquiens: *vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus*.

134. Hanc Sancti Thomæ expositionem, utpote Apostoli menti apprime consonam inter alios interpretes Estius approbat, tanquam Apostolus ratiocinetur hoc modo: Si Christus pro omnibus, quos ad vitam elegit, mortuus est, igitur omnes redemptionis ejus facti participes; qui proinde ex numero electorum se esse merito confidunt, mortui esse debent sibi ipsis, ut jam non suis commodis studeant, sed gloriæ domini Redemptoris sui, & saluti electorum, pro quibus redimendis ille mortuus est.

135. Quantum attinet ad S. Augustinum, adhuc manifestius est, ipsum nonnisi ad electos hunc locum retulisse; nam in ipso illo Lib. VI. *contra Jul.* cap. 4. hæc habet: „ illi ergo vivunt, pro „ quibus, ut vivant, mortuus est, qui vivebat. „ Quod apertius ita dicitur: illi sunt a mortis „ vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter „ mortuos liber. Vel sic multo apertius: illi sunt „ liberati a peccato, pro quibus mortuus est, qui „ nunquam fuerat in peccato ". Vid. etiam lib. XX. *de civ. Dei* c. 6.

136. Atque in hoc eodem sensu explicuit Paulina verba Ecclesia Lugdunensis in Lib. *de tribus ep.* inquiens: *statim pro quibus omnibus mortuus esse intelligendus sit, subjungit dicens: ut & qui vivunt &c.*

137. Neque vero quis reponat, vitiosam fuisse Sancti Patris Augustini ratiocinationem contra Julianum ad probandam generalem peccati originalis transfusionem in omnes. Respondeo enim, scopum S. Augustini in loci fuisse evincendi, parvulos, qui baptizantur, ideo baptizari, ut a peccato originali mundarentur (*a*), quo semel constituto sponte fluebat & aliud, etiam ceteros parvulos, qui non baptizantur, esse eodem peccato coinquinatos, cum eadem esse debeat omnium parvulorum conditio. Jam vero tali invictissimo argumento utebatur S. Doctor: Christus non est mortuus, nisi pro mortuis, dicente Apostolo: *quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; atqui Christus pro parvulis, qui baptizantur, mortuus est, quod & Julianus concedebat, & fuerat jam a S. Augustino cap. super. probatum: ergo parvuli mortui sunt, peccato scilicet originis, cum aliorum peccatorum incapaces sint (*b*).

138. Ceterum si quis omnino contendat, Apostolum hic statuere, Christum esse mortuum pro omnibus, quemadmodum omnes peccato Adæ mortui sunt, non repugnabo, modo, ut sæpius dixi, id intelligatur de sufficientia pretii, non de efficacia oblationis.

139. Ob. tertio. S. Augustinus in Ps. XCV. exponens illa verba: *judicabit orbem terrarum in æquitate*, generalem omnium hominum redemptionem manifeste statuit, dicens, *non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*.

140. Resp., hoc etiam testimonium facile explicari posse de sufficientia pretii, quæ utique ad totum mundum extenditur, quamquam efficacitas passionis Christi ad electos, & fideles restringatur.

141. Veruntamen si Doctoris mentem accuratius perscrutemur, apparebit, ipsum nomine totius mundi intellexisse solum Ecclesiam, quæ toto mundo diffusa est. Primo enim immediate subdit: *audistis Evangelium, quia cum venerit, inquit, congregabit electos suos a quatuor ventis: ergo de toto orbe terrarum*. Secundo id luculentius apparet ex scopo S. Doctoris, qui eo in loco Donatistas refellebat, putantes, Ecclesiam in an-

(*a*) His verbis: *quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ejus baptizati sumus &c.* & c. 5. *Si non est pro eis* (parvulis) *Christus mortuus, ut quid baptizantur?*

(*b*) En S. Doctoris argumentum ipsius verbis expressum: *Tu dicis, etiam pro peccatoribus mortuum*, (Christum): *ego dico, nonnisi pro peccatoribus mortuum, ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum: dicit enim ad Corinthios, quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. Nullo modo hic negare permitteris, nonnisi pro his, qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum... Quapropter si nullum trahunt peccatum parvuli, non sunt mortui: si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus nisi pro mortuis. Te autem jam in primo tuo libro contra nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mortuum; nullo modo igitur negare permitteris, eos trahere originale peccatum.*

angusta aliqua parte Africæ esse conclusam, quam eorum insaniam ut confunderet, utitur verbis Psalmistæ dicentis: *judicabit orbem terrarum*, nempe, ut ipse intelligit, Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam: unde etiam dixerat prius: *valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt qui dicunt, aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant: pro toto dedit, quantum dedit*. Ubi manifestum est, S. Augustinum *pro toto mundo* non potuisse intelligere infideles, qui extra Ecclesiam sunt; alias S. Doctor inepte contra Donatistas, ex quo Christus pro toto mundo pretium dedit, collegisset, Ecclesiam non in sola parte Africæ contineri, sed toto orbe esse diffusam. Donatistæ enim non omnino stupidi respondissent, argumentum Augustini, si quid valeret, etiam efficere, ut omnes infideles ad Ecclesiam pertineant, & ut totus mundus esset Ecclesia.

142. Ob. quarto. Phrasis est apud S. Patres frequentissima, Christum, *quantum in se est*, efficaciter omnes homines redemisse, hoc est id totum præstitisse, quod ab ipso pendebat, ut omnes salvi fierent, & ex sola hominum culpa oriri, quod in plerisque hæc salvifica Christi voluntas non impleatur. Nam primo Origenes Lib. IV. *contra Celsum* appellat Jesum *non unius tantum terrarum anguli medicum, sed universorum, quantum in ipso est; Servator enim venit pro omnibus hominibus*. Secundo S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catechesi* XVIII. *Cum benignus sit Dominus*, inquit, *non unam, neque alteram tantum, sed multas æternæ vitæ januas aperuit, ut omnes, quantum in ipso est, absque impedimento illa potiri possent*. Tertio S. Joan. Chrysostomus explicans illa Apostoli verba Roman. XIV. 15. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*, inquit Hom. XXVI.: *pro universis mortuus est, quod in se situm erat, faciens*. Et in expositione alterius loci S. Pauli ad Galat. II. 20. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me* docet, Christum, non solum pro omnibus, sed plane pro unoquoque nostrum esse mortuum, ejusque passionem comparat prandio illi evangelico Lucæ XIV. 16., *quod omnibus quidem paratum fuerat, sed quoniam venire noluerunt, qui erant invitati, non proposita fercula subtraxit, sed alios invitavit*.

143. Nec aliter loquuntur latini Patres. Nam S. Ambrosius *de paradiso* cap. 8. *Venerat*, inquit, *Dominus Jesus omnes salvos facere peccatores: etiam circa impios ostendere debuit suam voluntatem ... Quod Deo fuit, ostendit omnibus, quod omnes voluit liberare*. Et iterum Lib. II. *de Cain & Abel* c. 3. *Ideo omnibus opem sanitatis detulit, ut quicumque perierit, mortis suæ causas sibi adscribat, qui curari noluit, cum remedium haberet, quo posset evadere*. Alibi autem in Psalm. LXXII. venisse Christum docet, *ut peccata mundi tolleret, vulnera nostra curaret; sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt ... ideo volentes curat, non adstringit invitos. Accipiunt igitur sanitatem, qui medicinam expetunt; illi autem, qui refutant medicum, nec requirunt, bonitatem medici, quam non experiuntur, sentire non possunt*. Ac demum in Psalm. CXVIII. ad explicandum beneficium passionis Christi universis exhibitum utitur similitudine solis, qui omnibus exoritur, licet aliqui clausis fenestris illius lumen excludant.

144. Non minus aperte loquitur S. Hieronymus, qui proposita illa quæstione, cur non omnes salventur, si omnes sunt pretioso Christi sanguine redempti? *Voluit Deus*, inquit in c. LXIII. Isaiæ, *salvare cupientes, & provocavit ad salutem, ut voluntas haberet præmium, sed illi credere noluerunt ... sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, & salvarentur*.

145. Immo vel ipse S. Augustinus generalis hujus redemptionis mentionem facit apertam, ejusdemque in pluribus inefficaciam ab hominum perversitate, nullatenus autem a Dei voluntate, repetit. *Quantum in medico est*, inquit Tract. XII. in T. Joann. III., *sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult ... Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te judicaberis*. Et *de catechiz. rudibus* cap. 26. Tom. VI. *A quo interitu*, inquit, *hoc est pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ creatoris sui, misit unigenitum Filium suum*.

146. Denique S. Thomas Lect. 1. io c. II. ep. 1. ad Timoth. explicans illud: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris* hæc habet: *pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium: sed non habet efficaciam, nisi in electis propter impedimentum*, scilicet hominum, qui Dei voluntati resistunt.

147. Resp. Quantum pertinet ad adultos (nam parvulorum alia est ratio, ut mox explicabo) etiam dici posse cum S. Patribus, ab eorum voluntate pendere, ut remediis a Christo institutis utantur, aut non utantur, adeoque salventur, vel pereant; ita tamen, ut prima, & principalis causa, ut aliqui iis bene uti velint, ab efficaci Christi voluntate sit repetenda, qui eis illam gratiam impetravit, quæ facit, ut velint. Ut autem non velint, ab ipsorum perversitate oritur, quæ est prima mali causa, & Deus eam permittit ex inscrutabili suæ justitiæ profunditate, cum tamen quamcumque hominis perversitatem aut tollere, aut impedire posset, si vellet. Unde efficitur, Christum, si accurate loqui volumus, quantum in ipso fuit, non voluisse efficaciter eorum salutem, qui pereunt, cum ipsis ea auxilia gratiæ conferre noluerit, quibus certissime salvati fuissent.

148. Hanc veritatem sæpius docuit Sanct. Augustinus, & ex multis locis, quæ præsto sunt, unum seligo, ut brevior sim. In libro *de gratia, & lib. arb.* c. 16. Tom. X. objicientibus Pelagianis ea Scripturæ verba: *si volueris, conservabis mandata*, quæ conditionem involvunt ei similem, quam nobis ex Sanctis Patribus Adversarii objiciunt, ita Sanctus Doctor respondet: *Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum &c.* Quod Sanct. Doctor pluribus Scripturæ Sacræ testimoniis pro suo more confirmat. Non dicit, Deum jam fecisse totum, quod in se est, ut reliquum a sola nostra voluntate dependeat, quemadmodum a sola ægroti voluntate dependet, ut remedio sibi jam præparato utatur.

149. Quapropter omnes illæ, quæ allatæ sunt, Sanctorum Patrum locutiones in eo sensu intelligi debent, ut Christus Dominus censeatur fecisse, quod in se est, quantum ad *pretii sufficientiam*, quæ procul dubio respicit omnes; non autem quantum *ad voluntatis efficaciam*, quæ ad solos electos dirigebatur. Unde etiam S. Remigius, postquam omni argumentorum genere evicisset, Christum nonnisi pro electis, & fidelibus baptizatis efficaciter fuisse mortuum, in libro tamen *de tribus epistolis* hæc habet: *quod si aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus Dominum passum intellexerunt, honoretur & iste velut pius sensus; dummodo ille prior, qui est certissimus, & divina veritate firmatur, nulla præsumptione contemnatur, vel etiam, quod gravius est, damnetur.*

150. Hinc ii ipsi Sancti Patres, qui alicubi dicunt, Christum mortuum esse pro omnibus, alibi tradunt, eundem non pro omnibus, sed tantum pro multis esse passum. S. Hieronymus in cap. XX. Matth. observat, non dixisse Christum, *animam suam redemptionem dare pro omnibus, sed pro multis; idest pro his, qui credere voluerunt*. Voluerunt, inquam, voluntate præparata per gratiam.

151. Immo S. Prosper, ut Semipelagianorum querelas post mortem S. Augustini excitatas compesceret, observavit, illud ingens discrimen intercedere inter medicum sanantem corpora, & Deum sanantem animas, quod Deus, secus ac medicus corporalis, debeat incipere a sananda nostra voluntate, in qua major est infirmitas; & quæ a*mat languores suos, & pro sanitate habet, quando ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse, quod langueat, & possit opem medici desiderare, qua surgat* (a).

152. Dixi autem, parvolorum aliam esse rationem, utpote qui nullo pollent libertatis usu, & in quibus proinde *velle*, & *nolle* nullum habet locum, nec etiam ut causa immediata, & proxima; adeoque in iis unum divinæ voluntatis arbitrium, & dominium luculentius apparet; unde ab illis S. Augustinus argumentum efficacissimum ducebat, ut ab eodem divinæ voluntatis arbitrio, & dominio etiam adultorum salutem suspenderet. *Si Deus*, respondebat Juliano similia objicienti Lib. IV. cap. 8., *vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt, cur tot millia parvulorum &c.* Vid. sup. num. 52.

153. Inst. S. Augustinus in Psalm. LXVIII. Tom. IV. de Juda, qui certe reprobus erat, dicit: *projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipse a Domino redemptus erat:* volebat ergo Dominus ipsum, etsi reprobum, salvare: nulla autem alia ratio reddi potest, cur reipsa salvus non fuerit, nisi quod remedio sibi oblato uti noluit.

154. Resp., Christum noluisse Judam salvare *efficaciter*; si enim voluisset, procul dubio salvasset; sed solum *efficaciter* voluisse illi conferre media ad salutem sufficientia, quæ & reipsa Judas consecutus est, nempe baptismum, ut S. Augustinus probat in epist. XLIV. & alibi, aliaque non pauca gratiæ beneficia; quanquam ex inscrutabili judiciorum suorum abysso postea noluerit illi magnum perseverantiæ donum elargiri. Quapropter alibi idem S. Pater Judam a numero eorum excipit, pro quibus Christus mortuus est. Nam Tract. LV. in Joann. *passurus*, inquit, *exitia, præmisit obsequia, non solum eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui eum fuerat traditurus ad mortem.*

155. Ob. quinto. S. Leo Papa Serm. 1. *de Nativit. Domini* hæc habet: *nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur. Una cunctis lætitiæ communis est ratio, quia Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Ut proinde nemo ab universa hominum redemptione excludatur, nisi qui propria voluntate &c.

156. Resp., hæc a S. Leone dicta esse non de omnibus, & singulis hominibus sine exceptione, sed

(a) Ita in resp. ad c. 6. Gallorum. Quæ iterum repetit in lib. adv. Collatorem c. 4. ad solvendum fere idem argumentum ex medici paritate depromptum, ubi ait: *quasi vero anima ipsa non langueat, & corpori suo remedium sana prospiciat. Atqui totus homo ex ipsa, & cum ipsa in profundum miseriæ suæ decidit, ubi eam, priusquam a medico notitiam suæ calamitatis accipiat, jacere delectat, amantem semper errores suos, & amplectentem falsa pro veris. Cujus prima salus est, ut sibi incipiat displicere, & vetustatem suæ debilitatis odisse; sequens vero est, ut & sanari desideret, & a quo sananda sit, noverit. Quæ curationem ipsius sic præcedunt, ut ei ab illo, qui ægrum sanaturus est, inferantur.*

sed in sensu distributivo de omni hominum genere, quatenus per Christi passionem omnibus gentibus via ad salutem patefacta est. Ita S. Leonis mentem explicat Ecclesia Lugdunensis (a).

157. Ob. sexto. S. Thomas pluribus in locis Christum pro omnibus, quantum in ipso erat, mortuum fuisse, apertissime docet; totamque rationem, quare hæc Christi passio in omnibus non habeat effectum, ex sola hominum voluntate repetit; nam in Lib. III. *Sentent.* dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. *quod omnes homines*, inquit, *non reparentur*, *non est ex insufficientia medicinæ reparantis*, *cum sit sufficiens*, *quantum in se est*, *ad reparandum omnes*, *qui naturam humanam habent*, *aut habere possunt*; *sed ex defectu eorum*, *qui reparationis effectum in se impediunt*. Alibi autem explicans ea verba Christi apud Matth. XXVI. *Hic est sanguis meus novi testamenti*, *qui pro multis effundetur*, inquit in Comment.: *& pro multis*, *& pro omnibus*; *quia si consideretur sufficientia*, *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, *& non pro nostris autem tantum*, *sed & pro totius mundi*: *sed si consideremus effectum*, *non habet effectum*, *nisi in his*, *qui salvantur*; *& hoc est ex culpa hominum*. Eadem sæpius repetit, ut Lect. 1. in cap. II. ep. 1. ad Timoth., Lect. 2. in cap. XVII. S. Joan. 3. P. quæst. 1. art. 4. &c.

158. Resp. Hominum peccatum, sive originale, sive actuale, esse causam proximam, ut passio Christi sit in multis inefficax, non autem esse totam causam, vel primam. Si enim Christus voluisset efficaciter omnes salvari, etiam voluisset, ut certe poterat, ab omnibus tollere hoc impedimentum, quemadmodum illud auferre voluit tum ab infantibus baptizatis, tum ab adultis ex malo in bonum conversis, & perseverantiæ dono confirmatis. Ita perspicue, & sine ullis ambagibus se explicat Angelicus qu. 29. *de verit.* art. 7. ad 4. inquiens: *meritum Christi*, *quantum ad sufficientiam*, *æqualiter se habet ad omnes*, *non autem quantum ad efficaciam*; *quod accidit partim ex libero arbitrio*, *partim ex divina electione*, *per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur*, *quibusdam vero justo judicio subtrahitur*. Et Lect. 3. in cap. XII. epist. ad Hebr. inquit: *hoc ipsum*, *quod aliquis non ponit obstaculum*, *ex gratia procedit*. *Unde si aliquis ponat*, *& tamen moveatur cor ejus ad removendum illud*, *hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam*.... *Quod ergo a quibusdam removetur illud obstaculum*, *hoc est misericordia Dei*; *quod autem non removetur*, *est ex justitia*. Quod luculentissime apparet in parvulis, & simili ratione credendum est in adultis. Quamquam enim in his ad tollendum impedimentum peccati requiritur etiam liber voluntatis consensus, gratia tamen est, quæ voluntatem torpentem excitat, atque ad consentiendum determinat, operans in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.

159. Objic. septimo. Certum est, Christum orasse pro suis crucifixoribus, & pro omnibus, qui in eum credituri erant. Lucæ XXIII. 34. *Pater*, *dimitte illis*; & Joann. XVII. *non pro eis autem rogo tantum* (scilicet pro Apostolis), *sed & pro iis*, *qui credituri sunt per verbum eorum in me*; isti tamen omnes salutem consecuti non sunt; restat ergo, ut dicamus, Christum pro eis orasse oratione conditionata, si nempe ipsi vellent beneficio suæ passionis uti. Neque in hoc ulla esse potest difficultas, cum neminem lateat, etiam in horto Christum orasse conditionate Matth. XXVI. 39. *Pater mi*, *si possibile est*, *transeat a me calix iste*.

160. Respondet S. Thomas, Christum orasse pro non prædestinatis oratione, quæ fuit secundum voluntatem *naturæ*, non autem secundum voluntatem *rationis*. Pariter de oratione, qua Christus petiit, a se removeri calicem passionis, hæc habet Angelicus 3. Part. quæst. 21. art. 4. ad 1.: *non est factum*, *quod petiit*, *quia ratio*, *quæ petitionem proposuit*, *nolebat*, *ut hoc impleretur*, *sed ad instructionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem*, *& motum sensualitatis*, *quem sicut homo habebat*. Eodemque sensu explicat S. Doctor ea verba Psalmi XXI. *Clamabo per diem*, *& non exaudies*, quæ de Christo intelliguntur, scilicet *quantum ad effectum sensualitatis*, *quæ mortem refugiebat*; *exauditur tamen quantum ad affectum rationis* (b).

161. Qua in re aliqui acute observarunt, Christum

(a) In Lib. *de tribus epist.* c. 19., ubi inquit: *Ponit quædam verba B. Leo in quibusdam sermonibus ad populum*, *ex quibus nonnulli vel minus attendentes*, *vel minus intelligentes fortassis eum docere*, *& sentire existimant*, *quod Dominus noster etiam pro impiis in sua impietate durantibus passus sit*, *& eorum possit dici redemptor &c.* ... *in quibus verbis potest aliquis minus considerans*, *& minus intelligens ita existimare*, *ut quod dictum est Sacramentum generalis redemptionis*, *& mortis pro omnibus impiis Dominus*, *ita accipi possit*, *quasi & illa generalis redemptio*, *& illa mors Domini pro omnibus impiis*, *etiam pro non credentibus*, *& in sua impietate pereuntibus facta credenda sit*. *Sed pro quibus omnibus impiis Dominum mortuum dicat*, *& quid per generalem redemptionem velit intelligi*, *putamus*, *quod ipse suis verbis* ... *diligenter exponat*, *dicens*: *qui enim venerat universis credentibus omnia peccata dimittere*, *a generali indulgentia nec Judaicum voluit crimen excludere*; *ut vere pro illis omnibus impiis mors Domini fuerit impensa*, *quibus universis credentibus omnia peccata dimittit*. *Et generalem redemptionem*, *sive generalem indulgentiam ideo dixisse intelligatur*, *quia nec populum Judaicum*, *nec ullum genus hominum ab illa redemptione*, *& indulgentia inveniatur exclusum*.

(b) Haud inutile erit integrum S. Thomæ textum oculis subjicere, quem habet in corp. art. *Oratio est quodammodo interpretativa voluntatis humanæ*; *tunc er-*

stum suos affectus *sensualitatis*, vel simplicis voluntatis Patri submisisse, dicendo: *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*; sed maximum esse absurdum, si eosdem affectus non Patri, sed hominum voluntati submitteret, quasi dicendo: *volo omnes homines salvare, verum tamen fiat, non sicut ego volo, nec sicut tu vis, æterne Pater, sed sicut homines volunt*.

162. Objic. octavo. In Concilio Arelatensi anno 475. probata fuit epistola Fausti Rejensis Episcopi ad Lucidum, in qua hæc habentur: *anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit*. Lucidus autem suum errorem revocavit, ejusque revocatio probata fuit in Lugdunensi Concilio. Etiam in Concilio Moguntino anno 848. sub Rabano condemnatus est Gotteschalcus, quia, ut Hincmarus refert in epistol. ad Nicolaum Papam, docebat, *quod veteres Prædestinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes salvos fieri, sed tantum eos, qui salvantur .... & quod non pro totius mundi redemptione Dominus, & Salvator noster Jesus Christus sit crucifixus, & mortuus, sed tantum pro iis, qui salvantur*. Et contra eundem Gotteschalcum in Conventu Carisiaco anno 853. cap. 3. ita fuit definitum: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur*; & cap. 4. *Christus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit, vel erit, cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit*. Synodus etiam Tridentina Sess. VI. *de justificat.* cap. 2. dicit, missum a Patre Christum, *ut & Judæos, qui sub lege erant, redimeret, & Gentes, quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent*; & cap. 3. *verum etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est &c.*

163. Quid plura? In Symbolo Nicæno ita credere, & profiteri tenemur de Christo: *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis &c.*; cumque hoc symbolum non solum electi, sed plurimi etiam reprobi recitent, consequenter credendum est, Christum etiam pro reprobis fuisse mortuum.

164. Ac demum ab Innocentio X. damnata fuit quinta Jansenii propositio: *Semipelagianorum error est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Quæ propositio damnata fuit, *ut falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica*.

165. Respond., Historiam Lucidi plane falsam, aut saltem dubiam, & suspectam esse; plerique enim eruditi censent, errores prædestinatianos fuisse illi a Fausto Rejensi, qui medullitus Semipelagianus erat, per calumniam affictos, & illius condemnationem in duobus Conciliis Lugdunensi, & Arelatensi, necnon ejusdem retractationem, inter fabulas amandant (a). Sed si Lucidus a genuina S. Augustini doctrina recedens in errores prædestinatianos incidisset, merito fuisset condemnatus, & a nobis etiam condemnaretur.

166. Ex Conciliis autem Sæcul. IX. in causa Gotteschalchi celebratis, si rei totius exitus spectetur, non solum non labefactatur, sed invicte confirmatur nostræ propositionis veritas. Nam anno 855. coacta est Synodus Valentina ex Episcopis trium Provinciarum, Lugdunensis, Viennensis, atque Arelatensis, & quatuor Capitula Synodi Carisiacæ *propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati* condemnata sunt; atque expresse definitum, Christum pro iis solis esse mortuum, *de quibus ipse Dominus dicit: sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Porro Synodi Valentinæ decreta quadriennio post confirmata fuere in aliis duobus conciliis, Lingonensi, & Tullensi; immo ab ipso summo Pontifice Nicolao I. ut testatur

S.

go alicujus orantis exauditur oratio, quando ejus voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est rationis voluntas; hoc enim absolute volumus, quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem, quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura, non simpliciter volumus, sed secundum quid, scilicet si aliud non obsistat, quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis est dicenda velleitas, quam absoluta voluntas, quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret. Secundum autem voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit, Deum velle; & ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per consequens omnis ejus fuit exaudita &c. Ceterum Estius in III. *Sent.* dist. 17. §. 4. conformius esse Scripturis dicit, Christum non orasse pro omnibus crucifixoribus suis, sed pro iis solum, qui erant prædestinati. Eamdemque sententiam P. Lud. Thomassinus L. IX. *de Incarnat.* c. 5. pluribus, ut ille solet, sanctorum Patrum testimoniis confirmat. Sed fortasse tota dissensio est in verbis; quod enim alii asserunt de oratione inefficaci, modo supra explicato, hoc isti negant de oratione efficaci proveniente ex voluntate rationis.

(a) Vid. Tillemontius Tom. XVI. *Monum. Eccles.* in Fausto art. 6., Lud. Thomassinus Dissert. XIII. in Concil. Arelat. & Lugdun. num. 9. Gilbertus Mauguinus in *Prædestinat. fabulæ confutat.* cap. 8., Cabassutius in *Notitia Conciliorum*, præter Jansenium *de Hær. Pelag.* Lib. VIII. cap. ult., & Usserium in *Antiquit. Britann.* cap. 21.; quorum momenta collegit Gasp. Juenin Tom. II. P. I. dissert. 4. cap. 5. art. 2. §. 3. Non desunt tamen alii, qui illius historiæ varietatem tueantur, ut Natal. Alexander dissert. 5. in sæc. V. prop. 4.

S. Prudentius (apud Hincmarum epistol. 24.), & Annales Bertiniani ad annum 859. Ac demum anno 860. convenientibus 14. Provinciarum Episcopis ad Synodum Tullensem II., ejusdem Synodi Valentinæ canones iterum confirmati sunt, præsente Hincmaro, qui ne hiscere quidem ausus est. Erasa tamen ab iis fuit censura posita contra canones Carisiacos, ut facilius Ecclesiæ pax restitueretur; & quia fortasse re diligentius discussa repertum est, totam illam controversiam, quæ Ecclesiam Gallicanam non parum turbavit, fuisse potius de verbis, quam de dogmate (*a*).

167. Verba Concilii Tridentini nullum prorsus negotium nobis facessere possunt, qui fatemur libenter, Christum Dominum & pro omnibus sine exceptione mortuum esse sufficientia pretii, & efficaciter etiam pro Judæis, & gentibus, ac toto mundo in sensu distributivo pro generibus singulorum; & solum negamus, Christum generaliter pro omnibus sine ulla prorsus exceptione mortuum esse, ut *quantum in ipso erat*, omnibus ea omnia contulerit, quæ ad salutem consequendam ex parte Dei necessaria sunt; quod non solum non docet sacrosancta Trident. Synodus, sed potius contrarium insinuat, cum ita subdit cap. 3. *verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*. Quod adhuc clarius explicatur a Catechismo Romano P. II. *de Sacram. Euchar.* cap. 4. art. 24., his verbis: *nam si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Salvatore effusum esse, fatendum erit; si vero fructum, quem homines ex eo perceperint, cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire, facile intelligemus* (*b*).

168. Quod ex Symbolo Nicæno objectum est ita solvitur. Verba illa: *qui propter nos homines &c.* debent etiam a peccatoribus recitari, non quia credere debeant, Christum Dominum pro ipsis passum, & mortuum esse efficaci voluntate ipsos salvandi, sed quia id etiam ipsi sperare debent a divina misericordia. Neque vero in Symbolo solum continentur articuli fidei, sed quædam etiam spei nostræ objecta; unde a S. Hieronymo in epist. ad Pammachium vocatur *Symbolum fidei, & spei nostræ*. Et sane quilibet fidelis eodem sensu dicit: *expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi*; quæ certe fausta resurrectionis, & æternæ vitæ expectatio non fidei, sed spei nostræ objectum est.

169. Quod postremo objectum fuit de proscripta propositione Jansenii, facile expeditur, observando, primo illam propositionem merito fuisse damnatam ut *falsam*, *temerariam*, & *scandalosam* pro ea parte, qua asserebat, *errorem esse Semipelagianorum dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*. Hæc enim est phrasis cum Scripturarum Sacr. tum etiam plurium S. Patrum; & quanquam Semipelagiani ea abutebantur ad negandam specialem eam voluntatem, qua Christus duntaxat pro electis suam passionem efficaciter æterno Patri obtulit, ipsa tamen propositio sine temeritate, & scandalo *Semipelagianorum error* appellari non poterat.

170. Quantum vero attinet ad illum sensum, quem Rom. Pontifex ut *hæreticum* damnavit, & nos eumdem corde, & ore damnamus; & confitemur, primo Christum mortuum esse etiam pro aliquibus non prædestinatis, nempe pro iis reprobis, quibus gratia fidei, & justificationis concessa est, quamvis eisdem perseverantia usque in finem denegata sit: secundo non uno, sed multiplici sensu dici etiam posse, & debere, Christum mortuum esse pro omnibus hominibus, quanquam bene multi ejus passionis beneficium Deo nolente non percipiunt, ut infra ostendetur.

171. Ob. ultimo. Si Christus dici debet pro omnibus hominibus mortuus, *propter sufficientiam pretii*, etiam dici poterit mortuus pro iis, qui ante ejus passionem damnati jam erant, immo & pro dæmonibus, cum infinitum ejus sanguinis pretium iis etiam salvandis suffecisset; atqui primum fuit in concilio Valentino rejectum, ut falsum; alterum vero est in Ecclesia plane inauditum: ergo &c.

172. Resp. quantum pertinet ad eos, qui tempore passionis Christi jam erant damnati, aliquo certe sensu dici posse, Christum pro iis esse mortuum tum sufficientia pretii, tum etiam quia si aliqua habuerunt gratiæ beneficia, certe nonnisi ex meritis passionis Christi habuerunt. Neque hunc sensum Patres Synodi Valentinæ condemnare voluerunt, sed alium quem errore facti quarto Synodi Carisiacæ canoni tribuebant, quasi scilicet in il-

(*a*) Obiter hic cum doctissimo Bossueto *dans la Defense de la tradition, & des Saints Peres* P. II. Lib. V. cap. 19. observandum ducimus, in celebri hac controversia sæc. IV. exeitata utramque litigantium partem primo loco. habuisse auctoritatem S. Augustini, eumque propterea etiam Hincmarianos ad se pertrahere conatos fuisse.

(*b*) Atque ad hanc doctrinam magis declarandam ita Catechismus prosequitur: „ Cum igitur *pro vobis* di„ xit, vel eos, qui aderant, vel delectos ex Judæo„ rum populo, quales erant discipuli, excepto Juda, „ quibuscum loquebatur, significavit. Cum autem ad„ didit: *& pro multis*, reliquos electos ex Judæis, aut „ gentibus intelligi voluit. Recte ergo factum est, ut „ *pro universis* non diceretur, cum hoc loco tantum„ modo de fructibus passionis sermo esset, quia salu„ tis fructum delectis solum attulit: atque huc spectant „ verba illa Apostoli: *Christus semel oblatus est ad* „ *multorum exhaurienda peccata*; & quod Dominus a„ pud Joannem inquit: *ego pro eis rogo, non pro* „ *mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia* „ *tui sunt*. „

illo fuisset definitum, Christum mortuum esse, etiam ut illos inpios, qui æterna damnatione jam puniti erant, suo sanguine liberaret.

Dæmonum vero Redemptor Christus nullo pacto dici potest; tum quia eorum naturam non assumpsit, tum quia ad eorum peccatum eluendum non venit; tum demum quia Dæmones Christo ut capiti nullatenus conjuncti sunt. Primam rationem indigitat S. Prosper in resp. ad cap. IX. Gallorum ostendens, posse Christum dici salvatorem totius mundi, *propter verum humanæ naturæ susceptionem*; & S. Leo in Serm. LVIII. *Per eum*, inquit, *agebatur omnium causa, in quo solo erat omnium natura sine culpa*. Alteram rationem tradit S. Thomas 3. P. qu. 49. art. 1. ad 3. observans, Christum dici omnium redemptorem *causaliter*, *idest instituendo causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura*; quod remedium non est institutum pro dæmonum peccato. Demum tertiam rationem idem Angelicus suppeditat 3. P. qu. 8. art. 3. varios modos enumerans, quibus Christus dici potest caput hominum, vel actu, vel potentia; loquens autem de reprobis eos quidem, quamdiu in hoc mundo vivunt, Christo unitos esse dicit in potentia; *qui tamen*, subdit, *ex hoc sæculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur*. Quæ ratio potiori jure obtinet in dæmonibus. Unde etiam S. Prosper in resp. ad object. 6. Vincent. ajebat: *hoc inter malos homines distat, & dæmones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio*.

PROPOSITIO II.

Vere dici potest, & debet aliquo sensu, Christum esse mortuum pro omnibus hominibus.

173. Prob. primo, quia hæc est frequentissima sacr. Scripturarum phrasis, ut vidimus ex testimoniis supra num. 128. allatis. Quæ testimonia, quanquam a S. Augustino, aliisque nonnullis Patribus, de solis electis recte intelligantur, quantum ad efficacem voluntatem eos salvandi, ab aliis tamen Patribus non paucis ad omnes homines sine ulla exceptione referuntur, quantum ad sufficientiam pretii, aliasque rationes. Nonnulla afferemus præter ea, quæ supra allata sunt n. 142.

174. Exordiamur a Græcis. S. Gregorius Nazianz. Orat. XXV. nunc 33. n. 9. loquens de Christi passionibus, *per quas omnes*, inquit, *reformati sumus, nullo penitus excepto qui eidem Adamo participavimus, & per peccatum morte affecti, ac per cœlestem Adamum saluti restituti, atque ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati sumus*. S. etiam Jo. Chrysostomus explicans illa Pauli verba ad Galat. II. 20. *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, inquit: *ostendit unumquemque nostrum tantæ Christo Domino gratiæ debitorem esse, quantæ si sui tantummodo causa venisset: non enim detrectasset, vel pro uno tantundem curæ, vel benignitatis ostendere. Ita ille quemlibet hominum tanta charitatis mensura complectitur, quanta orbem universum. Quocirca sacrificium quidem ipsum pro tota natura oblatum fuerat; qui autem usum sacrificii percipiunt, soli sunt credentes*. Quæ verba, aliaque plura iis similia quo sensu intelligenda sint, superius declaravimus num. 147. & seq.

175. Eadem fere est phrasis Patrum latinorum: nam Hilarius Lib. II. *de Trinit.* Verbum natum esse de Virgine dicit, *ut naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret*. Et iterum in fine ejusdem libri: *Munus autem, quod in Christo est, omne omnibus patet unum, & quod ubique non deest, in tantum datur, in quantum quis volet sumere: in tantum residet, in quantum quis volet promereri*: quæ verba explicare oportet de voluntate præparata per gratiam, ne S. Hilarium cum Pelagianis confundamus.

176. S. etiam Ambrosius Lib. III. *de officiis* cap. 3. vult, nos omnium hominum salutem procurare, quia aliquo pereunte *Christus Dominus, qui pro universis mortuus est mercedem suam evacuatam dolebit*. Et in lib. *de S. Joseph* c. 7. de Christo loquens, *ipse*, inquit, *vitam omnibus dedit, ipse pro omnibus vitam suam obtulit*.

177. Ac denique, ut alios omittam, S. Hieronymus in Comment. ad cap. V. epist. 2. ad Corinth. *Christus*, inquit, *pro omnibus mortuus est, solus inventus est, qui ut immaculata hostia pro omnibus, qui erant in peccato mortui, offerretur*. Et in epist. 83. ad Oceanum mentitum esse ait Jo. Baptista, cum dixit: *ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit*.

178. Quanquam vero S. Augustinus, ut aliqui opinantur (a), Christum generaliter pro omnibus mor-

(a) Ita inter alios Ant. Arnaldus in *Apologia pro Sanctis Patribus* P. III. puncto 2. art. 4. ubi ostendit, omnia loca, quæ afferuntur ex S. Augustino, esse de solis electis intelligenda; quod etiam agnovisse videtur Dion. Petavius Lib. X. *de prædest.* c. 5. n. 3. quanquam in Lib. XIII. *de Incarn.* ut alibi notavimus, omnes nervos intendat, ut etiam ex S. Aug. Christum pro omnibus esse mortuum, evincat. Sed utut hæc res sit, hoc certe nihil impedit, quin possimus generalem hanc omnium redemptionem cum S. Thoma aliisque Patribus sano sensu admittere, utpote quæ cum altera peculiari, & efficaci solos electos respiciente minime pugnat, ut supra de voluntate Dei observatum fuit.

mortuum esse nullibi concesserit, quia a Pelagianorum subtilibus cavillationibus adigebatur de sola efficacia passionis Christi loqui, ejus tamen Discipuli, & qui post eum consecuti sunt Ecclesiæ Patres, sanguinem Christi pro omnibus hominibus sine ulla exceptione effusum fuisse, asserere non dubitarunt.

179. Et quidem insignis est locus S. Prosperi in resp. ad Cap. I. *object. Vincent.* ubi inquit: „ quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis „ humani, sanguis Christi redemptio est totius „ mundi. Cum itaque propter omnium unam naturam, & unam omnium causam a Domino nostro in veritate susceptam recte omnes dicantur „ redempti, & tamen non omnes a captivitate „ sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie „ penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras &c. ". Gemina habet in resp. ad Cap. IX. Gallorum, ubi iterum accurate distinguit duplicem Christi morientis voluntatem, unam efficacem pro solis electis, alteram inefficacem pro aliis; & sensum etiam determinat, quo vere dici possit, eum esse pro omnibus mortuum.

180. Hinc Ecclesia Lugdunensis sub S. Remigio Sæc. IX. quanquam vestigiis S. Augustini pressius insistens, mordicus contenderit, Christi mortem esse ad solos electos restringendam, ab admittenda tamen etiam generali omnium omnino hominum redemptione se minime alienam esse declaravit; nam in lib. *de trib. epist.* c. 27. inquiebat: *quod si aliqui Patrum pro omnibus omnino hominibus Dominum passum intellexerunt, honoretur & iste veluti pius sensus, dummodo prior, qui est certissimus, & divina veritate firmatus, nulla præsumptione contemnatur, vel quod est gravius, damnetur.* Quæ Ecclesiæ Lugdunensis doctrina alte animis infigenda est, ut tutam difficili controversia semitam sequamur.

181. Demum, omissis aliis Patribus, audiamus Angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem, fidissimum S. Augustini discipulum, & interpretem, qui sexcentis plane in locis Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, luculentissime docet. Pauca ex multis seligo. Explicans ea verba S. Joannis 1. epist. II. 3. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, inquit in Lect. 1. in c. II. epist. 1. ad Timoth. *pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter, quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium; sed non habet efficaciam, nisi in electis, propter impedimentum.* Et 3. P. qu. 22. art. 3. *secundum sufficientiam*, ait, *una minima passio Christi suffecisset ad redimendum genus humanum ab omnibus peccatis.* Quæ sæpius repetit Angelicus Doctor, & quibus mirifice conciliantur ea Scripturæ sacræ loca, quibus Christus dicitur mortuus pro omnibus hominibus, cum aliis, quibus ejus mors ad solos electos coarctatur; unde etiam in IV. *Sent.* dist. 8. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 7. respondit, *Christi sanguinem effusum esse pro omnibus, quantum ad sufficientiam, sed pro electis tantum, quantum ad efficaciam.*

182. Ob. primo. Pro iis duntaxat mortuus est Christus, pro quibus oravit in sua passione; atqui Joann. XVII. 9. ita Patrem orasse legitur: *non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt*, hoc est, pro prædestinatis: ergo &c.

183. Resp. cum S. Thoma in III. *Sentent.* dist. 17. qu. 1. art. 3. solut. 4. ad 2. Christum non orasse pro non prædestinatis oratione proveniente a voluntate *rationis, quæ est de eo, quod habet bonitatem etiam in ordine ad aliud;* orasse tamen oratione proveniente ab ejus voluntate, *ut natura est*, quæ scilicet *est de eo, quod habet in se bonitatem, non considerato ordine ejus ad aliud;* quæ voluntas a S. Bonaventura, & ab Hugone de S. Victore vocatur *voluntas pietatis* (a).

184. Inst. Augustinus Tract. CX. in Joann.
„ Est

(a) S. Bonav. in III. *Sentent.* dist. 17. art. 2. q. 2. ubi data opera de Christi oratione agit, hoc habet: *Cum oratio sit petitio procedens ex voluntate & desiderio, secundum quod voluntas humana fuit in Christo secundum triplicem differentiam, sic & oratio. Nam quædam fuit oratio exprimens, sive procedens a voluntate rationis, quædam a voluntate pietatis, quædam a voluntate carnis... Oratio procedens a voluntate pietatis & carnis non fuit in Christo exaudita per omnia... sicut petiit calicem a se transferri, & suis crucifixoribus condonari: unum ex voluntate carnis ad ostensionem naturæ assumptæ; alterum ad ostensionem benignitatis, & misericordiæ.* S. Thom. autem adhuc profundius ostendit 3. P. qu. 21. art. 2. duplici sensu posse intelligi, Christum orasse secundum suam sensualitatem: *uno modo sic, quod ipsa oratio sit actus sensualitatis, & hoc modo Christus secundum sensualitatem non oravit... Alio modo, quia ejus oratio orando Deo proponit, quod est in appetitu sensualitatis ipsius, & secundum hoc Christus oravit secundum sensualitatem, inquantum scilicet oratio ejus exprimebat sensualitatis affectum, tamquam sensualitatis advocata &c.* Vid. etiam art. 4. ejusdem qu.; & in laud. loc. ex Lib. III. *Sentent.* ubi inquit: *voluntas, ut natura, est de eo, quod habet in se bonitatem, non considerato ordine ejus ad aliud; unde voluntas talis in Christo fuit de salute omnium hominum, sicut voluntas fuit in Deo; sed secundum hanc simpliciter & absolute non dicitur aliquis velle; hanc autem voluntatem Hugo de S. Victore dicit voluntatem pietatis. Sed voluntas, ut ratio, est de eo, quod habet bonitatem etiam in ordine ad aliud, & secundum hanc voluntatem non volebat Christus omnes salvari, sicut nec Deus voluntate consequente; & secundum hanc dicitur aliquis simpliciter, & absolute velle: & ideo oratio Christi, quæ fuit secundum hanc voluntatem, fuit exaudita; non autem quæ fuit secundum primam; & ideo dicit Hieronymus, quod Christus exauditus est pro prædestinatis, non autem pro non prædestinatis.*

„ Est mundus, *inquit*, de quo scriptum est, ne „ cum hoc mundo damnemur: pro isto mundo „ (*Christus*) non rogat. Et est mundus, de quo „ scriptum est: non enim venit filius hominis, ut „ judicet mundum, sed ut mundus salvetur per „ ipsum ... pro isto mundo rogat, dicens: ut mun„ dus credat, quia tu me misisti “: ergo S. Augustino judice, Christus pro reprobis nullatenus oravit. Præterea idem S. Pater Lib. XXI. *de civ. Dei* cap. 23. & *de corrept. & grat.* c. 15. docet, ideo Ecclesiam pro omnibus orare, quia ignorat, quinam prædestinati, aut reprobi sint: quod si Ecclesia illos nosset, *qui prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso*. Cum ergo Christum minime lateret, quinam essent reprobi, sequitur manifeste eum pro reprobis non orasse. Demum S. Thomas 3. P. qu. 21. art. 4. docet, orationem Christi fuisse semper exanditam; quod & Christus ipse testatus est Joann. XI. 42. inquiens Patri: *ego autem sciebam, quia semper me audis*. Et in resp. ad 2. *Christus*, inquit, *non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum; sed pro his solum, qui erant prædestinati*. Quid clarius?

185. Resp. ad primum, Christum orasse, ac pretiosissimum suum sanguinem effudisse, pro prædestinatis quidem ex voluntate *rationis*, ut iis suæ passionis pretium applicaretur; pro ceteris autem voluntate *naturæ & pietatis*, seu *sufficienter*, *instituendo causam nostræ liberationis ex qua possent quæcumque peccata quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura;* ut loquitur S. Th. 3. P. q. 49. art. 1. ad 3.

186. Difficilioris solutionis (ne quid dissimulem) est alter locus S. Augustini; nec Theologi in eo explicando unam, eamdemque ineunt viam (Vid. P. Berti Lib. XVII. *de Theol. discipl.* cap. 4. art. 12.). Est tamen aliquod Christum inter atque Ecclesiam discrimen: quia ista non orat pro sola institutione remediorum, quod ad sufficientiam pertinet, sed pro efficaci eorumdem remediorum applicatione, ut fideles eorum ope salutem consequantur æternam; quæ oratio supervacanea esset pro iis, quos æterno igni jam destinatos esse constaret. Christus autem oratione, ac morte sua, placata divina justitia Patris, remedia instituit, quæ omnibus ad salutem consequendam plane sufficerent; *sicut si medicus*, inquit S. Thomas antea laudatus, *faciat medicinam, ex qua possint quicumque morbi sanari, etiam in futurum;* quamquam ex causis justissimis, sed nobis ignotis noluerit hæc remedia omnibus efficaciter applicari.

187. S. autem Thomas duplicem Christi orationem distinguit, alteram, quæ est secundum voluntatem rationis; & hæc semper exaudita fuit; unde de hac dicebat Patri: *sciebam, quia semper me audis*. Hac voluntate certe non oravit pro omnibus crucifixoribus, sed pro iis tantum, qui prædestinati erant, ut per ipsum vitam consequerentur æternam; alteram, quæ ex voluntate antecedenti, vel, ut ipse loquitur, ex *voluntate sensualitatis*, & ex *velleitate* procedit, quæque inefficax fuit, saltem quantum ad principalem effectum, nempe ad ipsam salutem; & hac voluntate certum est, orasse Christum pro aliis non prædestinatis, immo pro omnibus. Vid. nota ad n. 183. (*a*).

188. Ob. secundo. Sec. IX. in Concilio Lugdunensi præside S. Remigio repudiata fuere quatuor capitula Synodi Carisiacæ paulo ante celebratæ, quorum quartum hoc erat: „ Christus Je„ sus Dominus noster, sicut nullus homo est, „ fuit, vel erit, cujus natura in illo assumta non „ fuerit, ita nullus est, fuit, vel erit homo, pro „ quo passus non fuerit, licet non omnes passio„ nis ejus mysterio redimantur “; atque expresse definitum fuit, Christum pro impiis, ac reprobis hominibus passum non esse, sed solum pro electis. Quod iterum confirmavit S. Remigius tum in libro *de tenenda veritate scripturæ*, tum in alio opere inscripto *de tribus epistolis*. Cum Ecclesia Lugdunensi conspiravit Synodus Valentina, iterum damnatis capitulis Carisiacis (vide sup. num. 166.). Ad hæc S. Prudentius Tricassinus Episcopus in epist. ad Wenilonem Senonensem credendum, & confitendum proponit: „ cum omni„ bus Catholicis, sanguinem D. N. J. C. pro o„ mnibus hominibus ex toto mundo in eum cre„ dentibus fusum; non autem pro illis, qui nun„ quam in eum crediderint, nec hodieque cre„ dunt, nunquamque credituri sunt „. Quam suam sententiam a Nicolao Pontif. Roman. confirmatam fuisse scribit in *Annal. Regum Francor.* ad ann. 858. apud Hincmarum in epist. ad Egilonem.

189. Resp. magnum illud dissidium, quod Sæcul. IX. inter quasdam Ecclesias Gallicanas viguit, fuisse potius in facto, quam in dogmate; & quamvis utriusque partis doctrina videretur e diametro opposita, reipsa tamen nonnisi verborum dissensio fere erat: videlicet quod de generali, atque antecedente Dei voluntate Synodus Carisiaca statuerat, alii de voluntate consequente, atque efficaci verum esse negabant.

190. Hanc, & non aliam fuisse cum S. Remigii, tum Synodi Valentinæ mentem, liquet pri-

(*a*) Mirabile omnibus visum fuit, quatuor Doctores Universit. Duacenæ ausos fuisse in infelici illa censura, quam anno 1722. ediderunt, proscripta autem fuit a S. Congreg. Rom. 18. Julii 1729. aliquod nigrum theta nostro S. Doctori præfigere, quasi nulla distinctione adhibita omnem Christi orationem ad solos electos restrinxerit. Vid. Honoratus a S. Maria Carmel. Discalc. in suis *animadv.* ad dictam censuram, P. Graveson in epist. 8. Classe II., & P. Billuard Tom. II. *Theol.* dissert. 7. art. 7. §. 4.

primo, quia S. Remigius generalem voluntatem salvandi omnes Deo tribuit, ut patet ex ejus verbis supra num. 27. De Christo autem sic loquitur cap. 20. *si inveniuntur aliqui Patrum, qui etiam pro impiis in sua impietate permansuris Dominum crucifixum dicant .... si placet, sicuti & nobis multum placet, ut etiam istorum sententia ex pietate vivens .... non renuatur.* Secundo quia ann. 859. convenientibus Gallicanis Episcopis ad Synodum Tullensem I., Lingoniensem, & Tullensem II., Synodi Valentinæ decreta confirmata sunt, erasa tamen ab illis censura contra Capitula Carisiaca; unde aperte colligitur, aut censuram illam fuisse apocrypham, scilicet ab Ebbone Gratianopolitano insertam canoni Valentino ob occultas, quas cum Hincmaro gerebat simultates, quod nonnulli sunt suspicati; aut (quod probabilius est) compertum demum fuisse, Carisiac: Concilii decreta cum Valentina Synodo, quod doctrinam spectat, nulla ratione pugnare (a).

191. Verba autem S. Prudentii, & si quæ sunt hujus generis alia, ita explicari debent, ut fructus passionis Christi nonnisi ad eos pertineat, quibus meritum ejusdem passionis per fidem communicatur, quamquam Christus pro omnibus sufficientia pretii mortuus sit.

192. Ob. ult. Multorum S. Augustini discipulorum sententia est, nonnullis peccatoribus obduratis, atque etiam infidelibus *negativis* vel ipsa auxilia sufficientia deesse. Præterea id plusquam certum est de parvulis in utero materno decedentibus, quibus baptismus conferri nequit: qua igitur ratione istorum salutem velle censebitur Deus, aut pro illis mortuus dicetur Christus?

193. Resp. ex quo Christus mortuus sit pro omnibus *sufficientia pretii*, colligi non posse, omnibus reipsa conferri auxilia ad salutem sufficientia; sed solum esse ab ipso instituta remedia, quæ pro omnium salute sufficerent, si omnibus applicarentur. Quemadmodum recte quis diceret, serpentem æneum a Moyse olim erectum in deserto fuisse remedium sufficiens pro omnibus, & singulis, quos igniti serpentes momorderant, quanquam ut sanarentur, ejusdem ænei serpentis virtus ipsis applicari debebat. *Meritum Christi*, inquit S. Thomas qu. 29. *de verit.* art. 7. ad 4. *quantum ad sufficientiam æqualiter se habet ad omnes, non autem quantum ad efficaciam, quod accidit partim ex libero arbitrio* (scilicet ut causa proxima), *partim ex divina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur, quibusdam vero justo judicio subtrahitur*. Et ibidem ad 8. *meritum Christi*, ait, *sufficienter operatur ut quædam causa universalis salutis humanæ; sed oportet hanc causam applicari singulis per sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur*. Recte igitur Christus Dominus dici potest etiam pro peccatoribus obcæcatis, infidelibus, & parvulis mortuus: quamquam plurimis eorum non conferantur, immo nec conferri possint auxilia sufficientia. Vid. censura Lovaniensis supra relata in not. ad numer. 113.

194. Ex hactenus dictis colliges primo, quo sensu Christus dici possit pro omnibus mortuus; & primo quidem, quantum ad sufficientiam pretii, quod Sanctus Thomas ubique fere repetit; qui quidem sensus obvius est, & sanctis Patribus admodum familiaris (b).

195. Secundo Christus dici potest mortuus pro omnibus hominibus; quatenus, ut S. Thomas observat 3. P. quæst. 49. art. 5. *per passionem Christi liberati sumus a peccato communi totius humanæ naturæ, & quantum ad culpam, & quantum ad reatum pœnæ, ipso solvente pretium pro nobis*. Et quidem, ut iterum idem S. Doctor observat ibid. ad 1. *nullius fides, vel justitia sufficiebat ad removendum impedimentum, quod erat per reatum totius humanæ creaturæ; quod quidem remotum est pretio sanguinis Christi*. Quo sensu etiam Ecclesia in Orat. post Oct. Paschæ Christum dicit fuisse hostiam, *quæ in ara Crucis immolata totius mundi tulit offensam*.

196. Tertio dici debet Christus mortuus pro omnibus, quia ut sæpius laud. S. Thomas advertit, ac præcipue quæst. 29. *de gratia* art. 7. *opus Christi, inquantum erat Dei, & hominis, habuit quandam dignitatem, ut æquivaleret bono totius naturæ: & ideo pro tota natura satisfacere potuit*. Et iterum ibid. ad 6. *ad satisfaciendum pro reatu naturæ humanæ, quæ erat morti ex divina sententia obligata .... oportuit, quod loco omnium mortem sustineret*.

197. Quarto Angelicus Præceptor Christum eo etiam sensu pro omnibus mortuum esse dicit, *quia sua passione nos a peccatis liberavit causaliter; idest instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandocumque remitti, vel præterita, vel præsentia, vel futura. Sicut si medicus faciat medicinam, ex qua pos-*

(a) De hac controversia in causa Gotteschalchi consuli possunt Nat. Alexander *Hist. Eccl.* Dissert. 5. in Sæc. IX. §. 2. Mauguinus in *Vindiciis prædestinat. & gratiæ* Tom. II., ejusque abbreviator Cardin. Norisius in *Synopsi hæresis prædestinatianæ*, aliique.

(b) Petavius Lib. X. *de prædestinat.* cap. 5. n. 2. hanc loquendi formulam Theologis communem esse testatur, inquiens: *quod Theologi in scholis exponunt sic: sufficienter pro omnibus passum esse* (Christum), *sed pro solis electis efficaciter, ut Andreas Vallius, præceptor olim meus, in notis ad librum de tribus epistolis Lugdunensis Ecclesiæ adnotat: vel quod idem est, solos prædestinatos Christi Sanguine, ac morte fuisse redemptos, tametsi omnibus redimendis idoneum illud pretium fuerit.*

possint quicumque morbi sanari, *etiam in futurum*. 3. P. q. 49. artic. 1. ad 3.

198. Denique etiam Christus dici potest mortuus pro omnibus hominibus voluntate antecedente; atque ex eadem voluntate omnibus præparasse auxilia ad salutem sufficientia; qui dicendi modus etiam Thomistis arridet; qui tamen in eo Molinistis longe distant, quod non concedunt, per ea auxilia sufficientia a Deo id totum conferri, quod necessarium est ad bonum reipsa operandum, atque in eo usque ad finem perseverandum, ita ut nihil aliud a Deo petendum sit, & unice a nostro arbitrio nostra salus dependeat. Sed contendunt, a Dei, & Christi Domini voluntate consequente repetendum postremo esse totum id, quo reipsa electi salutem consequuntur æternam (a).

199. Ceterum, ut bene Thomas de Lemos advertit in *Panoplia gratiæ* Tom. II. tract. 5. in fine, ut Christus dicatur *cum omni proprietate* omnium redemptor, non est necesse ut omnibus reipsa conferantur auxilia sufficientia, sed satis est, quod ejus mors *virtutem sufficientem habeat ad omnes salvandos; & quod pro omnibus nullo excepto salutis remedia* (Christus) *instituerit*, *& quod omnibus in universum possit Christus illa salutis sufficientia remedia dare: & quod omnibus talia auxilia, & remedia sufficientia per Christum sint exposita, & parata .... Timeo namque*, subdit *cum* Sanctis Augustino, & Prospero, *ne dum prætextu pietatis omnibus contendimus dari gratiæ generalia auxilia, ipsa ponamus naturæ debita. Et quidem argumentum de parvulis decedentibus absque auxilio gratiæ illis sufficienter applicato, quo triumphavit Augustinus, magnum est, & quid in hac causa tenendum sit, satis aperte demonstrat*. Hactenus doctissimus Lemosius.

200. Colliges secundo, potiore quodam jure Christum mortuum esse pro iis, qui ad gratiam baptismi, & justificationis perveniunt, etsi in ea usque ad finem non perseverent; nam omnia auxilia gratiæ, quæ isti accipiunt, ut ad finem, & justificationem perveniant, ea insuper, quæ quamdiu in accepta justitia fideliter perseverant, abunde consequuntur, omnia in eos a Christi passione, tanquam a fonte profluunt. Quomodo ergo negari potest, Christum pro iis mortuum esse, & quidem ex aliqua voluntate eos salvandi? Sed hæc voluntas efficax est in collatione auxiliorum, inefficax autem in ipsa salute.

201. Hinc S. Augustinus non dubitavit, baptismum quasi secundam Christi redemptionem appellare. *Cum semel*, inquit Lib. VI. *cont. Julianum* cap. 13. *sit mortuus*, *tamen pro unoquoque tunc moritur*, *quando in ejus morte*, *quantælibet ætatis fuerit*, *baptizatur; idest tunc ei proderit mors ejus*, *qui fuit sine peccato*, *quando in ejus morte baptizatus mortuus fuerit etiam ipse peccato*, *qui mortuus fuerat in peccato*. Et S. Remigius, *de tribus epist.* pro iis qui ad baptismum pervenerunt, vel qui ad fidem aliquando vocandi sunt, quanquam in ea minime sunt perseveraturi, *Jesum Christum crucifixum esse*, *ut eos redimeret*, *fideliter credendum esse*. Et in alio opere *de tenenda verit*. *Scripturæ* hæc habet: *catholica fides tenet*, *& Scripturæ Sanctæ veritas docet*, *quod pro omnibus credentibus*, *& per gratiam baptismi ex aqua*, *& Sancto Spiritu regeneratis*, *& Ecclesiæ incorporatis vere Dominus*, *& Salvator noster sit passus; tametsi gratiam illam suo vitio in se irritam faciant*.

202. Et hæc sufficiant de hac materia, quæ nobis digna visa est, ut accurate, copioseque tractaretur; est enim, ut eam recte appellat Thomas de Lemos, *veritas fundamentalis*; & nisi cautissime procedatur, facile est in damnatos Pelagianorum, ac Semipelagianorum errores prolabi. Quamobrem multi putant, Theologis satius fuisse, omnia S. Scripturæ loca de sola voluntate consequenti, quæ electos unice respicit, cum S. Augustino explicare, quam tot, tantisque difficultatibus se exponere. Nos tamen S. Thomæ, aliorumque Doctorum vestigia secuti sumus, via quidem aliquanto asperiore, sed certe tuta. Quod si aliquis humana infirmitate error obrepsisset, cum religiosa docilitate revocare parati sumus.

CAPUT IV.

De divinæ voluntatis libertate.

203. Duplex est libertas, alia *voluntatis*, seu immunitas ab externa vi, & coactione; alia *arbitrii*, seu immunitas nedum a coactione, sed etiam a vera, & absoluta necessitate. Prima est, quando aliquid necessario quidem agimus, ita ut non possimus non agere, agimus tamen sponte, ac lubenter. Sic in hac vita bonum in communi ita necessario prosequimur, ut malum, quatenus malum, velle non possimus; & sic etiam in futura beata vita Deum summum bonum diligemus necessario quidem, minime tamen coacti, seu contra voluntatem. Libertas autem arbitrii, quam Theologi, vocabulo quidem minus accurato, sed in scholis jam recepto, vocant *indifferentiæ*, ea est, qua ita libere volumus, ut possimus etiam non velle; quamque facilius est intima conscientia percipere, quam verbis explicare.

204. Esse in Deo libertatem voluntatis, seu immunitatem a coactione, nemo unquam inficias ivit. Quis enim ita insaniat, ut putet, Deum Omni-

(a) Vid. Natalis Alexander *Theolog. dogmat. & moral.* Lib. I. *de fide & symbolo* art. 5. §. 9., & P. Massoulie Dissert. 4. *de gratia Idem* qu. 3. art. 8. præter alios multos.

mnipotentem posse ab aliqua externa vi cogi? Sed libertatem arbitrii multi Deo eripere conati sunt. Et primo quidem aliqui Philosophi, quos memorat S. Thomas Lib. II. *Cont. Gent.* cap. 25.; nempe ii omnes, ni fallor, qui mundum fuisse ab æterno ideo statuebant, quia ex necessitate naturæ suæ illum produxisse putabant.

205. Hunc autem veterum Philosophorum errorem Sæc. XII. suscitavit celebris Petrus Abælardus, asserens nempe Deum necessitate fuisse compulsum ad mundum creandum, quia Deus, utpote summe bonus, nonnisi id, quod est optimum, facere potest. Magnis tamen difficultatibus pressus se id *sine aliqua obstinationis assertione* proferre contestabatur; ac demum S. Bernardo, aliisque majorem in modum exagitatus palinodiam canens, hunc etiam inter alios suos errores ejuravit (*a*).

206. Dei libertas iterum negata fuit sæculo XIV. ab impio Jo. Wiclefo Anglo (*b*); tum postea Sæc. XVI. a Luthero, Bucero, Calvino (apud Bellarminum Lib. II. *de gratia & lib. arb.* cap. 15.); ac demum sæculo elapso a Bened. Spinoza (I. P. *Ethicæ* prop. 33.); quanquam hic fortasse Deum, nonnisi nomine tenus admittebat.

207. Porro quando agitur de Dei libertate, sermo non est de actionibus *ad intra*, nempe de sui ipsius cognitione, ex qua gignitur Filius, & de amore, quo Spiritus sanctus procedit; nemini enim dubio est, actiones istas esse necessarias. Sed quæstio est solum de actionibus *ad extra*; cujusmodi sunt hujus mundi creatio, dispositio, gubernatio &c.

208. Jam vero esse in his actionibus summam in Deo libertatem prob. primo ex sacris litteris. Ps. CXXXIV. 6. dicitur, *omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari & in omnibus abyssis*. S. Paulus Ephes. I. 11. de Deo inquit: *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*. Et ut infinita alia loca omittam, 1. Corinth. XII. 11. *Hæc omnia*, inquit idem S. Paulus, *operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult*. Hæc autem Apostoli verba ita explicat S. Ambrosius Lib. II. *de fide* cap. 3. *prout vult*, *idest pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio* (*c*).

209. Prob. secundo multiplici ratione. Primo. Libertas est perfectio pura, seu *simpliciter simplex* naturæ intellectualis, quæ proinde Deo omnium perfectionum fonti absque summa injuria denegari non potest: unde Tertullianus Lib. II. *contra Marc.* cap. 5. *nullam magis in homine imaginem & similitudinem Dei* se animadvertere dicebat, quam liberum arbitrium.

210. Secundo. Si Deus aliqua necessitate adstrictus foret, illud etiam consequeretur, omnia, quæ in hoc universo sunt, esse necessaria, nec potuisse aliter evenire, ac reipsa eveniunt. Hoc asserit quidem Spinoza: sed nescio, an quidquam dici possit magis a communi, rectoque sensu abhorrens. Quæ enim necessitas fuit, ut corpora cælestia ex. gr. tanta omnino, & non majore, vel minore celeritate revolverentur? Ut talis, & non major, vel minor esset astrorum, vegetabilium, atque hominum multitudo? Uno verbo, ut omnia tali, & non alio numero, pondere, ac mensura continerentur.

211. Tertio. Poterat Deus singulas creaturas, imo plane omnes non condere; a nulla enim causa ad creandum universum adstringi potuit, cum sit ipse prima rerum omnium causa; neque a propria indigentia, cum sit Dominus omnium, & nullius indigens; neque ab indigentia mundi, qui tunc non erat; a nulla denique re, cum nihil sit cum divina voluntate indivulse connexum. Hinc quemadmodum a tota, ut ita dicam, retro æternitate solus Deus sine creaturis beatissimus erat, ita potuisset sine ulla suæ felicitatis jactura semper omnibus creaturis carere: liberrime ergo eas, quando voluit, quas voluit, & quomodo voluit, ex nihilo extraxit. Cum enim, inquit Angelicus I. P. q. 19. artic. 3., *bonitas Dei sit perfecta, & esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur, quod alia a se eum velle, non sit necessarium absolute*. Vid. etiam Lib. I. *Cont. Gent.* cap. 81., & Lib. II. cap. 23., ubi alias ad id confirmandum rationes affert; ac qu. 24. *de verit.* art. 5.

212. Ob. primo cum Abælardo loc. laud. p. 1356. S. Hieronymus in cap. IV. Dan. ad v. 32. *Non enim*, ait, *quod vult, hoc facit, sed quod bonum est, hoc vult Deus*. Quod perinde est ac si diceret: Deus non quod vult, sed tantum quod bonum est, facere potest: ergo &c.

213. Resp. neg. cons.; nihil enim aliud S. Hieronymus docet, nisi Deum non posse velle malum (*d*); tantum abest, ut posse malum velle ad essentiam libertatis pertineat, ut potius sit maximus

(*a*) Petrus Abælardus hunc errorem habet in sua *Theologia Christiana*, quæ extat Tom. V. *Novi Thesauri ant.* PP. Martene, & Durand col. 1363. & sequ. Retractatio autem ejusdem Abælardi prostat apud P. Bertrandum Tissier in *Biblioth. Cisterc.* Tomo IV. sub hoc titulo: *Responsio Petri Abælardi contra calumnias objectorum*. Synopsim vitæ Abælardi exhibet Natalis Alexander Dissert. VI. in Sæc. XII.

(*b*) Videri potest de hoc Wiclefi errore insignis ex Instituto Carmelitarum scriptor Thomas Waldensis in opere, cui titulus *Doctrinale antiquitatum fidei Ecclesiæ catholicæ* tribus tomis in fol. comprehenso Tom. I. Lib. I. cap. 10.; tum Bossuetus *Hist. des variations des Eglises Protestantes* Lib. XI. cap. 153.

(*c*) Alia S. Script., & Sanct. Patrum testimonia si quis desiderat, adeat Dion. Petavium L. V. *de Deo*, c. 4.

(*d*) Explicat S. Doctor ea verba Nabuchodonosor;

mus libertatis defectus. Peccatum enim vel ab ignorantia, vel ab animi perturbationibus oritur, quæ omnia in Deum cadere non possunt. Unde recte ita colligebat S. Augustinus Lib. XXII. *de civit. Dei* cap. 30: *Numquid quia* (Deus) *peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Vid. S. Thomas quæst. 24. *de verit.* art. 3. ad 3.

214. Ob. secundo. Libertas arbitrii exigit tum electionem, tum indifferentiam; atqui neutra in Deo esse potest. Non *electio*, nam hæc præsupponit ancipitem animi perplexitatem, quæ in Deo esse nequit; quare S. Jo. Damascenus Lib. I. *de fide orthod.* cap. 22. negat in Deo esse electionem. Neque *indifferentia*; hæc enim infert suspensionem, quæ pariter Deo actui purissimo repugnat: ergo &c.

215. Resp., duplicem esse tum electionem, tum indifferentiam. Alia est electio, quæ animi perplexitatem, ac suspensionem consequitur, eo quod res, de qua deliberator, perfecta intime non est, & hæc certe in Deum non cadit. Alia vero est electio sine ulla hæsitatione, quam solam ponimus in Deo, qui, cum ipsi omnia nuda, & aperta sint, sine hæsitatione eligit, quidquid vult (a). Similiter alia est indifferentia *passiva*, & *subjectiva*, ut Scholastici loquuntur, seu indeterminatio, & suspensio ab actu, quæ in creaturis reperitur, non autem inveniri potest in Deo. Alia vero est indifferentia *activa*, qua Deus ita unum vult, & facit, ut potuerit absolute illud non velle, & non facere. Et hæc perfectio est, qua Deus carere non potest.

216. Ob. tertio. Deus creaturas amat, & vult, non propter seipsas, sed relate ad suam bonitatem, quæ est rerum omnium finis; atqui Deus suam bonitatem non libere vult, sed necessario: ergo &c.

217. Resp. cum S. Thoma I. P. quæst. 19. art. 3. ad 2., *quod licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea, quæ vult propter bonitatem suam, quia bonitas ejus potest esse sine aliis*. Alia insuper est libertas in Deo, qua potuit has, vel illas pro suo arbitrio creaturas ad suam gloriam manifestandam producere; ut aliquis excellens artifex, qui diversis instrumentis *æqualiter* uti potest ad idem opus faciendum. Paritas est Sancti Thomæ Libro I. *Cont. Gent.* cap. 82.

218. Inst. Creaturæ sunt participatio quædam divinæ bonitatis: ergo si Deus necessario suam bonitatem amat, necessario etiam amat suas creaturas.

219. Resp. dist. cons., dum creaturæ jam productæ sunt, *conc.* antequam producantur, *nego*. In hoc sita est Dei libertas, ut pro nutu suæ voluntatis eas creaturas produxerit, quæ essent suæ bonitatis participes; & quidem in eo gradu, & in eo numero, qui illi magis placuit. Supposita autem creaturarum productione necessario illas amat, quæ necessitas hypothetica est, & amice cum libertate cohæret.

220. Inst. secundo. In Deo est idem esse, & velle; atqui necessario est: ergo etiam necessario vult.

221. Resp., in Deo essentiam, & voluntatem reipsa unum, idemque esse, distingui tamen *virtualiter*; quæ distinctio sufficit, ut etiam prædicata contradictoria vera esse possint; sicuti quamvis *paternitas* divina idem sit cum essentia, distinctio tamen virtualis sufficit, ut Filio, & Spiritui S. communicetur *essentia*, non autem *paternitas*.

222. Ob. ultimo. Deus est summe immutabilis; atqui cum summa immutabilitate libertas arbitrii consistere nullatenus potest; hæc enim postulat mutationem voluntatis saltem possibilem: ergo &c.

223. Resp., nodum hunc esse plane gordium, qui difficile quidem solvi potest, secari tamen facile potest. Nam, ut animadvertit insignis Theologus Bossuetus (in Tract. *de lib. arb.* cap. 4.), certissima sunt hæc duo, omnique argumentorum genere comprobata, Deum nempe esse liberrimum, & simul omnino immutabilem. Quod si imbecilli, & tenuissimo mentis nostræ lumini ratio, ac via non apparet, qua hæc duo simul concilientur, non ideo alterutrum negandum erit. Quot enim, & quanta sunt vel in ipso naturali rerum ordine, quæ existere certo cognoscimus, quomodo autem existant, aut simul cohæreant, plane ignoramus? Et hoc ad argumenti solutionem sufficit; absurdum enim esset, Dei libertatem, aut immutabilitatem, quæ tam revelatione, quam naturali ratione nobis certo innotescunt, per id tolli, quod nobis obscurum esse voluit Deus, nempe utriusque conciliationem. Concludo verbis ejusdem Bossueti: *nos duo veluti unius catenæ extrema manibus comprehensa tenemus, etsi omnes intermedios annulos, quibus hæc duo extrema connectuntur, non videamus*.

224.

justa voluntatem suam facit (Deus), *tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ*, quasi Nabuchodonosor sic locutus fuerit, *ut dum potentiam Dei prædicat, justitiam ejus videatur arguere, quod immerito pœnas sustinuerit*. Ad hunc ergo Nabuchodonosoris errorem excludendum S. Hieronym. dicit, Deum non facere, *quod vult*, idest injustitiam.

(a) *Ipsa ratio*, inquit S. Thomas I. P. qu. 22. art. 1. ad 1., *rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt*. Et Quæst. 24. *de verit.* art. 3. ad 4. *Quod electio*, inquit, *sequatur consilium, quod cum inquisitione agitur, accidit electioni, secundum quod invenitur in natura rationali, quæ veritatis notitiam capit per discursum rationis. Sed in natura intellectuali, quæ habet simplicem acceptionem veritatis, invenitur electio absque inquisitione præcedente, & sic electio est in Deo*.

224. Communior tamen fere hujus ænigmatis explicatio hæc est. Actio Dei libera duplici modo considerari potest; nempe vel absolute, & in se; & tunc, cum nullo modo distinguitur a Deo, necessaria est, & immutabilis; vel considerari potest, ut respicit externum opus, atque ad ipsum dirigitur: & sub hoc adspectu eadem actio Dei libera est, & mutabilis, quatenus ejus objectum contingens est, mutabile & liberum; quia *voluntas Dei non habet necessariam habitudinem ad illud*, ut loquitur S. Thom. Lib. I. Cont. Gent. cap. 83. Actus itaque liber nihil omnino Deo addit intrinsecum, distinctum a necessario; sed est ipsemet actus necessarius, prout tamen connotat creaturas, ad easque dicit habitudinem, & relationem non necessariam.

225. Quod autem idem actus & liber simul sit, & necessarius, oritur ex summa, & infinita Dei eminentia, & simplicitate, ob quam ea simplicissimo modo inveniuntur in Deo, quæ sunt divisa in creaturis. Et sicut eadem divina essentia potest esse & communicabilis, quatenus est essentia, & incommunicabilis, prout est paternitas; ita non repugnat, eumdem actum diversa ratione consideratum, necessarium esse, & liberum; necessarium, prout refertur ad Deum; liberum, prout connotat creaturas (*a*). Ceterum, ut bene observat S. Thomas l. c. immutabilitas Dei non aliam infert necessitatem, quam *conditionatam, & ex suppositione; sicut necessarium est, Deum velle animam rationalem esse, supposito, quod velit hominem esse:* non autem infert necessitatem *absolutam*, quæ soli libertati opponitur.

226. Nicolaus l' Herminier hanc viam conciliandæ simul divinæ libertatis cum summa ejusdem Dei immutabilitate, quam alioquin præ ceteris magis tritam, communemque esse fatetur, multis oppugnat rationibus, aliamque ipse ingreditur, quam longe planiorem reputat, quaque difficultates omnes resecari arbitratur. Nempe pro certo ponit, libertatem quidem, quatenus facultas activa est, perfectionem esse, & divinæ essentiæ attributum; ipsum tamen actum liberum, quatenus talis est, nullam perfectionem dicere, unde infert, potuisse in Deo non esse, quin ulla ipsi mutatio accideret; mutatio enim in eo solum posita est, quod subjectum acquirat, vel deperdat aliquam perfectionem. Actum autem liberum non esse perfectionem, multiplici ratione probare se posse confidit. Sed hæc doctrina paucos suffragatores invenit; vix enim Theologis persuaderi potest, actum liberum Dei, seu ipsum libertatis exercitium perfectionem non esse; cum quidquid est in Deo, summa, & infinita perfectio sit.

227. Omnem prorsus difficultatem primo aspectu declinare videntur Theologi illi, qui existimant, libertatem in Deo esse immunitatem a sola coactione, & physica necessitate, non autem a necessitate morali; hæc enim voluntatis libertas potest facillime cum divina immutabilitate conciliari. Sed isti dum unum vitant scopulum, in alterum offendunt, negantes Deo libertatem arbitrii; quæ sine dubio perfectio est *simpliciter simplex*.

228. Hanc postremam sententiam tueantur, necesse est, ut ego quidem reor, qui cum Leibnitio, & Wolfio mundi *optimismum* defendunt, seu nostrum mundum esse omnium perfectissimum, qui ab infinita Dei sapientia, & potentia condi potuerit. Nec alia de causa adductus fuisse videtur Petrus Abælardus ad Dei libertatem negandam, nisi quia si plura, aut meliora facere posset Deus, quam reipsa fecit, multum ejus bonitati derogaretur: unde inferebat, verissimam esse illam Platonis rationem, *qua probat, Deum nullatenus mundum meliorem facere potuisse, quam fecit* (*b*).

CAPUT V.

De efficacia divinæ voluntatis cum humana libertate concilianda.

229. Voluntatem Dei esse efficacissimam, seu omnia reipsa fieri, quæ Deus absolute fieri vult; Catholicorum nemo negat; cum id & Scripturæ sacræ, & ratio evidentissime demonstrent. Tota controversia exoritur de modo conciliandi efficaciam divinæ voluntatis cum libertate humana.

230. Convenit etiam inter Catholicos, ex æquo damnandos esse tum Pelagianos, qui, ut humanam libertatem tuerentur, divinæ voluntatis efficaciam sustulerunt; tum Prædestinatianos, qui ad divinæ voluntatis efficaciam defendendam, nullam esse veri nominis libertatem in homine pronunciarunt; quorum hæresi subscribunt quicumque quartam Jansenii propositionem ab Ecclesia proscriptam defendunt, scilicet *ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione*.

231. Qui Molinam sequuntur, docent, voluntatem Dei, ut efficax est, nostræ voluntatis determinationem, saltem ut per scientiam mediam prævisam subsequi. Nempe Deus ope scientiæ mediæ spe-

(*a*) Videri potest hæc solutio breviter, & quoad fieri potest, clare explicata apud Car. Witassium Tom. I. quæst. 13. art. 3. sect. 2., tum apud Du. Hamel Lib. IV. Dissert. 2. cap. 2. Qui autem plura desiderat, adeat Vinc. Contensonium in *Theologia mentis, & cordis* Lib. II. dissert. 4. c. 2. speculat. 2., aliosque passim Scholasticos.

(*b*) Videri possunt P. Thoma Vinc. Moniglia *nella Dissert. contra i Materialisti* Tom. II. Par. 3. sezion. 3. osserv. 7., & Par. 4. sez. 4., Petavius Lib. V. *de Deo* cap. 5., Auctor *de l' action de Dieu sur les créatures* Sect. 6. P. 2. c. 4., & alii non pauci, qui Leibnitii, & Wolfii *Optimismum* impugnarunt.

speculatur, quid voluntas humana in certis circumstantiis constituta, certisque auxiliis corroborata *pro innata sua libertate* factura esset: deinde, ut quod vult efficiat in nobis, iis utitur mediis, quibus voluntatem nostram certissime movendam esse, eadem scientia sua futurorum conditionatorum exploratrice cognovit; atque hoc modo facile salvatur hominis libertas: sicuti facile intelligitur, Principem ex. gr. liberum esse, etiamsi sagax, expertusque consiliarius modos cognoscat, quibus ejus animum ad sua consilia sequenda inflectat. Sed non ita facile, imo nullo prorsus modo, ut ego quidem reor, salvari simul potest summa, & omnipotens divinæ voluntatis efficacia.

232. Qui vero contra Molinianos gratiam esse vi, & natura sua efficacem cum sanctis Augustino, & Thoma defendunt, rejecta scientia media, hominis libertatem alia prorsus ratione sartam, tectamque manere ostendent. Et quidem Theologi Scholæ Augustinianæ systema delectationis victricis amplexantes in eo salvari hominis libertatem dicunt, quod nunquam objectum in hoc rerum statu sub omnimoda ratione boni proponatur: quo fit, ut nihil ita delectet, quin possit voluntas excitatis aliis cogitationibus, & affectibus illud repudiare. Consul. P. Laur. Berti Lib. IV. *de theol. discipl.* cap. 13.

233. Hic dicendi modus etiam Thomistis arridere potest, qui post Angelicum Præceptorem docent, primam libertatis radicem esse indifferentiam judicii, qua potest objectum sub diversis adspectibus, & gradibus bonitatis, & malitiæ voluntati repræsentari, ut in Tract. *de actibus humanis* explicari solet.

234. Sed illud postea Thomistæ necessario addendum esse existimant, totam videlicet divinorum decretorum efficaciam esse in physica Dei præmotione repositam, qua Deus nostras voluntates, non moraliter solum, sed physice ad agendum determinat, ut illud agamus in tempore, quod ipse ab æterno decrevit; quum divina præmotio tantæ efficacitatis est, ut non solum substantiæ actus, sed etiam ejusdem libertatis sit causa.

235. Porro hoc loco minime disputabimus de physicæ præmotionis necessitate; sed cum iis solum tota nobis controversia erit, qui divina decreta prædeterminantia ad Thomistarum mentem vocant *inextricabilia*, *adamantina*, *& fatalia*; & cum iis humanam libertatem conciliari posse negant (a).

236. Antea tamen necessarium ducimus breviter in memoriam revocare, quid physica præmotio sit, quod in Philosophia explicari uberius solet. Definiri autem potest ex S. Thoma quæst. 3. *de potentia* art. 7. ad 7. *motio Dei actualis*, *& transiens*, *qua Deus voluntatem ad agendum determinat*, *& actioni applicat*. S. Doctor ibi utitur exemplo artificis, cujus motione instrumentum indiget, ut operetur. Vid. etiam Lib. III. *Cont. Gent.* capp. 70. & 89. Rude exemplum, & imperfectum exhibet Angelicus, quale haberi potest; nam instrumentum ab artifice *passive* tantum movetur; voluntas autem nostra cum sit potentia activa, ita movetur a Deo, ut etiam seipsam *active*, & libere moveat; quod caute animadvertendum est, ne in Calvini insaniam incidamus, qui præmotionem divinam humanæ libertati tyrannica vi dominari, blasphemabat. Dicitur autem hæc *motio prævia*, seu unico verbo *præmotio*, quia ut inquit Angelicus Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 149., *motio moventis præcedit motum mobilis ratione*, *& causa* (b).

237. Hisce breviter expositis modo nobis demonstrandum est, decreta Dei prædeterminantia, & ex se efficacia ad sensum Thomistarum humanam non tollere, aut lædere libertatem. Hoc autem luculenter eruitur primo ex sacris litteris, in quibus non minus asseritur libertas hominis, quam summa divinæ voluntatis efficacia, quæ talis est, ut ipsa opera nostra in nobis operetur. Isaiæ XXVI. 12. *Omnia opera nostra operatus es in nobis*, Domine (c). Philipp. II. 13. de Deo inquit Apostolus: *operatur in nobis velle*, *& perficere pro bona voluntate*; & multis aliis utriusque testamenti locis brevitatis causa prætermissis, aperta sunt verba Christi Domini Joan. VI. 44.: *Nemo* *pot-*

(a) Augustiniani recentiores, quanquam præmotionem physicam rejiciunt, censent tamen, eam libertati humanæ minime officere. Vid. P. Laur. Berti Lib. IV. *de theol. discipl.* cap. 6. n. 9., qui etiam ibid. n. 1. profitetur, *se cum Thomistis efficeces præmotiones propugnare in operibus status naturæ lapsæ*, *quæ efficiuntur ab hominum arbitrio victrice gratia suffulto*. Vid. etiam Gasp. Juenin *Instit. Theol.* Tom. IV. dissert. 2. cap. 3. art. 3.

(b) Aliqui Peripatetica philosophia enutriti physicam præmotionem putarunt esse qualitatem, seu entitatem quamdam incompletam, & transeuntem voluntati impressam. Hanc sententiam tribuit Thomistis auctor libri, cui titulus: *Scrutinio del libro intitolato: Difesa della Dottrina di S. Agostino &c.* in præfat. n. 9. & seq., sed immerito. Audiatur P. Antonin. Massoulié Tom. I. *De div. mot.* Dissert. 1. quæst. 3. art. 15., ubi postquam multa ex S. Thoma in hanc rem attulit, ita demum concludit: *ex his liquet*, *quæ sit vera*, *& propria ratio divinæ motionis præviæ*, *ac physicæ*. *Et equidem vis aliqua causis secundis superaddita*, *& impressa a Deo*, *qua ab ipsomet Deo applicantur*, *& moventur: sed ea vis proprie qualitas dici non potest*, *ut sit incompletum quid*, *& diminutum*, *nec directe in prædicamentis reponatur*. *Immo nec corporea proprie*, *nec spiritualis eadem ratione dicenda est; sed tamen utramque appellationem subire potest*. *Est enim & qualitas*, *seu vis activa transiens*, *& in motu*, *& motus quidam activus*, *seu motio*, *ut diximus*, *virtuosa*, *incorporea*, *quod minime sensibus pareat*, *sed in causis physicis*, *& corporeis corporea*, *in substantiis autem spiritualibus spiritualis*, *& incorporea*, *quod ad similes effectus reducatur*.

(c) Ita legit Angelicus post veteres Patres. Vulgatus tamen Interpres omittit particulam in, atque ita habet: *omnia opera nostra operatus est nobis*.

potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Hæc & alia multa physicam Dei omnipotentis in nobis operationem luculenter declarant: cum illa ergo certo componitur etiam nostra libertas, quamvis modus utriusque conciliandæ non ita facile appareat, quod in omnibus aliis mysteriis contingit.

238. Prob. secundo ex S. Thoma, qui Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 89. *Quidam*, inquit, *non intelligentes, qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit, absque præjudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates* (sacræ scripturæ mox a nobis allatas) *male exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle, & perficere inquantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, vel illud*. Quam interpretationem allatis auctoritatibus Sacræ Scripturæ repugnare ostendit, concludens; *non solum virtutem volendi a Deo nos habere, sed etiam operationem*. Quod ulterius explicat exemplo artificis, *in cujus virtute agit instrumentum*.

239. Et I. P. qu. 83. art. 1., ubi libertatem arbitrii humani data opera vindicat, hanc sibi difficultatem objicit tertio loco: *Liberum est, quod sui causa est, ut dicitur I. Metaph., quod ergo movetur ab alio, non est liberum, sed Deus movet voluntatem; dicitur enim Prov. XXI.: Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud, & Philipp. II. Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere: ergo homo non est liberi arbitrii*. Jam vero quidnam huic argumento respondet Angelicus? Negatne, hominis voluntatem a Deo præmoveri, ut ejus tueatur libertatem? Nihil minus. En integram totius difficultatis solutionem: *Dicendum, quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum, non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis faciat: operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem*. Idem repetit totidem fere verbis 1. 2. quæst. 10. art. 4., aliisque in locis. Nec unquam aliter libertatem humanam cum divina voluntate conciliari posse putavit, nisi quia divina motio, utpote infinitæ virtutis, naturas rerum non destruit, sed perficit; atque ejusmodi est, ut causas necessarias moveat, liberas libere, producens nedum motum voluntatis, sed etiam ejusdem motus libertatem.

240. Neque vero quis suspicetur, Angelicum loqui de motione morali dumtaxat, non autem de motione physica. Etenim de ea motione loquitur, qua Deus movet tam naturales causas, quam voluntarias; causæ autem naturales motionis moralis capaces non sunt: loquitur ergo de motione physica, quæ utriusque generis causæ indigent.

241. Præterea Dei motionem indeclinabilem esse dicit. *Si Deus*, inquit 1. 2. qu. 10. art. 3. ad 3. *voluntatem ad aliquid movet, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur*, hujusmodi certe non est motio moralis.

242. Tertio sæpe docet, solius Dei esse voluntatem movere, utique motione physica: nam motione morali, cujusmodi sunt exhortationes, promissiones, minæ &c., etiam homo, vel Angelus nos movere potest.

243. Demum, si de motione morali loqueretur, non video, quænam esset difficultas, ut cum ea libertas arbitrii conciliaretur. Quis enim consiliis, precibus, exhortationibus, aliisque hujus generis modis libertatem tolli somniavit?

244. Alia etiam ratione, eaque luculentissima Angelicus Doctor probat, Deum suis decretis prædeterminantibus nullam nobis necessitatem imponere; ratione inquam ducta ex summa divinæ voluntatis efficacia. *Cum enim*, inquit I. P. quæst. 19. artic. 8. *aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id, quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, & essendi*. Ex quo principio ita postea concludit: *cum igitur voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed & quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri*: cum ergo Deus velit non solum ut nostra voluntas moveatur, sed etiam ut moveatur libere, ex divinæ voluntatis efficacia sequitur, non solum ut moveatur voluntas, sed etiam ut libere moveatur.

245. Et sane, si, ut Adversarii contendunt, voluntas potest seipsam movere, & determinare, & quidem liberrime, cur eam non poterit etiam Deus movere, & determinare salva ejusdem libertate? *Sicut voluntas*, inquit Angelicus quæst. 22. *de verit.* art. 8. *potest immutare actum suum in aliud, ita & multo amplius Deus*. Anne aliquid erit, quod homo facere possit, non possit autem Deus (a)?

246. Immo vero cum hujusmodi libera voluntatis determinatio aliqua perfectio in homine sit, & quidem magna (perfectior enim est sine dubio vo-

(a) Id vidit etiam ethnicus Cicero sola natura duce; nam Libro I. *de divinat.* cap. 53. *Si animal omne*, ait, *ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque, quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit, eaque ante efficit pene, quam cogitat; quanto id Deo est facilius, cujus numini parent omnia?*

voluntas libere agens, quam ipsa voluntas duntaxat agere potens); omnino dicendum est, Deum suæ voluntatis efficacia hanc quoque perfectionem in homine producere, ut nihil prorsus boni in nobis sit quod Deo in acceptis referre non debeamus; alias Deus non erit omnium omnino rerum causa universalissima.

247. Neque nobis aliquis negotium facessat dicendo, Deum esse causam voluntati extrinsecam, ac propterea non posse eam eodem prorsus modo a Deo determinari, quo a seipsa determinaretur. Non, inquam; in hoc enim falluntur Adversarii, quod non considerant, libertatem nostram non esse causam primam, atque independentem, sed secundam, quæ Deo tam in sua potentia, quam in ipso exercitio subjecta esse debet. *Moveri voluntarie*, inquit Angelicus l. P. quæst. 105. art. 4. ad 2. huic ipsi difficultati respondens, *est moveri ex se, idest a principio intrinseco. Sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco; & sic moveri ex se non repugnat ei, quod movetur ab alio*.

248. Immo mihi quidem absurdissime loqui videntur, qui dicunt, potuisse quidem Deum humanam voluntatem liberam creare, non autem posse eam libere movere; libertatem ei elargiri, non autem ipsius libertatis exercitium; quasi Deus minus in homine possit ad bonum operandum, quam homo ipse possit in seipso. S. Augustinus *de corrept. & grat.* cap. 14. clamat, *Deum habere magis in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*. Et S. Fulgentius *de Incarnat. & gratia* cap. 29., *Itane*, inquit, *rerum ordo credi, putarive permittitur, ut Deus, qui creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare? Et qui nullius eget adjutorio, ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in hominem ipsum velle non repererit? .... Hanc amentiam & a fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus*.

249. Obj. primo. Libertas sita est in voluntatis indifferentia ad opposita; sed hæc indifferentia componi non potest cum decretis prædeterminantibus, & natura sua efficacibus: ergo &c.

250. Resp., duplicem esse indifferentiam, alteram *suspensionis, & otii;* alteram *potestatis, & dominii*. Prima est, qua voluntas nihil agit, sed veluti statera manet in æquilibrio, ad operandum, vel non operandum indifferens. Hanc indifferentiam tollunt decreta prædeterminantia; sed ea non pertinet ad libertatis essentiam, quod est per se manifestum; alioquin quotiescumque homo se determinat, jacturam faceret suæ libertatis, & Deus omni libertate orbatus esset, cum numquam otiari possit, sed sit semper in actu. Alia igitur est indifferentia *potestatis*, & *dominii*, qua scilicet ita voluntas se ad unum determinat, ut tamen adhuc potestatem habeat ad actum oppositum, vel alium quemcumque. Et hanc indifferentiam, quæ utique est ad libertatem necessaria, nullatenus tollunt decreta prædeterminantia. Ita enim Deus facit nos velle, quemadmodum vellemus nos ipsi ex nobis, si nostris solis viribus ageremus, quod certe Deus potest, attenta voluntatis suæ omnipotenti efficacia (*a*).

251. Inst. primo. Decreta prædeterminantia tollunt etiam indifferentiam potestatis, & dominii; ita enim voluntatem determinant ad unum, ut non possit velle, & agere oppositum; siquidem eodem modo repugnat, voluntatem prædeterminatam suspensam esse, & non agere; ac repugnat, eam agere oppositum.

252. Resp., voluntatem a Deo prædeterminatam ad unum posse non agere, & agere etiam oppositum in *sensu diviso*, non autem in *sensu composito*. Eodem plane modo res procedit de voluntate a Deo prædeterminata, ac de eadem voluntate in hypothesi, quod seipsam ex se sola determinaret. In hac hypothesi homo, qui se determinavit ad sedendum exemp. grat., non potest *in sensu composito* sedere, & stare, vel ambulare, simul conjungendo sessionem cum statione, vel ambulatione; quia hæc conjunctio, seu compositio repugnat; sedet tamen libere, quia *in sensu diviso*, seu absolute potest stare, & ambulare; & hæc potentia in *sensu diviso* sufficit ad sartam, tectamque servandam indifferentiam potestatis, in qua consistit libertas. Et hujus ratio est, quia quamvis sedere, & simul stare, vel ambulare secum pugnent, non tamen secum pugnant sedere, & posse stare, vel ambulare: seu unus actus pugnat cum alio, non tamen unus actus pugnat cum potentia ad alium actum, etiam oppositum, unde simul consistunt. Idem, eodemque plane modo contingit in voluntate prædeterminata a Deo; ut enim jam dictum est, & dicendum erit sæpius, ita agit efficacia sua Deus in nobis, sicut ageremus ipsi in nobis, si soli ageremus (*b*).

253. Hæc distinctio non est novum Thomistarum commentum, ut aliqui perperam effutiunt, traditur enim multis in locis a S. Thoma. Unum affero ex quæst. 23. *de verit.* art. 5., ubi quærit, an Dei voluntas rebus necessitatem imponat? Objicit autem sibi illam ipsam difficultatem, quam nobis Adversarii objiciunt, cui ita respondet: „ ad „ 3. dicendum, quod quamvis non esse effectus „ divinæ voluntatis non possit simul stare cum di-

(*a*) Legi merentur Bossuetus *Traité du libre arbitre* cap. 8., & auctor libri *de l'action de Dieu sur les creatures* Sect. VII. P. I. cap. 3. §. 8. Tom. VIII. edit. in 12.

(*b*) Alii utuntur aliis terminis, qui in idem recidunt, & dicunt, hominem sub prædeterminatione divina posse agere oppositum *potentia antecedente, non consequente; potentia possibilitatis, non futuritionis; capacitatis, non positionis: in actu primo, non in actu secundo; simultate potentiæ, non potentia simultatis*.

„ divina voluntate; potentia tamen deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate: non enim ista sunt incompossibilia: Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia: Deus vult istum salvari, & iste damnatur (*a*). "

254. Inst. secundo. Etiam Calvinus, & Lutherus hanc ipsam distinctionem *sensus compositi*, *& divisi* usurparunt, atque sub divinis decretis remanere in nobis potentiam ad oppositum in sensu diviso fatebantur; atqui certum nihilominus est, in eorum sententia nullam in homine remanere libertatem: ergo &c. (*b*).

255. Resp., hanc puram putamque esse nonnullorum calumniam surdis auribus minime prætereundam; tantum enim noster sensus compositus, & divisus a Calviniano distat, quantum ab errore veritas. Calvinus scilicet docuit, voluntatem in sensu composito cum prædeterminatione divina nedum nunquam *acturam* oppositum, sed illud *neque agere posse*, idest putavit, nedum cum præmotione ad amorem non posse componi actum oppositum odii, sed neque potentiam ad odium; & solum hanc potentiam inveniri in voluntate præmotione remota. Thomistæ contra docent, non posse quidem cum præmotione ad amorem componi actum odii, quemadmodum non potest sessio cum ambulatione componi; esse tamen etiam sub præmotione ad amorem veram potentiam in voluntate ad odium; quemadmodum in eo, qui sedet, vera est potentia ad standum, vel ambulandum (c).

256. Inst. tertio. Hæc potentia in sensu diviso, vel est potentia ad repellendam prædefinitionem, & præmotionem Dei, vel ad ponendum ex. gr. actum odii non obstante præmotione ad amorem. Sed neutrum dici potest: non primum, quemadmodum enim non potest advocari præmotio, cum non adest, ita neque repelli, cum adest: neque secundum; cum enim præmotio sit infallibiliter connexa cum actu, tam est impossibile, non ponere actum, quam a se repellere præmotionem ad illum: ergo &c.

257. Confirm. objectio. Ideo in homine sedente vera est potentia ad ambulandum in sensu diviso, quia potest suam determinationem abjicere, & voluntatem mutare; sed homo sub prædeterminatione divina non potest suam determinationem a se removere, & voluntatem mutare; tum quia prior ipsius determinatio est infallibiliter conjuncta cum prædeterminatione divina, quam a se repellere nequit; tum etiam quia ad mutandam voluntatem nova indiget divina præmotione: ergo &c.

258. Resp. primæ difficultati, potentiam in sensu diviso, quæ remanet in voluntate prædeterminata, certa quadam ratione esse potentiam, tum ad repudiandam divinam præmotionem, non quidem consideratam in seipsa, & ex parte Dei, sed consideratam ex parte effectus in nobis producti; tum etiam esse potentiam ad ponendum actum oppositum absolute, & in se spectatum. Utrumque explico.

259. Quanquam Dei operatio in se spectata nullatenus frustrari potest, quia, ut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3., *impossibile est*,

(*a*) Multa alia allegari possunt Angelici Præceptoris ad id comprobandum testimonia; ut cum quæst. 6. *de verit.* art. 3. ad 7. inquit: *cum dicitur: prædestinatus iste potest in peccato mori, si consideretur potentia ipsius, verum est; si autem loquamur de prædestinato secundum ordinem, quem habet ad aliud, scilicet ad Deum prædestinantem, sic ordo ille non compatitur secum istum eventum, quamvis compatiatur secum istam potentiam.* Vid. etiam 1. P. quæst. 23. art. 6. ad 2., & ad 3. alibi, prout ostendunt Thomistæ, præcipue autem P. Antoninus Reginaldus *de mente Concilii Trident. circa gratiam efficacem* P. 1. cap. 34.; cap. autem sequ. ostendit idem Theologus hanc distinctionem esse doctrinæ S. Augustini, aliorumque Patrum consentaneam. Idipsum evincit P. Massoulié *de divina motione* Tom. 1. dissert. 1. quæst. 8. art. 4., & dissert. 2. quæst. 1. art. 1., ubi merito illos irridet, qui ea audita, veluti conspecto Medusæ capite horrent.

(*b*) Reipsa sensum compositum, & divisum Thomistarum cum Calviniano convenire, non pauci ex adversariis nostris post Suarezium Lib. V. *de gratia* cap. 38. effutierunt; ac inter alios Petrus a S. Joseph in suo opere, quod falso illi inscribere placuit *Divi Thomæ defensionem*. Atque hic convellendus est levis error, qui de hoc Scriptore excidit Cl. P. Muszka, dum Lib. I. *de actibus humanis* pag. 322. eum ex Ordine S. Dominici esse putavit, cum fuerit ex reformato S. Bernardi instituto, quod *Fullensium* appellant. Mirum vero non est, hunc Auctorem Thomistarum doctrinam in pravum sensum detorsisse: erat enim a capite ad talos Molinianus, & pro Scientia media contra PP. Salmanticenses amariori stylo decertavit. Ipsum postea confutavit Jo. a S. Dominico in Libro *Nova Cassiopea Stella* &c. Consul. P. Hyac. Serry in Præfat. *ad Hist. de Auxiliis* §. 3.

(c) Celebris P. Honoratus a S. Maria Carmelita excalceatus in defensionem Litterarum Benedicti XIII. *Ad demissas preces* Bruxellis edita an. 1725. pag. 366. magno animo omnes scholæ nostræ osores provocat, ut vel unum proferant, sive ex priscis, sive ex recentioribus Thomistis, qui cum Calviniana sensus compositi & divisi explicatione conveniat. Plurimi tamen inter ipsos nostros adversarios magis æqui nostram distinctionem a Calviniana omnino diversam esse, confessi sunt, ut P. Annatus, de Champs, Martinonus, Luchesinus, & alii. Unum laudare sufficiat P. Ægidium Estrix, cujus hoc extat testimonium apud P. Massoulié dissert. 1. quæst. 8. art. 6.: *Ad corrigendas quorumdam intelligentias, quæ possunt pacem turbare, ego infrascriptus declaro, nec esse, nec fuisse unquam opinionem meam aut nostrorum Professorum Lovaniensium, sensum compositum, & divisum S. Thomæ Aquinatis esse eumdem, ac sensum compositum, & divisum Calvini in materia gratiæ, & libertatis; sed priorem sensum Sanct. Doctoris esse orthodoxum, posteriorem vero Calvini esse hæreticum. In quorum fidem lubens subscribo, Antuerpiæ 12. Novembr. 1696. Ægidius Estrix Provincialis Societatis.*

est, *ut Deus moveat voluntatem*, *& voluntas non moveatur*, si tamen consideretur ut est motio animæ nostræ impressa ad aliquem actum bonum, frustrari absolute potest, & extingui, quatenus volontas potest sua perversitate in se majorem resistentiam excitare. Quare Concilium Trident. Sess. VI. cap. 5. primo dicit, homines recipere gratiam, seu *inspirationem Spiritus sancti*; deinde subdit, *illam etiam abjicere posse*, non certe alia ratione, quam contrariam resistentiam in se excitando (*a*). En qualis sit in homine potentia ad Dei motionem repellendam.

260. Est etiam consequenter in nobis potentia ad actum oppositum, non quidem ut conjungendum cum prædeterminatione efficaci, seu cum alio actu, quod est impossibile, sed ad actum oppositum in se, & absolute consideratum, quomodo in homine sedente vera est ad ambulandum potentia.

261. Resp. ad Confirm., modo mox explicato posse hominem absolute quamcumque Dei motionem ad bonum reddere inefficacem, in se excitando majorem resistentiam (quamvis Deus hanc humanæ voluntatis perversitatem semper potest omnipotenti bonitate sua vincere). Hanc responsionem insinuat Sanctus Thomas quæst. 6. *de malo* art. un. ad 3. dicens: *Deus movet immutabiliter voluntatem propter efficaciam virtutis moventis*, *quæ deficere non potest* (en efficaciam motionis divinæ consideratæ ex parte ipsius Dei); *sed propter naturam voluntatis motæ* (nempe hominis), *quæ indifferenter se habet ad diversa*, *non inducitur necessitas*, *sed manet libertas*; hac nempe ratione, quia non tollitur a voluntate potestas excitandi in se majorem resistentiam.

262. Quod vero adjectum est, nova præmotione opus esse ad mutandam voluntatem, si sermo sit de mutatione voluntatis in malum, id imprægentiarum aliis disputandum relinquimus (vide quæ dicta sunt Dissert. præced. n. 110.) Si vero sermo sit de mutatione voluntatis in bonum, id libenter concedimus, quia certe ad bonum nihil possimus sine gratia, seu *tunc solum liberi erimus*, *quando Deus sua gratia nos liberaverit*; Joann. VIII. 36. Neque puto, Adversarios repugnaturos, cum & ipsi necessitatem gratiæ ad singulos actus bonos una cum Ecclesia catholica confiteri debeant. Unde etiam Concilium Trid. loc. laud. postquam dixerat, posse hominem inspirationem receptam abjicere, subdit: *neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate posse*.

263. Inst. quarto. S. Thomas I. P. quæst. 14. art. 13. ad 3. explicans distinctionem sensus compositi, & divisi, quam ille nominat *secundum rem*, *& secundum dictum*, sibi objicit, hanc distinctionem non habere locum in formis inseparabilibus a subjecto, ut si dicam, *corvum nigrum possibile est esse album*; hæc enim propositio in utroque sensu composito, & diviso est falsa. Cui difficultati ita respondet: *hæc instantia locum haberet*, *si hoc .... importaret aliquam dispositionem subjecto inhærentem*. Cum ergo decreta prædeterminantia importent præmotionem physicam voluntati inhærentem, in iis ad mentem Angelici distinctio sensus compositi, & divisi non habet locum.

264. Resp. cum Massoulié Tom. I. dissert. 1. quæst. 8. art. 4. loqui S. Thomam de dispositione inhærente subjecto permanenter, & necessario, ut constat exemplo nigredinis corvi, quod ibidem affert; ita enim corvus niger est, ut veteres ad designandam rem impossibilem proverbii loco habuerint: *alboque simillima corvo* (*b*): non autem de dispositione transeunte, cujusmodi est physica motio. Præcipue quia, ut sæpius est dictum, talis est hujus motio, efficacia, ut ipsum libertatis exercitium in nobis producat.

265. Ceterum non video, quomodo de mente S. Thomæ dubitari possit, apud quem nihil frequentius invenitur, quam voluntatem, & omnes alias causas a Deo moveri (vid. supra numer. 239.) Immo eo ipso in loco dicit, hanc propositionem: *album possibile est esse nigrum*, esse falsam *de dicto*, seu in sensu composito; veram autem *de re*, seu in sensu diviso. *Res enim*, inquit, *quæ est alba*, *potest esse nigra*; *sed hoc dictum: album potest esse nigrum*, *nunquam potest esse verum*.

266. Inst. quinto. Posita Dei prædeterminatione ad unum, actus oppositus non est amplius voluntati possibilis; ergo &c. Prob. ant. Possibili posito in actu, nullum sequitur absurdum; atqui si actus oppositus poneretur, maximum consequeretur absurdum, nempe frustratio divinæ efficacis motionis: ergo &c.

267. Resp. neg. ant. ad cujus prob. dist. maj. possibili posito in actu eo modo, quo est possibile, nullum sequitur absurdum, *conc.* si ponatur eo modo, quo non est possibile, *nego*. Actus contrarius ex. gr. odii sub prædeterminatione ad a-

(*a*) Refert Card. Pallavicinus Lib. VIII. *Hist. Conc. Trid.* c. 13. cum aliqui hæc verba poni voluissent: *cum in potestate ipsius sit*, *eam inspirationem non recipere*, fuisse a Patribus sapienter judicatum, potius ita ponendum: *quippe qui & illam abjicere potest*. *Quia*, inquit Cardinalis historicus, *in nostra potestate non est*, *inspirationem recipere*, *vel non recipere*, *cum eam Deus in nobis sine nobis operetur*: *sed in nostra potestate est*, *eam vel dissentiendo abjicere*, *vel consentiendo retinere*, quorum primum a malitia nostra efficitur, alterum vero, nempe consensus a viribus gratiæ ipsius oritur.

(*b*) Juvenalis Sat. VII. inquit: *Corvo quoque rarior albo*.

amorem, ut sæpiùs jam dictum est, est solum possibilis absolute, & in sensu diviso, non vero in sensu composito, scilicet ut conjungendus cum actu amoris, vel cum efficaci prædeterminatione ad amorem, quæ ab ipso actu amoris sejungi non potest. *Licet sit possibile*, inquit S. Thomas I. P. q. 23. art. 6. ad 2. simili difficultati respondens, *eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali, secundum se consideratum, tamen hoc est impossibile, posito ... eum esse prædestinatum.*

268. Et sane etiam in falsa Adversariorum hypothesi, quod voluntas seipsam independenter a Deo determinet, posset eadem difficultas excitari, dicendo: Si simul cum efficaci voluntatis determinatione ad amorem orta ex solis viribus voluntatis, poneretur actus contrarius odii, maximum sequeretur absurdum, scilicet quod voluntas esset simul efficax, & inefficax respectu ejusdem actus; ergo posita voluntatis determinatione ad amorem, actus odii non amplius esset possibilis, ac proinde voluntas seipsam ad amorem determinando, libertatem amitteret.

269. Inst. sexto. Inutilis est potentia in sensu diviso, qua nemo unquam usus fuit, nemo utetur.

270. Resp. primo. Etiam Adversariis posse eamdem difficultatem objici; nam in eorum quoque sententia nemo unquam cum efficaci determinatione ad amorem elicuit actum odii, aut unquam eliciet; nisi dicere velimus voluntatis determinationem ad amorem fuisse simul efficacem & inefficacem: ergo inutilis &c.

271. Respond. secundo, infinitas propemodum recenseri posse veras potentias, quæ nunquam reducuntur ad actum; exemp. grat. est in nobis vera potentia oculos nunquam aperiendi, semper tacendi, sedendi, jacendi, *& sexcenta alia*, ait Sanct. Augustinus *de spir. & littera* cap. 1., *possunt occurrere, quæ fieri vel potuisse, vel posse fateamur, & eorum tamen exempla, quod facta sint, proferre non valeamus.* Quanquam autem ista potentia ad odium nunquam reducatur ad actum in sensu composito cum prædeterminatione ad amorem (quod etiam seclusa prædeterminatione nunquam contingit), non tamen dici potest inutilis; quia hæc ipsa potentia postea reducetur ad actum, quando alia præmotio ad odium voluntati præsto erit, quæ eamdem potentiam determinet.

272. Obj. secundo. Omnis suppositio antecedens nostram libertatem, & infallibiliter connexa cum actu, libertatem evertit, hujusmodi sunt decreta prædeterminantia in sensu Thomistarum: ergo &c.

273. Resp. dist. maj. Omnis suppositio &c., quæ a Deo primo libertatis fonte proveniat, & potis sit, nedum substantiam, verum etiam modum ipsum liberum actus in nobis producere, *nego:* alio supposito, *conc.* Hoc ipsissimum sibi opponit Angelicus I. P. q. 19. art. 8. num. 2. his verbis: *Omnis causa, quæ non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit .... sed voluntas Dei non potest impediri .... ergo voluntas Dei imponit rebus necessitatem.* Cui difficultati, quæ ab Adversariorum objectione nonnisi verbis discrepat, ita respondet: *ex hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.* Nempe cum motio Dei infinita polleat efficacia, nedum facit, ut bonum velimus, sed etiam ut illud libere velimus; eodemque modo nostram voluntatem libere immutat, & determinat, quo seipsam suis viribus immutaret, & determinaret, si esset prima suarum volitionum causa, & independens.

274. Hoc ipsum magis explicatur ex verbis quæ Angelicus Doctor habet in corp. ejusdem artic. supra relatis num. 244. *Cum* &c. Huic enim S. nostri Præcep. principio firmiter insistentes, non solum vereri minime debemus, ne decreta prædeterminantia, quamvis nostræ voluntatis determinationem a tota æternitate præcedant, & a nobis impediri non possint, modo sint cum actu nostræ voluntatis connexa, nostræ obsint libertati; quin potius ab iisdem ipsis immutabilibus decretis repetere debeamus & nostram libertatem, & nostræ libertatis exercitium: utrumque enim a Deo boni omnis fonte, & auctore liberaliter nobis donatur.

275. Hinc merito damnata dicitur a Sixto IV. hæc Petri Rivii propositio: *quod ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, est inimpedibile.* Quæ propositio, nec diffitentibus nostris Adversariis, *in aliquo sensu falsa* esse *potest, & digna censura.* Vid. Card. de Lugo *de Myst. Incarnat.* disp. 26. sect. 6. (a).

276. Inst. primo. Libertas definitur *facultas, qua*

(a) Si istius proscriptionis veritatem data opera vindicare vellemus, nimis longe a nostro instituto declinaret oratio. Hanc provinciam præter nonnullos alios suscepit P. Hyac. Serry Lib. I. *Hist. de div. aux.* cap. 14. Nos positivis argumentis ad eam confirmandam utimur, testimoniis nempe virorum omni fide dignorum, Sylvii in opusc. *de primo motore*, Balduini Rithovii in *Declamatione adv. Jo. Dekerium*, ac denique totius Universitatis Lovan. in *Censura adv. Lessium, & Hamelium.* Consuli etiam possunt *Facti academici studii gen. Lovan.* auctore Valerio Andrea pag. 339. & seq. edit. Lovan. 1650..... Adversarii nonnisi argumenta negativa opponunt, quæ quanti sint ponderis in hujusmodi controversiis, nemo ignorat. Addo, eam propositionem generaliter acceptam, non solum falsam, sed etiam censura dignam esse. Ut enim alia omittam, annon prædestinatio ad gloriam gratuita (cujusmodi a pluribus inter Adversarios nostros admittitur) inimpedibilis est? Annon ex ea per infallibilem consecutionem sequitur salus hominis prædestinati? Et tamen fide certum est, electos liberrime salutem æternam consequi. Sed hæc pro instituto nostro plusquam satis.

qua positis omnibus prærequisitis ad agendum, potest voluntas agere, vel non agere; atqui decreta prædeterminantia ad mentem Thomistarum sunt unum ex prærequisitis ad agendum; nec tamen iis positis potest voluntas non agere: ergo &c.

277. Resp., hanc definitionem libertatis admitti non posse, nisi intelligatur de iis prærequisitis, quæ se tenent ex parte potentiæ adhuc indeterminatæ; non autem si intelligatur de omnibus omnino prærequisitis comprehendendo simul etiam efficacem voluntatis determinationem; cum hac enim non potest componi non actus. Et quemadmodum nec Adversarii ipsi, ut equidem reor, concedent, posse cum efficaci determinatione voluntatis componi non actum; ita multo minus componi potest non actus cum decretis prædeterminantibus; & quemadmodum ipsi cum efficaci determinatione voluntatis ad unum integram remanere dicunt in voluntate libertatem ad oppositum; ita etiam nos eamdem libertatem salvari dicimus &c.

278. Inst. secundo. Saltem decreta prædeterminantia ad unum actum sunt impedimenta ad actum oppositum: quemadmodum catenæ sunt impedimentum ad ambulandum, ut proinde tollatur libertas.

279. Resp. eodem modo etiam efficacem determinationem voluntatis ad unum sine præmotione elicitam esse impedimentum actus oppositi; quis enim non videt, voluntatem eo ipso momento, quo determinata est ad amorem, impediri, ne actum odii eliciat, nisi determinationem ad amorem deponat? Nec tamen Adversarii timebunt, hoc impedimento libertatis jura tolli, vel lædi. Idem dicatur de decretis prædeterminantibus, quæ ut declaratum est jam sæpe, simili modo voluntatem determinant, quo ipsa seipsam determinaret. *Deus*, inquit Angelicus in II. dist. 25. qu. 1. art. 2. ad 1. *operatur in voluntate, & in libero arbitrio secundum ejus exigentiam; unde etiamsi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut illud, in quod mutatur, voluntarie velit.*

280. Neque obest, quod determinatio propriæ voluntatis ad unum sit impedimentum ab ipsius voluntatis electione proveniens, secus ac determinatio per decreta prædeterminantia. Non inquam id obest; Deus enim, qui *magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*, ut inquit S. Augustinus *de corrept. & grat.* cap. 14. eodem prorsus modo in nobis agit, ac nos ipsi; & facit non solum ut eligamus, sed etiam ut libere eligamus.

281. Ex his patet, quam ineptum sit exemplum catenarum, quo aliqui adeo delectantur. Hæ enim potentiam ligant; decreta vero prædeterminantia nostram boni operandi potestatem inertem atque otiosam excitant, applicant, atque determinant ad bonum ipsum volendum, & operandum; & salutis culpæ vinculis non asserunt in libertatem filiorum Dei juxta illud Jo. VIII. *tunc vere liberi eritis, cum vos filius hominis liberaverit.*

282. Neque audiendi sunt, qui scribere non sunt veriti, *tanto magis esse timendum libertati humanæ, quanto major est Dei efficacia.* Multo minus alii, qui dixerunt: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum:* vel *Deus nobis subjicit omnipotentiam, ut pro libitu ea utamur;* utraque enim hæc propositio fuit ab Innocentio XI. die 23. Nov. 1679. proscripta. Potius audiendus S. Præceptor, qui nullum alium nobis indigitavit modum conciliandæ nostræ libertatis cum divinis decretis, nisi summam, & infinitam divinæ voluntatis efficaciam, qua Deus causa est consensus nostræ voluntatis, nedum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad libertatem.

283. Ob. tertio. S. Thomas aperte docet, libertatem arbitrii cum prædeterminatione nullo pacto conciliari posse; ita dicit enim in II. *Sentent.* dist. 39. quæst. 1. art. 1. *potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante* (ita enim legit P. Jo. Nicolai ex melioribus codicibus, non, ut alii, *determinate*) *sed ab ipsa voluntate.* Et art. seq. probat, posse in voluntate peccatum esse, *quia ratio culpæ in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus; hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur.* Et superius dist. 25. quæst. 1. art. 1. docuerat, liberum arbitrium inveniri in solis agentibus intellectum habentibus, quia habent dominium sui actus: *non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus* (a).

284.

(a) Ab aliquibus incaute addi solet aliud testimonium Angelici ex quæst. 3. *de potentiæ* art. 7., ubi inquit: *voluntas est domina sui actus; hoc autem non esset, si agere non posset, nisi Deo in ipsa operante, cum voluntas nostra non sit domina divinæ operationis.* Incaute inquam; hæc enim verba non continent sententiam S. Thomæ, sed objectionem cui ita respondet ad 13., *voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur potestati rationis, & voluntatis.* Quibus verbis nihil disertius desiderari potest ad asserendam physicam præmotionem, eamque cum voluntatis libertate conciliandam. Similia tradit I. cont. gent. cap. 68. inquiens: *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ, a qua est ei esse, & operari &c.*

284. Resp. ad primum iis verbis: *non est ab alio determinante* excludi ab Angelico determinationem necessariam per modum naturæ, non autem operationem causæ primæ, quæ non tollat, sed potius efficiat ipsam libertatis creatæ exercitium. Id patet primo ex comparatione, quam ibi instituit, inter voluntatem, & agentia naturalia, statim subdens: *in naturalibus actus progreditur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est*. Secundo, quia alibi generaliter docet, dominium, quod voluntas habet in proprios actus, non excludere operationem supremæ causæ, nempe Dei (vid. not. ad num. præced.). Tertio, quia in *Summa theologica*, ubi accuratius, quam in Libris *Sent.* locutus est, sæpius libertatem arbitrii cum divina prædeterminatione conciliat. Atque ut unum addam jam allatis locis, 1. 2. quæst. 10. art. 4. inquit: *quia voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat*; & ibidem ad 3. *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter; unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur*.

285. In alio loco ex art. 2. S. Thomas agit de peccato, cujus analisis cum sit purus defectus, a sola voluntatis determinatione dependet, quamvis physica ejusdem entitas divinam efficientiam non effugiat. Quod ipsum S. Doctor sæpissime docet, ut Lib. III. *Cont. Gent.* cap. 71. ubi inquit: *manifestum est, quod actiones malæ, secundum quod deficientes sunt, non sunt a Deo, sed a causis proximis deficientibus: quantum autem ad id, quod de actione, & de entitate habent, oportet, quod sint a Deo; sicut claudicatio est a virtute motiva, quantum ad id, quod habet de motu; quantum vero ad id, quod habet de defectu, est ex curvitate cruris*. Vid. ex jam quæst. 3. *de malo* art. 2.

286. In tertio etiam loco luculenter apparet, S. Thomam excludere ab agentibus liberis determinationem, quæ sit a causa extrinseca, sine propria ipsius voluntatis determinatione, cujusmodi est in agentibus naturalibus; non autem determinationem Dei, quæ facit, ut voluntas seipsam libere moveat, ac determinet. Et quanquam in eo loco id expresse, totidemque verbis non explicat, tamen alibi luculentissime, ubi accuratius hanc materiam pertractavit; ut I. P. quæst. 83. art. 2. ad 3. ubi inquit: *non est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est*; & quæst. 105. art. 4. ad 3. *per hoc, quod* (voluntas) *movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex se*. Immo in ipso loco objecto in resp. ad 3. hanc ipsam differentiam constituit inter libertatem Dei, & hominis, dicens, voluntati humanæ *remanere dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti*, subindicans illam doctrinam, quam alibi fusius exponit, nempe dominium, quod habet voluntas supra suos actus, non excludere influentiam Dei, a quo habet esse, & operari. Vid. not. ad n. 283.

287. Ob. ultimo. Negari saltem non potest, systema Thomisticum in concilianda libertate humana cum efficacia divinæ voluntatis esse quid μυστικὸν, ac quasi Thebanæ Sphingis oraculum. Quis enim intelligat, Deum omnipotentia sua voluntatem nostram indeclinabiliter, insuperabiliter immutare, & tamen libere? Immo vel ipsi Thomistæ se id minime explicare posse fatentur; unde nonnulli ansam sumpserunt, joculari licentia appellandi systema Thomistarum *ignorantiæ asylum*. Moliniana autem via Thomisticæ opposita, plana, facilis, omnibusque pervia est: cum itaque hæc in scholis etiam Catholicis aperta sit, quidni illi potius insistamus, quam alteri?

288. Resp. non quæ faciliora, sed quæ veriora sunt systemata, esse amplectenda. Ex eo autem, quod Molinianum systema facile, & nullo negotio libertatem hominis cum efficacia divinæ voluntatis conciliare se posse jactet, non levem ingerit novitatis, ac propterea etiam falsitatis suspicionem. Antiquis enim Theologis, immo & sanctis Patribus, Augustino præsertim, difficillima semper visa fuit hæc conciliatio. Ulterius Molinistæ, ut nostram salvent, atque extollant libertatem, divinum in nostras voluntates dominium deprimunt, ut suis locis ostensum est, ac copiosius ostendetur, cum de gratiæ efficacia sermo erit.

289. Quod autem scurriliter potius, quam facete ab aliquibus dictum est, Thomistarum systema esse *asylum ignorantiæ*, nec responsionem meretur. *Si ergo tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud, quam duo maledicti essemus, ut ii, qui nos legerent, alii detestatos abjicerent sana gravitate, alii suaviter haurirent malevola voluntate?* inquiebat Sanct. Augustinus Lib. III. contr. epistol. Petiliani cap. 1. Et de his satis (*a*).

DIS-

(a) Infiniti propemodum de physica Dei præmotione egerunt; sed nemo fortasse copiosius P. Antonino Massoulié in suo egregio opere, cui titulus: *D. Thom. sui interpres de divina motione, & libertate creata*. Neque ab eo legendo quemquam absterrere debet intemperans Tournellii censura, qua in Tract. *De gratia* Part. I. pag. 224. *in delineatione Jansen. doctrinæ* ausus est illius doctrinam cum damnata Jansenii sententia confundere, non sine magna injuria, non solum totius Ordinis Prædicatorum (quandoquidem Magistri ejusdem Generalis auctoritate illud opus prodiit), tum sapientissimi ac piissimi Card. Ferrari, cujus calculis probatum fuit, sed etiam ipsiusmet Sac. Congregationis S. Officii, cujus approbatione semel, & iterum Ro-

DISSERTATIO VI.

De prædestinatione, & reprobatione.

1. Consideratis his, quæ ad scientiam, & voluntatem Dei divisim pertinent, Sanctus Thomas ad ea progreditur, quæ ad utramque simul spectant, & hæc tria sunt, scilicet providentia, prædestinatio, & reprobatio. De providentia nos agendum duximus in primo Tomo, ut uempe totum simul systema hostium religionis revalatæ exponeremus, & rafelleremus. Quamobrem hic tantummodo dicendum restat de prædestinatione, & reprobatione; quæ, ut inquit S. Thomas Lib. III. *Cont. Gent.* cap. ult. sunt partes divinæ providentiæ, *secundum quod homines ex divina providentia ordinantur in ultimum finem.* Ut enim idem Sanctus Doctor supra cap. III. scite observaverat, Deus speciali ratione providet naturis intellectualibus, & rationalibus, quia istæ *præcellunt alias creaturas & in perfectione naturæ, & in dignitate finis. In perfectione quidem naturæ, quia sola creatura rationalis habet dominium sui actus, libere se agens ad operandum: ceteræ vero creaturæ ad opera propria magis aguntur, quam agant. In dignitate autem finis, quia sola creatura intellectualis ad ipsum ultimum finem universi sua operatione pertingit; scilicet cognoscendo, & amando Deum; aliæ vero creaturæ ad finem ultimum pertingere non possunt, nisi per aliquam similitudinis ipsius participationem.* Ex his patet, providentiam latius patere, quam prædestinationem, aut reprobationem. Illam enim ad omnes omnino creaturas extenditur; istæ autem tantum respiciunt creaturas rationales.

In hac autem Dissertat. primo agemus de prædestinationis causis, & effectibus, deinde de reprobatione, quæ eidem prædestinationi opponitur.

CAPUT I.

Quid proprie prædestinatio sit.

2. Quam nos *prædestinationem* dicimus, græci vocant προορισμὸν, vel etiam solummodo ὁρισμὸν, quo vocabulo in Script. Sacr. quodcumque Dei decretum nominari solet. Hic autem pressius sumitur pro sola destinatione hominum ad gratiam, vel ad gloriam; ad gloriam quidem, ut ad finem; ad gratiam vero, ut ad medium (a). Quanquam aliquando apud veteres, & apud ipsum S. Augustinum prædestinatio usurpatur etiam ad malum, non quidem culpæ, sed pœnæ tantummodo. Hinc ille Canon Concilii Valentini (celebrati ann. 855.): *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Et multa ex S. Augustino, Fulgentio, aliisque, quæ idipsum confirmant, afferri possunt.

3. Nos in tota hac Dissert. agemus de sola prædestinatione hominis ad gloriam. Hæc autem a S. Augustino in Lib. *de dono pers.* cap. 14. definitur *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

4. Nomine autem præscientiæ a S. Doctore non intelligitur, nec intelligi potuit scientia media, quam cum ipsius principiis omnino pugnare supra ostendimus: neque enim Deus, ipso Augustino docente, aliter futura cognoscit, quam in sua prædestinatione, ut superius Dissert. IV. n. 114. copiose demonstratum fuit. Quæstio solum esse potest, de qua præscientia ibi S. Doctor loquatur?

5. Aliqui putarunt hoc loco designari scientiam *simplicis intelligentiæ*, qua Deus ante decreta suæ voluntatis ea beneficia gratiæ cognoscit, quæ efficacia sunt ad liberandos electos de massa perditionis.

6. Sed P. Th. de Lemos in lectione Sancti Augustini, atque in hac materia profunde versatus Tom. II. *Panopliæ gratiæ* Tract. III. c. 8. ostendit, hæc S. Doctoris verba non posse intelligi nisi de ea scientia, qua Deus præscit ea, quæ ipse facturus est, quæque proinde non est, nisi scientia visionis. Hoc patet primo ex ipsis verbis: *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei.* Unde in eodem libro c. 17. inquit: *sua dona, quibuscumque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit ... Namque in sua, quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est quam prædestinare.*

7. Secundo id ipsum patet ex scopo S. Doctoris. Disputabat enim cum Semipelagianis, qui fidem, & perseverantiam ad solam Dei præscientiam,

manis typia prodiit, ac deniqne Sanctissimi Pontificis Innocentii XII., qui illud post diligentissimum axamen suis auspiciis tutari dignatus est. Videri potest contra hanc audacem Tournellii censuram P. Danial Concina Tomo VI. *Theol. Christ.* Dissert. 1. cap. 6. §. 5. Præter laud. Massoulié consuli etiam possunt Jacob. Benign. Bossuet in Tract. *de liber. arbit.*, & acutissimus Boursier in laudatissimo opere *de l'action de Dieu sur les Creatures.*

(a) P. Thomas de Lemos pro ea, qua utebatur in his rebus diligentia, & distinctione, observavit, non posse propria duplicem admitti prædestinationem, aliam ad gratiam, ad gloriam alteram, & multo minus triplicem, quam posuit Cornelius a Lapide, nempe unam ad gloriam, alteram ad gratiam inchoatam, tertiam ad gratiam completam, seu efficacem. Prædestinatio quippe ex propria sua ratione unica est. Cum enim sit transmissio creaturæ intellectualis in vitam æternam, non solum respicit terminum, sed etiam gratiam, quæ est medium ad finem consequendum. Vid. Tom. II. Part. I. tractat. 3. cap. 2.

tiam, non autem ad prædestinationem volebant. Eos autem S. Augustinus urgebat, ut faterentur, ea dona etiam pertinere ad divinam prædestinationem; immo præscientiam sine prædestinatione esse non posse. Quamobrem immediate ante ita contra eos concludebat: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent? aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit.*

8. Clarior videtur definitio prædestinationis tradita a S. Thoma I. Part. qu. 23. art. 1. quod nempe sit *ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ*. Quam definitionem iterum repetit art. 2. Neque rejicit illam definitionem Magistri sententiarum quod prædestinatio sit *præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*. Sed in resp. ad 4. observat, gratiam non poni in definitione prædestinationis, *quasi aliquid existens de essentia ejus, sed inquantum prædestinatio importat respectum ad gratiam, ut causa ad effectum, & actus ad objectum*. Et hæ quidem communes sunt, & usitatæ Dei prædestinationis definitiones (a).

9. Verumtamen, ut accurate in hac materia procedatur, tria cum eodem S. Thoma I. Parte quæst. 23. art. 4. distinguenda sunt, scilicet dilectio Dei, electio, & prædestinatio. *Nam prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, & electio dilectionem ... Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet electio, & dilectio. Dilectio quidem, inquantum vult eis hoc bonum salutis æternæ; nam diligere est velle alicui bonum. Electio autem, inquantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult*. Id ipsum dixerat Lect. 2. in cap. IX. epist. ad Rom.

10. Advertit insuper Angelicus, electionem, & dilectionem aliter ordinari in nobis, & in Deo; *eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitamur ad diligendum; & ideo eligimus aliquem, quem diligamus; & sic electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem est e converso: nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo est causa, quod illud bonum ab eo præ aliis habeatur. Et sic patet, quod dilectio præsupponitur electioni secundum rationem, & electio prædestinationi. Unde omnes prædestinati sunt electi, & dilecti*. Quanquam vero hæc distinctio prædestinationis, electionis, & dilectionis sit verissima, nihilominus Theologi prædestinationem pro prima dilectione, & electione sæpissime usurpant; quorum morem & nos sequemur.

CAPUT II.

Recensentur errores contra prædestinationem ad gloriam; ejusque necessitas ostenditur.

11. Veteres quidam hæretici, Basilides, Valentinus, & Manichæi, si vera Origenes narrat Lib. III. *de principiis* cap. 1., prædestinationem omnem sustulerunt, comminiscentes, homines, & Angelos aut esse natura sua bonos, ut mali esse non possent, adeoque salvandos; aut naturaliter malos, & reprobos.

12. Pelagiani dogmatizantes, posse nos nostris bonis operibus sine ulla Dei gratia factis salutem æternam adipisci, consequenter negarunt, aliquod esse in Deo immobile decretum, aut propositum, quo certum hominum numerum ad gloriam destinaverit. Sed Deum ajebant tantummodo præscivisse, quinam libero arbitrio bene utentes essent vitam æternam promerituri.

13. Hunc errorem adoptarunt etiam Semipelagiani; quanquam specie tenus ab eo alieni videri vellent, gratiæ alicujus necessitatem tum ad bene operandum, tum ad gloriam æternam promerendam agnoscentes. Cum enim fidei initium, & in bono perseverantiam non vere Dei gratiæ, sed libero arbitrio tribuerent, illud consequebatur, ex sola hominum voluntate, nullatenus autem ex Dei prædestinatione, salutem nostram pendere. Hinc Faustus Rejensis eorum facile princeps S. Augustini sententiam de immobili prædestinationis, & reprobationis decreto vellicans inquiebat Lib. I. *de lib. arbitrio* cap. 12. *Si ergo unus ad vitam, alter ad perditionem (ut asserunt) deputatus est, sicut quidam Sanctorum dixit, non judicandi nascimur, sed judicati*.

14. Quanquam Semipelagiani prædestinationem subnixam divinæ præscientiæ admittere non recusabant, dicentes, Deum eos ad gloriam prædestinasse, quos gratiæ suæ consensuros, & usque ad finem in bono perseveraturos prævidit. Ita eorum sen-

(a) Lud. Molina in *Concordia*, disp. 1. in q. 23. art. 1. & 2. post relatas S. Aug. & Thomæ definitiones „ *Aptius* tamen, inquit, ut credo, ita definiri poterit: *prædestinatio est ratio ordinis, seu mediorum in Deo, quibus prævidet creaturam rationalem perducendam in vitam æternam, cum proposito eumdem ordinem exequendi*“. Prosequitur postea inquiens: „ Commodius vero ea (definitio) adhibetur, quoniam, ut videbimus, ex *sola præscientia*, qua Deus prævidet eum, cui ea media vult, quibus reddatur prædestinatus, perventurum in vitam æternam ... *totam suam certitudinem* habet divina prædestinatio. *Atque ex hoc capite conciliabimus facile illius certitudinem cum nostri arbitrii libertate*“. Potest quisque ex his intelligere, non alia de causa Molinæ hanc definitionem visam fuisse *aptiorem* illis, quas Augustinus, & Thomas tradiderant, nisi quia conformis erat suo systemati *scientiæ mediæ*, & illud systema non erat doctrinæ illorum Sanctorum conforme. Sed id obiter.

sententiam S. Prosper exponit in epist. ad S. August. num. 8.: *Propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione, præscierit*.

15. Hoc eodem sensu Arminiani, seu Remonstrantes in Syn. Dordrectana a Gomaristis anno 1618. damnati, tanquam Semipelagianismi restauratores, voluntatem Dei generalem esse dicebant salvandi omnes homines; omnibus proinde auxilia ad id necessaria ex æquo esse collata; neminem a Deo præ aliis electum; ac demum eos esse salvandos, quos Deus bene suæ gratiæ auxiliis usuros esse prævidit (a).

16. Ambrosius Catharinus, antea dictus Lancellotus Politus, ex mea Prædicatorum familia ad regendam Ecclesiam Compsensem assumptus, duplicem salvandorum ordinem distinguendum putavit; alterum prædestinatorum, in quo beatissimam Virginem Mariam Dei Matrem, Apostolos, Patriarchas, aliosque paucos insignis pietatis Sanctos collocabat; eosque fortissimis divinæ gratiæ auxiliis ita ad salutem efficaciter promoveri censebant, ut ab ea nullatenus deficere possent. Hinc in suspicionem venit Catharinus, negatæ in istis sic prædestinatis libertatis, utpote qui a gratia efficaci necessario ad bonum determinarentur. A qua tamen criminatione seipsum purgavit Catharinus, omnino asserens, non propterea liberum ab iis Sanctis arbitrium, aut meritum tolli (b).

17. Alterum vero salvandorum ordinem eos continere dixit, qui in infinita propemodum aliorum hominum multitudine, quos Deus generali voluntate vult salvos fieri, bene utentes sufficientibus auxiliis salutem reipsa consequuntur; quorum propterea numerus in Dei quidem præscientia prædefinitus est, non autem in ipsius providentia (c).

18. In eo etiam peccavit Catharinus, quod summam in hac materia S. Augustini auctoritatem parvi fecerit; suam enim opinionem de secundo salvandorum ordine pugnaciter defendit contra hujus S. Patris doctrinam, quam ingenue fatebatur sibi adversari (d). Sed contra Catharinum, aliosque prædestinationis necessitatem negantes sit

PRO-

(a) Jacob. Arminius ut insanis Calvini, Bezæ, Piscatoris, aliorumque *Supra-lapsariorum* dogmatibus de prædestinatione malorum non solum ad mortem, sed etiam ad peccata sese opponeret, in Semipelagianismum delapsus est, ut videri potest apud Jacobum Benignum Bossuetum in *Hist. Variat. Eccles. Protestantium* Lib. XIV. num. 23.

(b) Potiori fortasse jure hic error tribuitur P. Gregorio de Valentia in I. P. qu. 23. disp. 1. puncto 4. quamvis in secunda editione aliquod temperamentum addiderit; sed non tale, ut omnino plenam agnoverit in quibusdam specialiter prædestinatis libertatem, qua vere potuissent æternam gloriam promereri, ut ostendit P. Th. de Lemos Tract. III. *de præd.* c. 49.

(c) Tournellius *de Deo, & div. attrib.* qu. 22. art. 1. Theologos, qui ita Catharini doctrinam exponunt, ejus mentem minime assecutos fuisse, dicit, & in eo solum Catharinum errasse definit, quod sine fundamento duplicem prædestinandi modum pro duplici hominum genere excogitaverit; unum ante prævisa merita, per infallibilia, atque efficacissima divinæ gratiæ auxilia; alterum vero post prævisa merita, elicita cum auxilio gratiæ versatilis, communis, ac generalis. Idem fere de Catharino scripserat Paulus Sarpius in *Hist. Concilii Trident.* Lib. II. Nec alii desunt, qui idem de Catharino sentiant, cum incredibile ipsis videatur, virum tam doctum omnem prorsus prædestinationem sustulisse. Verumtamen Catharinus ita perspicue suam sententiam exposuit in Libro, cui titulus est: *Summaria de divina prædestinatione, & reprobatione explicatio*, & in aliis quibusdam suis opusculis, præcipue vero in Comment. ad cap. IX. ep. ad Rom. ut nullum relinquat hac de re dubitandi locum. Præterea hujus erroris fuit Catharinus accusatus a Bartholomæo de Spina S. Apost. Palatii Magistro in libello *de erroribus Catharini* Pio IV. oblato; nec de calumnia hac in parte conquestus est Catharinus, imo in responsione hanc suam sententiam defendere conatus est. Eumdem errorem Catharino tribuunt Sixtus Senensis ejus discipulus Lib. VIII. *Biblioth. sanctæ* annot. 248. ubi eum sibi quoque olim placuisse fatetur, quem propterea mentem Magistri sui non fuisse assecutum, ne suspicari quidem possumus. Bannesius etiam in I. p. qu. 23. art. 7. hujus erroris, quem *manifestam hæresim* appellare non dubitavit, eumdem Catharinum accusat, sicuti etiam Dominicus Soto, & innumeri alii. Vide Echard. in *Script. Ord. Præd.* T. II. ubi de *Catharino*.

Neque prætermittendum videtur, hanc Catharini erroneam opinionem fuisse Semipelagianis præformatam, quos ita alloquebatur auctor libri *Hypognosticon* in fine Lib. VI. *Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breviter probavimus, immane blasphemium est; quam non tantum, sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere, sed & in Patriarchis, & Prophetis, in Martyribus, & Confessoribus, in omnibus Sanctis, & digne servientibus Deo*. Card. Pallavicinus Lib. VIII. *Hist. Conc. Trident.* cap. 13. dicit, hanc sententiam ante 200. annos fuisse traditam a Guill. Okamo, & postea a Gabriele Biel Scotistis, quamvis modo aliquantum diverso. Quod etiam observavit P. Thom. de Lemos in sua *Panoplia* Tom. II. pag. 102. num. 156.

(d) Hoc tamen mirabile videri non debet eo tempore, quo non pauci nullum piaculum reputabant a Sancti Augustini vestigiis recedere, ut Lutheranis, ac Calvinistis se opponerent, qui in hoc Sancto Doctore suorum errorum patrocinium se invenire, falso jactabant. Unde magnus Card. Baronius ad ann. 490. num. 36. ita dolens monebat: *Videant, quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, a Sancti Augustini sententia de prædestinatione recedunt*. Et illustrissimus Bossuetus (*Defense de la Tradition, & des saint Peres* Lib. VI. cap. 19.) nonnullos a Sancti Augustini tutissima doctrina tunc recedentes, in Pelagianismum incaute præcipitasse observat.

PROPOSITIO.

Prædestinatio ita est ad salutem æternam necessaria, ut nemo prorsus eam obtineat, qui non fuerit prædestinatus.

19. Prob. primo. Prædestinati in sacris litteris iidem sunt, ac electi dicente Apostolo ad Eph. I. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in caritate; qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per J. C. in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ*. Huc etiam spectant illa verba J. C. apud Matth. XXIV. 22. *Propter electos breviabuntur dies illi*. Item v. 31. *Congregabunt Angeli electos ejus a quatuor ventis*. Et alia hujus generis multa. Atqui ita electio est ad salutem necessaria, ut quicumque electi non erunt, eam nullo modo consequantur, ut constat ex Matth. XXII. ubi postquam narratum est, hominem veste nuptiali non indutum fuisse missum in tenebras exteriores, illico subditur vers. 14.: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*; ut scilicet intelligamus, omnes non electos eodem modo mitti in tenebras exteriores, hoc est in gehennam: ergo &c.

20. Accedit & illud Apoc. XXI. 27. *Non intrabit in eam* (gloriam) .... *nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*; idest electi, & prædestinati. Ac denique aliis multis prætermissis decretoria videntur ea verba Apostoli ad Roman. VIII. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit*. Quæ S. Pauli verba S. Augustinus expendens *de prædest. San.* cap. 17. *Quos*, inquit, *prædestinavit, hos & vocavit, illa scilicet vocatione secundum propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinavit, ipsos & vocavit: nec alios, sed quos ita vocavit, ipsos & justificavit; nec alios, sed quos prædestinavit, vocavit, justificavit, ipsos & glorificavit*.

21. S. Augustino consentiunt ejus discipuli sancti Prosper, & Fulgentius. Primus quidem in resp. ad object. Gallorum *prædestinationem a nemine catholicorum negari* dicit. (Vid. etiam contra Collat. cap. 18.) S. autem Fulgentius *de fide ad Petrum* cap. 36. *Firmissime tene*, inquit, *& nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo, neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinavit; nec quemquam eorum, quos non prædestinavit ad vitam, ulla posse ratione salvari*.

22. Prob. demum nostra propositio invicta hac theologica ratione. Si respectu salvandorum secundi ordinis nulla esset specialis prædestinatio, ut Catharinus docet, sed sola illa generalis voluntas Dei salvandi omnes homines, sequeretur, totum discrimen inter eos, qui salvantur, & qui pereunt, esse ab hominum voluntate desumendum; & sic illi possent præ aliis gloriari, quod a communi corruptionis massa seipsos discrevissent. Hoc autem est contra apertam sententiam Apostoli Pauli dicentis 1. Corinth. IV. 7. *Quis te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

23. Ob. primo. In sacris litteris alicubi regnum cœlorum præparatum dicitur a mundi constitutione, ut Matth. XXV. 34. *Possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*. Alibi vero idem regnum præparatum dicitur ante mundi constitutionem Ephes. I. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Hæ contrariæ loquendi formulæ facillime conciliantur, si dicamus, aliquibus, nempe Sanctis primi ordinis, regnum præparatum ex æterna prædestinatione, ceteris autem secundi ordinis in tempore ex sola generali voluntate salvandi omnes.

24. Resp., ea verba *a mundi constitutione* æternitatem significare, & unum, eumdemque sensum reddere, ac ista, *ante mundi constitutionem*; quemadmodum Christus Dominus Apocal. XIII. 8. dicitur agnus *occisus ab origine mundi*, seu ab æterno destinatus ad occisionem. Sane illa divini Judicis benedictio, *possidete regnum* &c. non pertinet ad solos Sanctos secundi ordinis, sed ad Deiparam etiam Virginem, ad Apostolos, atque ad omnes eos, qui positi a dextris audient faustissimam illam Jesu Christi vocem: *venite benedicti Patris mei* &c.; ut proinde nihil in eis prædii esse possit ad commentitiam illam duplicis ordinis distinctionem.

25. Ob. secundo. Matth. XX. celebris habetur parabola de operariis vineæ, quibus eadem merces vespere retributa fuit, quamvis alii plus, alii minus in vinea laboraverint. Parabolam autem ita Salvator noster concludit vers. 16.: *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. His verbis Catharinus se triumphare credit; qui enim vocati tantummodo sunt, electi, & prædestinati non sunt; atqui tamen iis non minus ac aliis denarius, idest vita æterna, tribuitur: multi ergo sine prædestinatione salvantur; adeoque &c.

26. Resp. Perdifficilem, & obscuram, ut alias observavimus (Dissert. III. n. 160.), esse hanc parabolam, nec uno modo a sanctis Patribus explicari. Duæ autem sunt ejusdem interpretationes præcipuæ, quarum neutra Catharino favet. Primo enim nomine denarii intelligitur quidem ab aliquibus vita æterna; sed hac posita interpretatione dicendum est cum S. Jo. Chrysostomo Hom. in hunc locum, parabolam iis verbis absolvi: *an non licet mihi, quod volo facere?* quibus Deus sub figura Patris familias ostendit, se omnino Dominum esse, nec quemquam posse de gratuita distributione suorum donorum conqueri. Verba autem,

tem, quæ sequuntur vers. 15.: *Sic erunt novissimi primi* &c. separatum habent sensum, & huic fere æquivalentem: Gentes, quæ novissimæ vocabuntur ad fidem, anteponentur Judæis, qui primi vocati sunt; quamvis ex ipsis gentilibus, & ex omnibus vocatis ad lucem Evangelii pauci ad vitam æternam electi sint. *Quod autem dicit*, comentatur Chrysostomus, *multi sunt vocati* &c., *non ad superiores sanctos pertinet*, *sed ad gentes; quoniam ex ipsis gentibus*, *qui multi sunt vocati*, *pauci sunt eligendi*.

27. Alii autem S. Patres, & interpretes in ea parabola nomine denarii non vitam æternam, sed mercedem quamcumque intelligi volunt. Porro qui novissimi vocati facti sunt primi in receptione denarii, sunt electi, qui propterea vitam æternam receperunt. Alii vero, qui primi vocati erant, & facti sunt novissimi, aliquam mercedem & ipsi consecuti sunt, sed terrenam, & temporalem, non autem vitam æternam. Nam in phrasi Scripturarum Sacr. pro novissimis semper intelliguntur reprobi. Lucæ XIII. 28. *Cum videritis Abraham*, *& Isaac*, *& Jacob*, *& omnes Prophetas in regno Dei*, *vos autem expelli foras*. *Et venient ab oriente*, *& occidente*, *& aquilone*, *& austro*, *& accumbent in regno Dei*. *Et ecce sunt novissimi*, *qui erant primi*, *& sunt primi*, *qui erant novissimi*. Ubi eadem prorsus est significatio, scilicet Judæos, qui primi erant, propter incredulitatem futuros novissimos, & expellendos foras; gentiles vero, qui erant novissimi, futuros primos, & salvandos.

28. Vel etiam dici potest cum aliis Commentatoribus, hic *primos*, & *novissimos* sumi non in se, sed respectu hominum; idest qui apud homines contemnuntur, & putantur novissimi, futuros primos in regno cælorum, idest antecessuros alios Sanctos, quorum virtutes ab hominibus majores æstimabantur, videbanturque plus laborasse in vinea Domini.

29. Dices: Operarii in ea parabola descripti perseverantes usque ad vesperam laboraverunt; ergo per eos designantur justi perseverantes, quibus proinde æterna vita debetur. Cumque omnes non sint electi, manifestum fit, aliquos etiam non electos salvari.

30. Resp. non satis esse in laboribus usque ad vesperam perseverare, nisi id fiat, ut oportet, cum debito fine, modo, aliisque circumstantiis; cum apud Deum non tam pensetur effectus, quam affectus. Quod si aliquis contendat, omnes, qui perseverarunt laborantes in vinea, recepisse mercedem, hoc est vitam æternam, non repugnabo, modo concedatur, omnes illos sic perseverantes fuisse non ex *multis vocatis*, sed ex *paucis electis*. Ceterum illud est in memoriam revocandum, quod superius (Dissert. III. num. 164.) monuimus, parabolas non esse nimium ad vivum resecandas, nec singula urgenda; sed unice ad earum scopum attendendum, qui in hac parabola est ostendere, in negotio salutis non eos præferri, qui in tempore priores sunt, sed qui merita habent majora; & omnia demum a supremo Dei in creaturas dominio pendere (a).

31. Ob. tertio. Electio tam in sacris, quam in profanis litteris fieri dicitur in numero bonorum. Ita Christus Dominus XII. Apostolos inter suos Discipulos elegit; & Apostoli inter multos fideles elegerunt septem Diaconos. Ita quoque eligi solent Episcopi, Magistratus, & Reges: ergo etiam in negotio salutis æternæ electi sunt peculiariter distincti; qui vero electi non sunt, non propterea reputandi sunt reprobi.

32. Resp. neg. conseq. Imo argumentum ipsum contra Catharinum retorquetur; sicut enim in aliis electionibus qui electus non est ad aliquod officium, eo ipso ab eodem officio censetur exclusus; ita in negotio salutis, qui a Deo electi non sunt ad vitam æternam, ab eadem omnino censentur exclusi.

33. Ob. quarto. Nisi iste adstruatur duplex salvandorum ordo, prædestinationis doctrina adeo dura est, ut ferme nos in desperationem inducat. Ita enim cuique statim in mentem venit, quod si prædestinatus non est, quidquid faciat, salutem obtinere nequeat. Contra autem se res habet in Catharini sententia, in qua potest homo etiam sine prædestinatione salutem consequi.

34. Resp. primo, eandem difficultatem moveri posse posita divina salvandorum præscientia, quam Catharinus admittit. Ita enim potest homo cogitare: Si Deus me damnandum præscierit, quidquid fecero, damnationem non evitabo; impossibile est enim divinam præscientiam falli.

35. Resp. secundo. Falsam esse illam propositionem: *Si prædestinatus non sum*, *quidquid fecero*, *nunquam salutem consequar*. Ideo enim qui prædestinatus non est, certe damnabitur, quia propria sua perversitate vel Dei gratiam non consequetur, vel si eam consequatur, sua culpa eamdem amittet, quam tamen si vellet, posset conservare. Unde S. Augustinus *de dono persev.* cap. 22. inquiebat: *Si qui obediunt*, *sed in regnum ejus*, *& gloriam non sunt prædestinati*, *temporales sunt*, *nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt*.

36. Ob. ult. Deus sincere vult, etiam non prædestinatos salvos fieri: impossibile est ergo, hanc Dei voluntatem omnino suo effectu frustrari; adeo ut in infinita propemodum hominum multitudine, quos

(a) De hac parabola dignus est, qui legatur Jansenius Gandavensis P. III. Commentar. in *suam Concordiam*, *ac totam evangel. historiam* cap. 101., ubi varios sanctorum Patrum sensus exponit. Videri etiam possunt P. Alph. Salmeron Tom. VII. *Commentar. in evangel. historiam tract.* 33. Estius in Lib. I. *Sentent.* Dist. 40. §. 5., & alii.

quos Deus salvari vult, nec unus reipsa salvetur.

37. Resp. hoc argumentum, quod magni facit Catharinus, esse omnino futile. Deus, ut supra ostensum fuit, vult homines non prædestinatos salvos fieri, voluntate antecedente, non consequente; & quemadmodum voluntas consequens nunquam effectu suo frustratur, ita voluntas antecedens nunquam effectum suum sortitur, saltem principalem, ratione cujus dicitur antecedens; alias esset voluntas consequens. *Deus*, inquit S. Thomas 1. P. quæst. 23. art. 4. ad 3., *vult omnes homines salvos fieri antecedenter (quod non est simpliciter velle, sed secundum quid), non autem consequenter, quod est simpliciter velle.*

CAPUT III.

De Causis prædestinationis hominis lapsi ad gloriam.

38. Origenes, Pelagianorum prodromus, ut S. Thomas refert 1. P. quæst. 23. art. 5. animas hominum, priusquam corporibus immitterentur, præextitisse somniavit, & pro meritis, in commentitio illo statu comparatis, fuisse vel ad gloriam prædestinatas, vel ab ea rejectas. Hanc opinionem, subdit Angelicus, excludit Apostolus Rom. IX. 11. de Jacob, & Esau dicens: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.*

39. Pelagiani, qui gratiæ necessitatem ad bene operandum non admittebant, eos ad vitam æternam prædestinari dicebant, quos Deus libero arbitrio bene usuros prævidit. Unde potius salvandorum præscientiam, quam veri nominis prædestinationem, in Deo ponere convincebantur.

40. Quod etiam dicendum est de Semipelagianis: quanquam enim aliquam Dei gratiam agnoscerent, a nutu nostræ voluntatis pendulam, atque etiam nomen *propositi*, aut prædestinationis usurparent, veram tamen, & absolutam prædestinationem non agnoscere convincebantur, quia ejusdem causam dicebant esse merita a Deo sub inefficaci divinæ gratiæ adjutorio prævisa (Vid. sup. n. 13.). Unde etiam consequebatur, Deum potius præscire, quam prædestinare salvandos.

41. Cum vero a S. Augustino fortiter prementur exemplo parvulorum, ante rationis usum morientium, quorum certe bona, vel mala opera Deus prævidere non potuit, tunc illud absurdissimum commenti sunt, eorum quosdam fuisse ad baptismum, & ad vitam æternam prædestinatos intuitu meritorum, quæ sibi eosdem parvulos comparaturos Deus prævidit, si ad adultam pervenissent ætatem; ceteros autem sine baptismo mori, ut pœnam eorum criminum luerent, in quæ Deus eos prolapsuros vidit, si rationis usum attigissent. Hinc origo eorum futurorum conditionatorum, quorum conditio ponenda non est, de quibus late egimus Dissert. IV. *de Scientia* c. 5. His erroribus explosis, qui ab Ecclesia proscripti sunt, sequitur, ut modo de opinionibus scholarum breviter dicamus.

42. Scholastici bene observarunt, prædestinationem sub duplici aspectu considerari posse, scilicet *adæquate*, vel *complete*, & *inadæquate*, seu *incomplete*. Primo modo significatur voluntas Dei dandi simul gratiam & gloriam; & hoc sensu omnes Catholici confitentur, prædestinationem esse gratuitam, hoc est, a sola beneficentissima Dei voluntate pendere, nullamque in nobis esse ejusdem prædestinationis causam. Quia etiamsi poneretur, Deum aliquos ad gloriam prædestinare propter merita prævisa, cum tamen ipsa merita sint ex gratia, adeoque gratuita Dei dona, adhuc prædestinatio ad gloriam esset mere gratuita.

43. Inadæquate autem, vel incomplete sumitur prædestinatio, quando consideratur, ut solam gloriam respiciens. Et sub hac una consideratione prædestinationis inadæquatæ orta est celebris controversia, an gratuita omnino sit, an vero ex prævisione meritorum facta.

44. Et quidem communis olim opinio Theologorum erat, Deum ex corrupta, damnataque hominum massa voluisse aliquos pro suæ voluntatis beneficio gratuita electione liberare; quibus proinde ea efficacissima suæ gratiæ auxilia præparavit, quibus infallibiliter, ac simul libere gloriam consequerentur æternam, aliis in promerita damnatione juste derelictis. Huic veterum omnium sententiæ tota Schola Thomistica immobiliter semper adhæsit. Neque dissentit Schola Augustiniana, saltem cum sermo est de prædestinatione hominum in statu naturæ lapsæ. Nam de Angelis, & de statu naturæ integræ aliam esse rationem, modo contendit.

45. Sed sæculo XVI. ad occasum vergente P. Lud. Molina, novo invecto systemate gratiæ divinæ simul cum humana libertate conciliandæ, gratuitam hominum prædestinationem ad gloriam oppugnare aggressus est. Deum namque non aliter homines ad gloriam prædestinasse docuit, quam intuitu meritorum jam prævisorum, seu ut ipse loquitur (in *Concordia* quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. membr. 11.) *secundum præscientiam boni usus liberi arbitrii* (a).

46. Non omnes tamen, qui Molinæ systema de scientia media, & gratia versatili amplexi sunt, eidem etiam subscribunt, cum agitur de prædestinatione. Nam Bellarminus Suarez, aliique non pau-

(a) Videri potest Molinæ sententia latius explicata a P. Ferdinando de Bastida in Congregat. de divinis auxiliis apud Serry Lib. III. *Hist.* earumdem Congregat. cap. 41.

pauci opinati sunt, Deum prius ad gloriam, quam ad gratiam, & ad bona opera homines salvandos prædestinasse (a). Imo Card. Bellarminus Lib. II. *de gratia*, *& lib. arb.* cap. 11. hanc sententiam *non quorumvis Doctorum opinionem*, *sed Ecclesiæ Catholicæ fidem* appellare minime dubitavit.

47. Sed etiam inter eos, qui scientiam mediam rejiciunt, & gratiam ab intrinseco efficacem tuentur, nonnulli putarunt, dici non posse, Deum prius ad gloriam, quam ad gratiam homines prædestinasse. Quæ quidem opinio, quanquam Augustinianæ, & Thomisticæ de vera Christi gratia doctrinæ non repugnet, theologicæ tamen rationi, qua varium divinorum decretorum ordinem pro modulo nostro distinguere assueti sumus, minime consentit (b).

PROPOSITIO.

Prædestinatio, seu electio aliquorum hominum ad gloriam in hoc naturæ lapsæ statu gratuita omnino est, nec prævisionem bonorum operum subsequitur.

48. Prob. primo ex sacris litteris, in quibus celebratissimum est illud S. Pauli testimonium Roman. IX., quo sæpissime usus est S. Augustinus contra Pelagianos. Ibi enim Apostolus loquens de duobus geminis Jacob, & Esau, quorum prior figuram gerebat prædestinatorum, alter vero reproborum, *Cum nondum nati fuissent*, inquit vers. 11. *aut aliquid boni egissent*, *aut mali* (*ut secundum electionem propositum Dei maneret*), *non ex operibus*, *sed ex vocante dictum est ei* (scilicet Rebeccæ), *quia major serviet minori*, *sicut scriptum est*, Genes. XXV. 23. *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui*. Ibi Apostolus opera etiam facta gratiæ auxilio, cujusmodi certe erant opera Jacob, a prædestinationis, seu electionis causis excludit.

49. Deinde pergit S. Paulus, & pluribus verbis gratuitam quorumdam electionem ostendit. *Quid ergo dicemus?* inquit: *numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserebor*, *cujus misereor; & misericordiam præstabo*, *cujus miserebor*. *Igitur non volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis est Dei* ... *ergo cujus vult*, *miseretur*, *& quem vult*, *indurat*. Quæ omnia eo tendunt, ut intelligamus, hominum electionem unice a Dei misericordia pendere.

50. Demum neque querelas dissimulat eorum, quibus gratuita ista, & sola Dei voluntate suspensa electio injusta videri solet. Eas autem his verbis dispungit: *O homo*, *tu quis es*, *qui respon-*

(a) P. de Rhodes Disp. *de Deo* quæst. 2. sect. 5. de prædestinatione gratuita loquens: *Tenent illam*, ait, *primo Scripturarum interpretes nobilissimi*, [*Abulensis*, *Salmeron*, *Pererius*, *Toletus*, *Lyranus*, *& ad unum veteres omnes*. *Secundo controversiarum Scriptores celeberrimi*, *Bellarminus*, *Driedo*, *Richardus*, *Castro*, *Estius*, *Horantius*. *Tertia Scholastici fere omnes*, *Scripturas habent pro se apertissimas*, *ac multos Patres*, *rationes denique omnino efficaces*. Addere potuisset etiam mysticæ Theologiæ scriptores; ex quibus unum laudabo, non minus pietate, quam doctrina celebrem Ludovicum Granatensem Ord. Præd., qui ante concertationes cum Molinianis exortas in suo *Memoriali vitæ Christ.* tract. 6. ita de prædestinatione ad gloriam scribebat: *Hæc sine dubio pura gratia est*, *& misericordia Dei*, *quoniam non præsupponit merita; imo ipsa est omni merito prior*, *& solum a beneplacito divinæ voluntatis pendet*. Nec prætermittenda videntur ea verba, quæ ex libello *de ratione studiorum* PP. Societatis refert Serry L. I. *Hist. de Auxiliis* c. 2.: *Item definitum est*, *prædestinationis nec rationem*, *nec conditionem esse ex parte nostra*. *Id ad pietatem parum pertinere dicet aliquis*. *At hanc Augustini doctrinam non modo communiter Theologorum schola jam recepit*, *sed & Ecclesiæ Patres &c.* Reipsa P. Franc. Suarez Lib. III. *de Auxiliis* divina decreta hoc ordine disponit, ut primo voluerit Deus aliquos absolute, & efficaciter ad gloriam eligere; deinde eos in tali rerum ordine, & circumstantiis congruis collocare, in quibus per scientiam mediam eos bene operaturos, & usque in finem perseveraturos prævidit; ac demum voluisse Deum ipsis dare gloriam, ut præmium, & mercedem bonorum operum, quæ auxilio gratiæ facturi essent.

(b) P. Th. de Lemos in Congregat. habita 4. Jan. 1765. *dupliciter*, inquiebat, *quis potest asserere*, *electionem ad gloriam fieri ex prævisis operibus*, *primo ita quod Deus prius decernat*, *dare homini efficacem gratiam*, *ex cujus vi*, *& efficacia bene operetur*, *& deinde ex prævisione meritorum procedentium ex efficacitate gratiæ Deus illum eligat ad gloriam*. *Et qui sic diceret*, *licet male philosopharetur*, *constituendo in Deo prius efficacem volitionem dandi medio*, *quam efficacem intentionem finis; tamen ab errore Pelagianorum inveniretur alienus*, *quia jam admitteret*, *nihil habere hominem talem*, *quod non procederet ex efficacia gratiæ Dei*. *Et hoc modo possunt aliqui Scholastici sine errore Pelagianorum procedere*. *Alio modo sit electio ad gloriam ex prævisione operum*, *seu innatæ libertatis*, *bene ex se sola utentis auxiliis gratiæ*, *& illa efficacia reddentis*, *ut eligatur ad gloriam*. *Et hæc a quocumque dicatur*, *aperta sententia Pelagianorum est*. *Ita in Hist. Congregat. de Auxiliis* p. 950. Vid. etiam Serry Lib. III. *de Congregat. &c.* cap. 41.

Auctor libri *de l'Action de Dieu sur les creatures* Sect. VI. P. III. cap. 4. contendit, male statui ab aliquibus, gloriam esse finem a Deo intentum, gratiam vero ut medium ad eumdem finem consequendum, ac propterea inepte ordinem quemdam decretorum in Deo fingi. Hoc etiam probabilius judicat Du-Hamel in sua *Theol. Speculatrice*, *& practica* tract. 2. c. 10. Utramque opinionem accurate, copioseque expendit Witasse T. I. q. 15. art. 2. Sect. 4. & 5. Sed, ni fallor, totam hanc quæstionem paucis, sed perspicua ita S. Thomas expedit I. P. qu. 10. art. 5. inquiens: *Velle finem non est Deo causa volendi ea*, *quæ sunt ad finem; sed tamen vult ea*, *quæ sunt ad finem*, *ordinari in finem*. *Vult ergo*, hoc *esse propter hoc*, *sed non propter hoc vult hoc*.

spondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Et alia insuper addit, quibus apertissime gratuita bonorum electio significatur; nullus quippe fuisset hujusmodi querelarum locus, si prædestinatio electorum a prævisione meritorum penderet.

51. Neque id negare possunt Adversarii. Sed communis fere eorum responsio est, Apostolum ibi loqui de electione hominum ed gratiam, quæ certe a sola Dei voluntate, nullatenus autem ab eorum meritis pendet; non de electione ad gloriam, quæ fit intuitu meritorum, quæ Deus in electis prævidit. Certe S. Augustinus Lib. I. *ad Simplic.* qu. 2. hunc Apostoli locum de electione ad gratiam exponit. Alii autem Patres, ut Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, & Theophilactus, exemplum figuli significare dicunt obedientiam, quam Deo debemus. Vid. Petavius Lib. X. *de prædest.* cap. 1.

52. Facile tamen est vim nostri argumenti tueri. Apostolus enim de utraque electione tum ad gratiam, tum ad gloriam loquitur, & utramque gratuitam esse vult. Neque enim una cum altera pugnat, ut simul consistere nequeant; quin potius una est effectus alterius; scilicet efficax electio aliquorum ad gratiam, & ad finalem perseverantiam, effectus est gratuitæ electionis eorundem ad gloriam; quod S. Augustinus sæpius ostendit, ut inferius patebit.

53. Modo autem satis est totum illius loci contextum expendere. Nam primo amor Dei, de quo ibi sermo est, maxime in electis ad gloriam resplendet, sicuti contra odium Dei manifestum fit in reprobis. Deinde Apostolus prædestinatos secundum electionem Jacob vocat *vasa misericordiæ, præparata in gloriam;* rejectos vero una cum Esau dicit esse *vasa iræ, apta in interitum.* At vero *vasa misericordiæ præparata in gloriam* certe non sunt homines prædestinati tantum ad gratiam, & non ad gloriam, alias etiam Judas fuisset *vas misericordiæ præparatum ad gloriam*, quod nemo dixerit: sunt ergo prædestinati etiam ed gloriam.

54. Neque vero aliquis cavilletur ex iis verbis ejusdem Apostoli 2. ad Timoth. II. 21.: *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum....* Manifestum est enim, ibi sermonem non esse de electione Dei ad gloriam, sed de ipso effectu gratiæ, quo peccatores a suis culpis emundati fiunt vasa in honorem. Hujus autem temporalis effectus causa est æterna Dei prædestinatio, tam ad gratiam, quam ad gloriam.

55. Nobis autem minime obest, quod S. Augustinus, vel alii etiam sancti Patres nonnunquam hunc insignem locum Apostoli explicent de electione hominum ad gratiam; neque enim inde fit, eumdem non posse etiam, & debere explicari de electione ad gloriam.

56. Multoque minus nobis ii Patres adversantur, qui figuli similitudinem, qua Apostolus utitur, metaphorice adhibent ad significandam obedientiam Deo debitam. Certum est enim, illud exemplum litteraliter ab Apostolo adhibsri ad ostendendum, posse Deum pro supremo suo dominio absque ulla injustitiæ nota non omnes, sed eos, quos vult, ex damnata humani generis massa gratuito beneficio liberere; quemadmodum figulus ex eodem luto vasa fingit arbitratu suo vel in honorem, vel in contumeliam.

57. Ceterum de electione ad gloriam hunc Paulinum textum S. Augustinus interpretatus est in *Enchiridio* cap. 98. & seq.; & alibi quam sæpissime (*a*). Eamdem postea interpretationem secuti sunt S. Gregorius P. Lib. XXIX. *Moral.* c. 15., Vener. Beda in Comment. ad hunc locum, & plures alii cum veteres, tum recentiores. Ii autem præcipue, qui Sæc. IX. in celebri causa Monachi Goteschalchi pro tuenda S. Augustini doctrina strenue decertarunt, sunt S. Remigius cum tota sua Lugdunensi Ecclesia in Lib. *de tenenda verit. script. cap. 4.* Ratramnus Corbejensis, Lupus servatus, aliique.

58. Nobis sufficit audire S. Thomam, qui aliorum sententias collegit, & ea verba explicans: *Jacob dilexi &c.* (Lect. II. in hunc locum) *Sicut autem*, inquit, *dilectio*, *de qua hic loquitur*, *pertinet ad æternam Dei prædestinationem*, *ita etiam odium*, *de quo hic loquitur*, *pertinet ad reprobationem*, *qua Deus reprobat peccatores*. Ulterius hæc pertinere ad prædestinationem ad gloriam clerius adhuc ibidem significat Angelicus, docens, reprobationem convenire cum æterna prædestinatione, „ quantum ad hoc, quod „ sicut prædestinatio est præparatio gloriæ, ita „ reprobatio est præparatio pœnæ.... Differt „ autem quantum ad hoc, quod prædestinatio „ importat præparationem meritorum, quibus pervenitur ad gloriam; sed reprobatio non importat præparationem peccatorum, quibus pervenitur ad pœnam. Et ideo præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis, quia merita præscita cadunt sub prædestinatione: sed præscientia peccatorum potest esse „ aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ „ præparatur reprobatis &c. „. Profecto cæcus est

(*a*) Petavius Lib. X. *de Prædestin.* cap. 1. n. 6., dicit, Augustinum, ubicumque divinæ electionis nomina occurrunt, ea semper ad salutem æternam referre, secus ac Scripturæ contextus ostendat. Quæ Petavii censura quam iniqua sit ostendit P. Laur. Berti Lib. VI. *de theol. disciplinis* cap. 2.

est, qui non videat, hæc omnia ad gratuitam prædestinationem ad gloriam pertinere; adeoque textum illum Paulinum de hac eadem prædestinatione esse intelligendum.

59. Dices: Si illa Apostoli verba significarent gratuitam prædestinationem ad gloriam, sequeretur primo, etiam reprobationem a gloria esse gratuitam, qui error Calvini fuit, & Supralapsariorum. Secundo omnes Romanos, ad quos illa epistola data est, imo omnes gentiles ad fidem, & gratiam vocatos, fuisse etiam prædestinatos ad gloriam; quod nemo dixerit.

60. Resp. ex doctrina S. Thomæ mox exposita, discrimen apparere inter prædestinationem, & reprobationem. Sed præterea idem Apostolus hoc discrimen manifeste indicat, dum electos appellat vasa misericordiæ *præparata* in gloriam; præparata scilicet a Deo, qui dat gratiam, & gloriam: reprobos autem vocat vasa iræ *apta* in interitum; apta inquam ex seipsis propter peccata, quorum Deus auctor non est (*a*).

61. Alterum etiam leve est. Eodem enim modo loquebatur S. Paulus de Romanis, imo de omnibus gentibus conversis ad fidem, quo S. Joannes in prima sua epist. cap. V. 13. omnes fideles Parthos alloquens: *Hæc scribo vobis*, dicebat, *ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei*. Hæc nempe dicuntur ex illa spe, & fiducia, quæ de salute omnium fidelium haberi debet. Unde S. Augustinus *de corrept. & gratia* cap. 9. inquiebat: *Appellamus ergo & electos, & Christi discipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos pie vivere cernimus*. Imo ipse S. Paulus ad Philipp. l. 6. inquiebat: *confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis*.

62. Alii Molinistæ, ut Paulini illius testimonii vim eludant, dicunt, iis verbis non significari electos, & reprobos, sed duos populos, Israeliticum ex Jacob, & Idumæum ex Esau, quorum iste debuit alteri servire. Hunc esse germanum eorum verborum sensum colligunt ex Gen. XXV. 23., & Malachiæ I. 2.

63. Verum in eo falluntur Adversarii & fallunt, quod non animadvertunt, totam illam historiam, quæ in veteri testamento ad duos populos immediate spectat, & quidem solummodo quantum ad bona temporalia, hanc inquam historiam mystice referri ad electos, & reprobos. Quibus mysticum sensum nobis postea reseravit Apostolus Paulus, aperte docens, eos duos fratres, & populos ab iis prognatos figuram, & imaginem esse electorum, & reproborum. Cumque hæc mystica interpretatio non privati alicujus Doctoris sit, sed S. Pauli a Deo inspirati, *litteralem* sensum reddit.

64. Hinc etiam patet, nostra parum referre, vera necne sit ea nonnullorum opinio, qui Esau in vera religione mortuum, & salvum esse volunt. Quamvis enim id verum esset, & ea verba: *Jacob dilexi, Esau odio habui* in vet. testamento nonnisi prærogativam temporalis ac terrenæ felicitatis continerent, a Paulo tamen usurpantur ad designandam *litteraliter* æternam aliquorum electionem ad gloriam, & quorumdam ab eadem gloria reprobationem.

65. Respondent alii, Apostolum, cum dicit: *non ex operibus*, excludere solum opera præcedentia, non autem subsequentia, & a Deo prævisa, quæque si bona sunt, ex dono gratiæ sunt, non ex solis naturæ viribus.

66. Sed hæc etiam responsio ab Apostoli sensu quam longissime aberrat. Ut enim S. Augustinus observat epist. 194. al. 105. ad Sixtum, ita Apostolus electionem Jacob non pendere ab operibus dicit, ut eam unice repetat a Dei proposito: *non ex operibus, sed ex vocante*. Præterea eas objicit difficultates, quibus nullus esset locus, si electio intuitu operum quocumque modo facta fuisset. „ Si futura opera, *ait idem S. Doctor* „ *in Enchiridio cap.* 98. vel bona hujus, vel „ mala illius, quæ Deus utique præsciebat, vel- „ let intelligi, nequaquam diceret: non ex ope- „ ribus; sed diceret: ex futuris operibus; eoque „ modo solveret istam quæstionem, imo nul- „ lam, quam solvere opus esset, faceret quæ- „ stionem ".

67. Prætermitto alia non pauca sacr. litterarum oracula, quibus nostra propositio a Scholasticis probatur, præcipue vero a profundissimo Theologo Thoma de Lemos Tom. II. tract. 2. cap. 24. & seq., & solum cum Jac. Ben. Bossueto (*Discours sur l'Hist. univ.*) observo, omnes fere electiones in sacris litteris commemoratas a gratuita Dei voluntate repeti. Sic gratuito electus est Abraham, ut esset pater omnium credentium. Inter ejus filios gratuito electus est Isaac; & ex duobus geminis ejusdem gratuito electus est Jacob. Iterum ex 12. filiis hujus Patriarchæ Juda gratuito electus est, ut ex eo Regum series propagaretur, atque ex ejus Tribu Messias expectatus nasceretur. Gratuita fuit electio humanitatis Christi in consortium divinæ naturæ. Gratuito demum distribuuntur dona gratiæ; imo vel ipsa dona corporis, ut bona indoles, firmum temperamentum, forma, species, & plurima alia. Quanto ergo magis gratuita erit prædestinatio ad gloriam, quæ est bonorum maximum?

68.

(*a*) Quanquam si verba Apostoli intelligantur non de reprobatione *positiva*, quæ est damnatio ad pœnam, sed de reprobatione *negativa* tantum, quæ est sola exclusio a gloria, tanquam a beneficio indebito, non continebunt errorem Calvini, & Supralapsariorum, sed plurium Thomistarum doctrinam, quam inferius explicabimus.

68. Prob. secundo gratuita electio hominum ad gloriam auctoritate S. Augustini, aliorumque Patrum; qua in re illud præmittendum censeo, quod Dion. Petavius Lib. IX. *de prædest.* cap. 6. sapientissime observavit, scilicet primo in his materiis minorem rationem haberi solere veterum Ecclesiæ Patrum, qui ante Pelagianam hæresim floruerunt, quam eorum, qui postea secuti sunt. Secundo Latinos Patres esse hac in parte græcis anteponendos, quia hæresis Pelagiana Ecclesiam latinam exercuit, non græcam. Tertio demum, omnium Latinorum principem esse *consensu Theologorum Augustinum, cujus de gratia sententiam quotquot deinde consecuti sunt Patres, ac Doctores, tum vero Ecclesiæ Rom. Præsules, Præsulumque Conventus aliorum ratam, & catholicam esse judicarunt; ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum esse constaret* (a).

69. Hinc S. Augustini, & Latinorum Patrum auctoritate contenti erimus; fatendum est enim, Patres græcos, nonnullosque alios, antequam hæc materia, Augustini sedulitate, & diligentia, plena in luce collocaretur, non quidem fuisse Augustino contrarios; sed non ita clare, ac luculenter eam mentem exposuisse, quemadmodum postea fieri opus fuit, ad Pelagianam hæresim denudandam, & condemnandam. Jam vero

70. S. Augustinus in ep. 194. alias 105. ad Sixtum expendens celebrem illum S. Pauli locum Roman. IX., de quo supra num. 48., demonstrat, nullam esse in Deo injustitiam, aut acceptionem personarum, ex quo pro sua voluntate aliquos æterna prædestinatione a massa damnationis liberavit, aliis in eadem massa ex justitia relictis. *Acceptio*, inquit, *personarum nulla fit, ubi omnes una eademque massa damnationis, & offensionis involvit: ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia utique non operibus reddita, sed gratuita bonitate donata.* Similia repetit ibidem paucis interjectis, tum multis aliis in locis. At vero liberatio a massa damnationis Augustini mente non est prædestinatio tantum ad gratiam, sed etiam ad gloriam, imo potius ad gloriam, quam ad gratiam; quod pluribus ejusdem S. Patris testimoniis facile est demonstrare. Nam Lib. *de corrept. & grat.* cap. 7. *Tam illi*, inquit, *qui Evangelium non audierunt, quam illi, qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt .... non sunt ab illa conspersione discreti, quam non constat esse damnatam.* Et iterum in fine ejusmodi capitis: *Qui vero perseveraturi non sunt .... proculdubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto* (electorum) *numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa damnationis præscientia Dei, & prædestinatione discreti* (b).

71. Præt. idem S. Doctor *de prædest. Sanct.* cap. 18. versans illud S. Pauli Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*, fuse contra Pelagium, copioseque toto illo capite ostendit, non ideo fuisse a Deo electos, quia sanctos, & immaculatos nos esse præscivit; sed contra, ex quo nos elegit Deus, sanctos, & immaculatos nos futuros esse; ut sanctitas propterea non sit prædestinationis causa, sed effectus.

72. Loqui autem S. Doctorem de prædestinatione ad gloriam, manifestum fit ex ejus scopo, scilicet confutandi Pelagium, qui de electione ad gloriam loquebatur, contendens eam non gratuita Dei misericordia, sed ex prævisione bonorum operum esse factam. Et quanquam iste hæresiarcha bona operum merita ex solis naturæ viribus orta esse dicebat, S. tamen Augustinus non solum nulla hominis merita sine gratia agnoscebat, sed etiam ulterius progrediens, electionem ad gloriam ante quorumcumque bonorum operum prævisionem factam fuisse docebat, ut ita omnes Pelagiani erroris radicem convelleret.

73. Ulterius adeo certum, ratumque erat S. Augustino, causam electionis quorumdam ad gloriam non esse eorum merita prævisa, ut perpetuo docuerit, bona electorum opera esse ejusdem prædestinationis effectus. Est hac de re insignis locus in Lib. *de dono persev.* c. 9. ubi quærit, cur de duobus æqualiter justis uni perseverantia finalis donetur, alteri non donetur, & nullam aliam hujus discriminis causam affert, nisi quod primus fuerit ad gloriam æternam electus, non vero secundus. Postquam enim dixerat, eos, qui in justitia non perseverant, secundum electionem gratiæ fuisse ex ovibus Christi, ita subdit: *Verumtamen secundum aliam quamdam discretionem non erant ex nobis .... non erant in Christo electi ante constitutionem mundi .... non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui u-ni-*

(a) Eruditi mirari satis non possunt, Petavium de S. Augustini auctoritate tam magnifice scripsisse: probasse deinceps, Augustinum docuisse, sine illa prorsus meritorum prævisione factam esse aliquorum electionem ad gloriam; idque non molli brachio, sed ita ut ingenii, quo pollebat, summi vires omnes in hoc impendisse videatur; ac demum insperato in Lib. X. eamdem gratuitam electionem rejecisse. Annon in eximium hunc Scriptorem, aliosque ejus similes illud quadrare videtur, quod S. Prosper in epist. ad Rufinum cap. 3. de aliquibus S. Augustini censoribus dicebat: *magna gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint?*

(b) Petavius L. IX. *de prædest.* cap. 6. n. 10. hunc S. Augustini locum expendens, *illustris*, inquit, *& peremtorius est, qui unus dirimendæ controversiæ sufficere potest, si quis, minime studio partium obcæcatus, sed æquus & quietus veritatis arbiter esse velit.*

niversa operatur. Nemo non videt, hic duplicem ab Augustino distingui electionem, ad gratiam unam, alteram ad gloriam, & in prædestinatis prima repeti a secunda, tanquam effectum a causa.

74. Demum ne omnia congeram, S. Augustinus quamsæpissime suos adversarios premebat exemplo parvulorum, quos certe Deus non potuit eligere ad gloriam intuitu meritorum, cum nulla habituri essent. Ita *de dono persev.* cap. 9. 11. & 12. Concludebat autem, quod in parvulis nemine refragante contingit, *hoc & de majoribus fieri, nequaquam omnino cunctemur*. Quod exemplum parvulorum cum circa actualem gloriæ retributionem non valeat, saltem valere debet, quantum ad primam gratuitam electionem.

75. Eosdem suos adversarios ulterius S. Doctor premebat exemplo humanitatis Christi, quæ gratuito Dei beneficio, non autem ex meritis prævisis in consortium divinæ naturæ assumpta fuit. Et postquam multis demonstravit, prædestinationem humanitatis Jesu Christi fuisse omnino gratuitam, sic concludit *de prædest. Sanct.* cap. 15: *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Humana hic conticescant merita, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia, per Jesum Christum Dominum nostrum.*

76. A mente autem S. Doctoris procul aberrant, qui hoc exemplum humanitatis Christi ad solam electionem ad gratiam restringendum esse volunt. Si enim attendatur contextus, tum ex iis quæ cap. seq. subdit, manifeste apparet, ad utramque electionem & ad gratiam, & ad gloriam eum respexisse. De ea electione enim loquitur, qua ita electi vocantur, ut nemo eorum pereat, quæ certe electio est tum ad gratiam, tum ad finalem perseverantiam, atque ad ipsam gloriam æternam (a).

77. Magistrum sequuntur discipuli, & Prosper imprimis, qui in ea epistola, quam *de gratia & libero arbitrio* scripsit ad Ruffinum, acute observat, hanc potissimum causam fuisse Pelagianis, ac Semipelagianis negandi veram Dei gratiam, ne si eam confessi fuissent, etiam gratuitam electionem ad gloriam confiteri cogerentur. „ Ab hac „ autem confessione, *inquit cap.* 11., gratiæ Dei „ ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino eloquio prædicatur, „ & qualis opere suæ potestatis cognoscitur, etiam „ hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni „ numero hominum per secula cuncta natorum „ certus apud Deum, definitusque sit numerus „ prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi. Quod „ quidem tam impium est negare, quam ipsi „ gratiæ contraire. „

78. Sequitur S. Fulgentius in Lib. *de verit. prædest.* cap. 2. inquiens: *Deus prædestinavit, quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam*. En quomodo utramque prædestinationem & ad gratiam, & ad gloriam ex æquo gratuitam esse docet. Nec minus aperte locuti sunt Præsules Africani in Sardinia propter fidem exulantes in epist. Synodica. De Sanctis enim loquentes, *quos*, inquiunt, Deus... *gratis elegit, & prædestinavit ad regnum*.

79. Sed inter alios eminet S. Thomas. Hic fidelissimus S. Augustini sectator I. P. quæst. 23. art. 5. quæstionem instituit, *utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis?* Præmittit autem, non solum quæri, utrum ex parte effectus prædestinatio aliquam habeat causam, sed utrum Deus præordinaverit, se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita; nullus enim fuit tam amens, ut diceret, merita esse causam prædestinationis divinæ ex parte actus prædestinantis. En, ni fallor, a S. Thoma motam ipsissimam illam quæstionem, quæ postea a Molina suscitata fuit. At vero S. noster Præceptor, refutatis prius Origenis, & Pelagianorum erroribus, fuse, ac profunde ostendit, prædestinationis nullam omnino esse causam, nisi divinam voluntatem. Et quamvis in corpore articuli videatur loqui potissimum de prædestinatione ad gratiam, quod tamen etiam loquatur de electione ad gloriam, aperte manifestat in resp. ad 3. ubi certe clarissime agit de electione ad gloriam, & post multa ita concludit: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit* (reprobatione negativa) *non habet rationem, nisi divinam voluntatem*.

80. Quod ulterius duobus aptissimis exemplis declarat. Primo ex rebus naturalibus; cur enim hæc materiæ pars crearetur a Deo sub forma ignis, altera sub forma terræ, nonnisi a divina voluntate pendebat? Alterum exemplum ex artefactis acceptum est. Ut enim isti lapides in hac potius ædificii parte quam in alia locentur, artificis arbitrium est; unde etiam a sola misericordia Dei ac bonitate repetit, quod aliqui determinate homines ad gloriam sempiternam electi sint.

81. Præterea idem S. Doctor q. VI. *de verit.* art. 3. probat, dici non posse, quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addat, quam certitudinem præscientiæ; *quia sic præ-*

(a) Multo plura S. Augustini testimonia videri possunt apud Petavium Lib. IX. *de prædest.* cap. 6. 7. & 8., tum apud P. Laur. Berti Lib. IV. *theol. discipl.* cap. 6., apud Car. Witasse, & alios, Sanctum Augustinum aperte docuisse electorum prædestinationem ad gloriam esse gratuitam, præter Petavium confessi sunt etiam Molina in *Concordia* quæst. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. ult., & Maldonatus in *Opusc. theol.* Tom. III. tract. 4. disp. 2. quæst. 3.

præscientiâ esset causa prædestinationis ... quod est contra auctoritatem Scripturarum, & dicta Sanctorum. Hæc tam aperta sunt, ut plane sufficere videantur (*a*).

82. Prob. tertio prædestinatio gratuita rationibus theologicis. Et certe validissima, & omnino invicta est ea ratio, quam S. Thomas suppeditat I. P. q. 23. art. 4., tum qu. VI. *de verit.* art. 1., & Lect. 2. in cap. IX. epist. ad Rom. In prædestinationis negotio gloria habetur ut finis, merita autem sunt media ad finem illum consequendum; saltem si prædestinatio consideretur respectu hominum, ut modo reipsa consideratur. Atqui omnis, qui ordinate vult, prius intendit finem quam media, cum media sint propter amorem finis, non contra finis propter media: ergo Deus, qui ordinatissime omnia vult, & disponit, prius intendit aliquibus dare gloriam, quam media, nempe bona operum merita ad illam consequendam. Major propositio eo modo, quo dixi, intellecta, a nemine negatur, quod sciam (*b*).

83. Difficultas itaque, si qua est ulla, in minore propositione erit posita; quæ tamen facile potest tum exemplis, tum etiam ratione demonstrari. Exemplis quidem; ipse enim quotidianus rerum usus nos docet, ægrotum prius salutem intendere, quam medicinam, imperatorem exercitus prius victoriam, quam prælium; & quis umquam somniavit, prius fuisse a Deo B. V. M. destinatam Filii sui matrem, quam ejusdem Filii sui incarnatio decerneretur? Suffragatur etiam ratio; ut enim inquit S. Thomas, *non præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis*; quia non volumus finem propter media, sed potius media propter finem. Hinc commune Scholæ proloquium: *Finem esse primum in intentione*. Unde laud. S. Præceptor ita recte concludit: „ prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, „ quod Deus illorum velit salutem; ad quod pertinet electio, & dilectio; dilectio quidem, inquantum vult eis hoc bonum salutis æternæ... „ electio autem inquantum hoc bonum aliquibus „ præ aliis vult. *Vid. sup. n.* 9. "

84. Hoc argumentum valide premit Adversarios, illudque variis modis eludere conantur, potissimum autem dicentes, Deum non velle hominum salutem tantummodo ut finem, & *absolute*; sed tanquam mercedem, coronam, & præmium bonorum operum: hinc non posse illam alicui prædestinare, nisi prius futura ejus merita præsciverit: quemadmodum Rex, qui strenuum militem coronare decerneret, non posset alicui hanc coronam destinare, nisi ejusdem strenuitate vel comperta, vel saltem prævisa.

85. Verum hoc rerum humanarum exemplum Adversarios fallit. Ideo enim Rex non potest alicui præmium efficaciter prædestinare, nisi ejusdem merito jam comperto; quia Rex potest quidem præmium, non autem meritum tribuere; strenuum militem coronare, non autem ex ignavo strenuum facere. Deus contra & gloriam, & gratiam largitur, & iis, quos efficaciter ad gloriam elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis, ad eam tanquam præmium consequendam. *Nullum*, inquit August. *de dono persev.* cap. 13. *elegit dignum, sed eligendo efficit dignum*. Omnia bona opera nostra, virtutes, perseverantia finalis, omnia sunt dona Dei, qui proinde *coronans merita nostra, coronat dona sua*. Potest ergo Deus aliquibus gloriam, ut mercedem destinare, quin eorum merita prævideat, quia ad ipsum pertinet eadem merita largiri.

86. Ulterius, si Adversarii vere concedunt, ut sæpius profitentur, gratiam congruam speciale esse beneficium, specialissimum vero esse perseverantiam finalem, non apparet, quomodo possint allatæ a nobis rationi refragari. Quis enim non statim advertat, ideo voluisse Deum Petro peculiaria hæc sua beneficia conferre, quia ipsum efficaciter salvare volebat? Quis contra recte ratiocinetur, contendens, ideo Deum voluisse Petrum salvare, quia decreverat ipsi gratiam congruam; & finalem perseverantiam concedere?

87. Si vero negent hunc decretorum ordinem, quem ratione nostra distinguimus (vid. sup. n. 47.), hoc ipso fateri coguntur, prædestinationem ad gloriam non esse factam ex prævisis meritis, adeoque esse gratuitam.

88. Coronidis loco duo addimus. Primo Adversariorum sententiam fuisse in quibusdam magni nominis Universitatibus prædamnatam. Secundo prædestinationem gratuitam fuisse, non quidem peremptorio aliquo Ecclesiæ oraculo ut fidei articulum definitam, sed saltem ut orthodoxam probatam, ac vindicatam.

89. Primum patet ex decreto Facultatis Parisiensis, quæ anno 1347. tres inter alias multas Joannis de Mercuria confixit propositiones, quarum prima hæc erat: *Quod propter opera alicujus futura Deus prœordinavit aliquem ab æterno*. Secunda, *Quod aliquis prædestinatus est* ab

(*a*) Sed si quis alia adhuc desideret, adeat copiosissimum P. Thomam de Lemos Tom. II. *Panopliæ gratiæ* tract. 2. c. 29. ubi n. 305. illorum præsidentiam meretur, qui nostrum S. Doctorem omnino invitum, ac reluctantem in suas partes trahere conantur.

(*b*) Excipiendus est Gregorius a Sebenico Carmelita, qui in suo opere, cui titulus *Nova concordia prædestinationis cum libertate humana*, invita prorsus minerva ostendere conatus est, in prædestinationis negotio finem non esse gloriam æternam, sed bona hominum merita. Hanc tamen paradoxam suam opinionem nemini probare potuit. Imo videtur contraria definitioni Conc. Trid. sess. VI. c. 7. ubi dicitur: *Justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna*.

ab æterno propter usum liberi arbitrii, quem Deus præscivit eum habiturum. Tertia, *Quod non sic gratis, & misericorditer Deus prædestinavit, quin & pro omnibus bonis ipsius futuris, vel alterius*. Vid. Fleury in T. XX. *Hist.* L. 95. n. 36. Nat. Alexand. in *Hist. Eccl.* Sec. XIV. c. 3. art. 14.

90. Duæ etiam celebres Universitates Lovaniensis, & Duacena (illa quidem anno 1587. altera anno sequ.) in suis censuris contra Lessium & Hamelium Adversariorum hac de re doctrinam confutarunt, & condemnarunt (a). Censores denique Romani in Congregationibus de divinis Auxiliis vigesimam Molinæ propositionem, quæ adultorum prædestinationem ex prævisione meritorum fieri asserebat, unanimi calculo (uno dumtaxat excepto) condemnandam judicarunt. Quanquam latum postea, & ex juris formulis promulgatum non fuerit conceptum jam, & præparatum supremo Romani Pontificis decretum.

61. Alterum, scilicet sententiam nostram fuisse ab Ecclesia commendatam, & vindicatam, constat primo ex facto Jo. Grimani Patriarchæ Aquilejensis, quod refert Card. Pallavicinus in *Hist. Conc. Trid.* Lib. XXII. cap. 3. Cum enim in suspicionem violatæ fidei adductus esset, eo quod anno 1549. hanc inter nonnullas alias Dominicani cujusdam propositionem probasset: *Prædestinatio duntaxat pendet a liberis Dei promissionibus*, unanimi Judicum a Patribus Concilii delegatorum consensu absolutus fuit anno 1563. Vid. P. Serry in Præf. *Hist. de Aux.* §. 13. & Lib. V. Sect. 1. cap. 4.

92. Constat secundo ex condemnatione Romæ facta ab eminentissimis Cardinalibus Fidei Quæsitoribus epist. cujusdam Adriani Vanvyckii, tum aliorum ejusdem Scriptoris operum 1690. & 1694. quia *censurabat sententiam communem S. Patrum, & Theologorum de gratuita prædestinatione, & gratia per se efficaci*. Verba sunt Censorum, quorum judicium sacer ille Purpuratorum consessus approbavit. Vid. laud. Serry Lib. I. cap. 15. & Lib. V. sect. 2. cap. 2.

93. Constat demum ex verbis, quibus Benedictus XIII. in suis litteris in forma Brevis *Ad demissas preces* ita nos ad nostræ sententiæ defensionem adhortatus est: *Magno animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris, de gratia præsertim per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam, absque ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, & quas ab ipsis S. Doctoribus Augustino, & Thoma se hausisse Schola vestra commendabili studio gloriatur*. In Bullario FF. Prædicat. Tom. V. pag. 545. Et hæc sunt præcipua momenta, quibus nostra sententia manifeste probatur. Plura alia apud nostros Auctores, imprimis autem apud toties laudatum P. Thomam de Lemos facile inveniri poterunt.

Solvuntur objectiones ex sacris litteris.

94. Obj. primo. Matth. XXV. 34. apertissimis verbis Christus nos docet, bona electorum opera causam fuisse, ut illis ab æterno regnum præpararetur. Iis enim dicet in extremo judicio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.*

95. Confirm. primo. Ibidem antithesis fit electos inter, & reprobos, quibus postremis dicetur vers. 41. *discedite maledicti in ignem æternum .... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Atqui certum est contra Calvinum, reprobis non fuisse præparatum ignem æternum, nisi ex præscientia operum malorum, quibus illum promeriti sunt: pari ergo ratione etiam electis paratum fuit regnum bonorum operum intuitu, quibus eos illud promerituros Deus ab æterno prævidit.

96. Conf. secundo auctoritate S. Jo. Chrysostomi, qui Hom. 80. hunc ipsum locum commentatus ita ex persona Christi alloquitur electos: *Nam antequam nati sitis, quia sciebam vos ejusmodi futuros, hæc vobis a me præparata fuerunt*.

97. Resp. ad primum, ea verba: *esurivi enim* &c. quæ causalem continent, non esse referenda ad præparationem primam, seu æternam electionem, sed ad ipsam retributionem, seu ad possessionem regni electis propter bona opera collatam. Id patet ex ipsa supremi Judicis sententia, in qua non dicitur: *possidete regnum, quod vobis ab æterno paratum erat, quia esuriturus eram, & vos mihi daturi eratis ad manducandum*, quod dici deboisset, si illa causalis referretur ad præparationem. Sed recte fluit oratio, si ita verba coordinentur: *quia esurivi, & dedistis mihi manducare, venite, possidete regnum, quod vobis ab æterno mea gratuita bonitate paratum erat*. Secundo id clarius adhuc patet ex aliis verbis, quibus dicetur impiis: *discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare* &c. ubi certe nemo contendet, particulam causalem *enim* esse referendam ad præparationem ignis, factam pro Diabolo; quasi Christus ita diceret: *discedite maledicti in ignem æternum, qui ideo paratus est diabolo, quia esurivi, & vos non dedistis mihi manducare*; quo certe nihil esset obtusius. Quemadmodum ergo in maledictione reproborum particula causalis *enim* non re-

(a) Harum Censurarum historiam, atque apologiam exhibet P. Hyac. Serry in *Hist. Congregat. de Auxiliis*, *Lib.* I. cap. 3. & seq.

respicit nisi actualem retributionem pœnæ: ita in benedictione electorum eadem particula causalis e-*nim* non est referenda ad præparationem regni, sed ad actualem ejusdem possessionem.

98. Ad primam confirm. responsio patet ex dictis; tota enim antithesis in præmii, & pœnæ retributione versatur, quæ utique respicit bona, vel mala merita; non autem in prima electione, vel reprobatione, quantum prior a sola Dei misericordia pendet, altera vero ab ejusdem Dei justitia.

99. Ad secundam confirm. dico, verba S. Jo. Chrysostomi, & similia aliorum Patrum, præsertim græcorum, esse intelligenda de prædestinatione in ordine *executivo*, seu de ipsa gloriæ actuali retributione; non autem de prima electione considerata in ordine *intentivo*. Et quia hæc distinctio magno est usui, aliquanto fusius explicanda, & confirmanda est. Ut ea, quæ in Deo sunt, pro modulo nostro concipiamus, duplex in prædestinationis negotio distinguendus est ordo, alter *intentivus*, *executivus* alter. Nam primo Deus pro sola sua misericordia, & bonitate ex damnata omnium hominum massa aliquos vult liberare, eosque propterea ad vitam, & gloriam æternam, tanquam ad indebitum, & gratuitum beneficium, elegit; unde etiam movetur ad efficacia auxilia gratiæ eis destinanda, quibus eamdem gloriam promereantur, & consequantur. Et in hoc ordine certe voluntas finis præcedit electionem mediorum, vel saltem simul est, ac nullo modo subsequitur. Alter autem ordo respicit ipsam operis executionem, in qua positio mediorum præcedere omnino debet consecutionem finis, seu prius respiciuntur bona electorum merita, ope gratiæ acquisita, quam mercedis retributio.

110. Neque vero commentitia est, ut aliqui dicunt, hæc duplicis ordinis distinctio. Nam primo in omni agente intellectuali executio, seu applicatio potentiæ ad operationem est quid diversum ab intentione; & *quod est primum in intentione, est ultimum in executione;* ut habet tritum illud in Philosophia proverbium. Sic Deus prius intelligitur destinasse Filii sui incarnationem, postea illam beatissimam Virginem elegisse, ex qua nasceretur. At vero in executione prius mater creata fuit, deinde in purissimo ejusdem utero Verbum caro factum est.

101. Præterea hic duplex ordo & sacris litteris, & sanct. Patrum doctrinæ omnino conformis est. In sacris enim litteris vita æterna modo dicitur *gratia*, Rom. VI. 23. *gratia autem Dei vita æterna*; modo vero *corona justitiæ*, *merces*, *&* *præmium*. Gratia nempe est in ordine intentivo a sola Dei misericordia proveniens; in ordine executivo est merces, præmium, & corona bonorum operum. Hinc Concilium Trident. Sess. VI. cap. 16. hoc eodem sensu, ni fallor, docet, *proponendam esse vitam æternam*, *& tanquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam*, *& tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus*, *& meritis fideliter reddendam*.

102. Demum duo magni Ecclesiæ Doctores S. August. & Thomas hanc ipsam duplicis ordinis doctrinam sua auctoritate confirmant. Primus quidem in Lib. *de præd. Sanct.* c. 17. de prædestinatis loquens, *electi sunt*, inquit, *ante mundi constitutionem ea prædestinatione*, *in qua Deus sua futura facta præscivit* (hæc electio est in ordine intentivo). *Electi sunt autem de mundo ea vocatione*, *qua Deus id*, *quod prædestinavit*, *implevit*. En ordo executivus. S. autem Thomas in 1. Dist. 41. art. 2. ad 1. *Electio*, inquit, *divina est*, *qua aliqui ex ordine suæ sapientiæ ordinantur ad finem beatitudinis*. *Sed prædestinatio est*, *secundum quod præparantur eis ea*, *quæ perducunt in finem*. *Et ideo sicut voluntas ordinans in finem præcedit actum voluntatis*, *præparantis ea*, *quæ ducunt in finem*, *ita electio prædestinationem præcedit*. Quam doctrinam sæpius repetit Angelicus, manifeste ostendens, duo esse distinguenda, scilicet primam electionem, quæ pertinet ad ordinem intentivum, & prædestinationem, seu executionem eorum, quæ fuerunt in æterna Dei electione decreta.

103. Ob. sec. Vita æterna sæpissime in sacris litteris vocatur *merces*, *corona*, *bravium*; atqui hæc nomina manifestam involvunt relationem ad merita: ergo electio ad gloriam fieri non potuit sine meritorum prævisione.

104. Resp. Dist. min. hæc nomina involvunt relationem ad merita, quæ sint æternæ electionis causa, nego; quæ sint ejusdem effectus, conc. *Deus*, inquit auctor lib. *de vocatione gentium* Lib. II. *his*, *quos elegit sine meritis*, *dat unde ornentur & meritis*; *& frustra dicitur*, *quod ratio operandi non sit electis*, *cum etiam ad hoc*, *ut operentur*, *electi sint* (a).

105. Inst. Eodem modo sacræ litteræ loquuntur de præmio, ac de pœna; atqui certo certius est, pœnam aliquibus non intendi, nisi ex prævisione malorum operum: ergo etiam vita æterna, quæ est præmium &c.

106. Resp. Dist. maj. in ordine executivo, conc.; in ordine intentivo, nego. Discrimen affert S. Aug. Lib. III. cont. Jul. cap. 18. inquiens: *Bonus est Deus*, *justus est Deus*. *Potest aliquos sine bonis meritis liberare*, *quia bonus est*; *non potest quemquam sine malis meritis damnare*, *quia justus est*. S. Augustino consonat definitio Concilii Valentini can. 3. dicentis, *in electione salvandorum misericordiam Dei præcedere me-*

(a) Ita restituta est vera lectio hujus loci ex codice MS. Bibliothecæ Thuaneæ. Nam antea mendose legebatur: *cum etiam ob hoc operentur*, *ut electi sint*.

ritum bonum; in damnatione autem peritūrorum meritum malum præcedere justum Dei judicium.

107. Ob. 3. Apostolus Paulus Rom. VII. 29. *quos præscivit*, inquit, *& prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui*. Et S. Petrus ita suam primam epistolam exorditur: *Electis advenis dispersionis .... secundum præscientiam Dei Patris*: ergo præscientia meritorum præcedit &c.

108. Confirmatur hæc objectio auctoritate S. Ambrosii, qui Lib. V. *de fide* cap. 2. allata S. Pauli verba commentans: *non enim*, inquit, *antea prædestinavit, quam præscivit: sed quorum merita præscivit, horum præmia prædestinavit*. Similia habent S. Hieronymus Comment. in hunc locum, & S. Augustinus in Lib. *de prædestinatione Dei* cap. 3.

109. Resp. in sacris litteris sæpe *præscire* idem esse, ac *prædiligere*. Sic Roman. XI. 2. *Non repulit plebem suam, quam præscivit*, idest *prædilexit*; sicuti e converso *nescire* idem est ac reprobare, vel odio habere; unde illud Matth. VII. 23. reprobis dictum: *nunquam novi vos*; & XXV. 12. virginibus fatuis: *nescio vos*. Ita hunc locum exponit S. Augustinus *de dono persev*. cap. 18. & alibi; & ante S. Augustinum ita etiam exposuit Origenes in Commentario. Ceterum acute observavit S. Thomas in Comment. Apostolum non dixisse: *quos præscivit conformes fieri imaginis Filii sui, hos & prædestinavit*; sed potius contra: *quos præscivit, & prædestinavit* &c. *ut ista conformitas*, inquit Angelicus, *non sit ratio prædestinationis, sed terminus, vel effectus*.

110. Ad confirm. resp. S. Ambrosium explicuisse verba illa in ordine executivo, in quo verissimum est, eorum prævisa fuisse prædestinata, quorum merita prævisa sunt.

111. Opera autem allegata sub nomine Sanct. Hieronymi, & Augustini spuria sunt & nullius ponderis. Et quidem Commentarius in epistolas S. Pauli, qui olim S. Hieronymo tributus fuit, & Tomo VIII. Operum ejusdem Sancti continetur, opus est impii Pelagii. Parvus autem libellus *de Prædestinatione Dei* Tomo X. Operum S. Augustini, incerti Auctoris est, nec probatæ doctrinæ (a).

112. Ob. quarto. Christus Dominus Joan. V. 30. *Non possum*, inquit, *ego a me ipso facere quidquam, sed sicut audio judico*. Nempe, ut explicat Rupertus Abbas Lib. III. in Matth. Christus Dominus neminem prædestinat ad gloriam ex mero suo beneplacito; sed sicut audit, idest cognoscit in æterna sua præscientia de futuris hominum operibus: ergo &c.

113. Resp. in eo Joannis loco sermonem esse non de prædestinatione æterna, sed potius de sententia, quam Christus judex vivorum, & mortuorum in extremo judicio feret, utique secundum uniuscujusque opera, ut patet ex duobus versic. præcedent. ubi dicitur: *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. Et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii*. Ceterum explicatio Ruperti a vero, & genuino S. Scripturæ sensu videtur aliena. Nam verba illa, *sicut audio*, non sunt referenda ad opera hominum, ut ipse putat, sed ad Deum Patrem; & Jesus Christus inde probat, se in judicando errare non posse, quia per scientiam una cum natura divina sibi a Patre communicatam judicabit. Neque magna est Ruperti Abbatis in hac controversia auctoritas; utpote qui S. Augustini doctrinam palam est insectatus, ut Estius testatur in Lib. I. *Sent*. Dist. 41. §. 8.

Solvuntur objectiones ex Conciliis, & S. Patribus.

114. Ob. primo. Concilium Trid. Sess. VI. can. 20. ita definivit: *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis mandatorum, anathema sit*. Ex hoc canone sic objicitur. Promissio æternæ vitæ juxta hunc canonem est suspensa a conditione observantiæ mandatorum Dei, & Ecclesiæ: ergo etiam electio ad æternam vitam erit ad eamdem conditionem similiter suspensa, scilicet a prævisione ejusdem observantiæ; adeoque absoluta, & gratuita non est.

115. Resp. neg. cons. Plurimum enim inter se differunt promissio vitæ æternæ, & prima ad eamdem vitam electio. Illa enim promissio communis est omnibus hominibus, tam electis, quam reprobis: ad omnes enim spectant ea verba: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* Matth. XIX. 17. & *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* Matth. X. 22. & alia his similia. Quis autem dixerit, electionem ad vitam ad omnes communiter pertinere? Deinde illæ promissiones conditionatæ non sunt causa adimpletionis ejusdem conditionis; hoc enim patet in maxima hominum par-

(a) Nonnulla alia sunt opera apocrypha, ex quibus contra gratuitam Sanctorum prædestinationem aliquid proferri solet, atque omnino rejicienda. I. Pelagiani hominis fœtura est *Epistola de scientia divinæ legis*, quæ continetur Tomo IX. Operum S. Hieronymi. II. Præter supra notatum librum apocryphum *de prædestinat. Dei*, falso tribuuntur Sancto Augustino Liber *de prædestinatione, & gratiâ*, & Liber *Hypognosticon*, quæ opera sunt in Tomi X. Appendice. III. Commentarius in epist. Sancti Pauli, nomen Sancti Ambrosii præferens, incerti auctoris est, & doctrinæ non omnino probatæ. IV. *Homilia de Jacob, & Esau* non Sancti Joann. Chrysostomi, cui olim tribuebatur, sed latini scriptoris est, & quidem ignoti.

parte, qui non observant mandata. Contra autem prædestinatio efficax ad vitam æternam secum trahit etiam adimpletionem præceptorum, tamquam effectum. Prædestinatio enim ad gloriam, ut supra dictum est num. 3. est præparatio beneficiorum Dei, quibus electi certissime liberantur. Canon itaque Tridentinus non spectat ad æternam hominum electionem, quæ gratuita est, absoluta, & efficax; sed ad promissionem vitæ æternæ omnibus factam sub conditione observantiæ mandatorum Dei, contra errorem Calvini, qui nonnisi fidem ad justificationem esse necessariam, non autem bona opera, impie contendebat.

116. Inst. Calvinus prædestinationem volebat esse gratuitam & absolutam, sine ullo respectu ad bona opera: ergo etiam hæc sententia fuit a Patribus Tridentinis proscripta.

117. Resp. errorem Calvini non in eo fuisse, quod prædestinatio electorum esset absoluta, & gratuita, sed quod electis omnimodam imponeret necessitatem, & quod humana merita dono gratiæ libere comparata non solum negaret esse prædestinationis causam, sed neque ejusdem prædestinationis effectus esse vellet. Ab hac autem impietate nos procul absumus, qui docemus quidem cum S. Augustino prædestinationem esse gratuitam, absolutam, & efficacem, cum eadem tamen liberum nostræ voluntatis arbitrium, ac mandatorum Dei observantiam conjungendam.

118. Ob. secundo multa S. Patrum testimonia, qui perspicue docent, non aliter quam ex meritorum prævisione factam fuisse hominum prædestinationem ad gloriam. I. S. Irenæus L. IV. *cont. Hær.* cap. 38. *ex futurorum præscientia dictum fuisse*, ait, *Jacob dilexi*, *Esau autem odio habui*. II. Idem postea docuit S. Hieronymus in Comment. ad cap. I. Malachiæ, ubi dilectionem, & odium Dei *vel ex præscientia futurorum* oriri dicit, *vel ex operibus factis*. Quod ipsum indigitat in epist. ad Hedibiam q. 10. inquiens, *non homines elegi*, *sed hominum voluntates*. III. Chrysostomus totus in hac sententia esse videtur. Nam Hom. XVI. in c. IX. epist. ad Rom. *Qua igitur de causa*, inquit, *hic quidem* (Jacob) *amore*, *ille autem* (Esau) *odio dignus habitus erat? Quoniam quidem hic malus*, *ille autem bonus erat*. IV. Theodoretus Comment. in cap. IX. epist. ad Rom. *Non expectavit*, inquit, *Deus rerum experientiam; sed dum adhuc utero gestarentur* (Jacob, & Esau) *differentiam eorum prædixit antea*, *cum eorum propositum præscivisset*. V. S. Jo. Damascenus Lib. IV. *de fide orthod.* cap. 20. expendens illud Roman. IX. *An non habet potestatem figulus* &c. *Non ipse Deus*, inquit, *honorabilia*, *aut ignominiosa struit vasa*, *sed propria uniuscujusque electio*. Denique nota est illa Massiliensium querela, quam S. Prosper Augustino significavit his verbis: *Obstinationem suam vetustate defendunt*, *& ea*, *quæ de epist. Apostoli Pauli Romanis scribentis ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur*, *a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta*, *ut nunc sentiuntur*, *affirmant* (a).

119. Resp. hæc, aliaque ejusdem generis S. Patrum dicta, quæ in eorum operibus passim occurrunt, intelligenda esse de prædestinatione non in ordine *intentivo*, in quo prorsus gratuita est; sed in ordine *executivo*, in quo retribuitur tanquam præmium meritorum uniuscujusque. De hoc autem ordine executivo libentius, & frequentius loquebantur antiqui Patres, quam de electione prima in ordine intentivo, tum quod nondum exortis Pelagianis nulla erat necessitas, ut hanc difficilem ad solvendum quæstionem moverent & pertractarent; tum etiam quia cum verba ad populum plerumque facerent, de ordine executivo, qui omnium captui magis est accommodatus, potius quam de alio sublimiore loqui opportunum ducebant. Unde etiam modo prædestinatio in ordine intentivo explicari rudiori populo, atque incultæ plebi non solet, sed illud sæpius inculcatur: *Qui bona egerunt*, *ibunt in vitam æternam*, *qui vero mala*, *in ignem æternum*.

120. Hanc responsionem suppeditat S. Augustinus ipse, qui Semipelagianis conquerentibus, quod ea, quæ ab ipso docebantur, apud veteres non invenirentur, ita respondet, *de prædest. sanct.* cap. 14. *Quid opus est*, *ut eorum scrutemur opuscula*, *qui priusquam ista hæresis oriretur*, *non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari*, *quod proculdubio facerent*, *si respondere talibus cogerentur?*

121. Sed nec illud prætereundum est, quod idem S. P. Augustinus sæpius notavit, veteres Ecclesiæ Patres fuisse magis sollicitos de vindicanda arbitrii libertate, quam Simoniani, Marcionitæ, Manichæi, aliæque hujusmodi pestes evertebant, quam

(a) Plura Sanct. Patrum, ac præcipua Chrysostomi testimonia videri possunt apud Dion. Petavium Lib. X. *de prædest.* cap. 1., & apud Guill. Estium in Lib. I. *Sentent.* Dist. 41. §. 8., omnia tamen facile cum Thoma de Lemos *in Panoplia* Tom. II. tract. 3. cap. 81., & seq. explicari possunt, & cum S. Augustini doctrina conciliari; ut omnino illorum licentia cohibenda sit, qui more veterum Semipelagianorum S. Augustinum novitatis accusare non verentur. Ita Hugo Grotius in *Annal. Belgicis* ad an. 1608. Lib. XVII.; & Jo. Ger. Vossius Lib. VII. *Hist. Pelag.* Hos imitati sunt etiam aliqui ex Catholicorum cœtu, sed in S. Augustinum male animati, ac inter alios Rich. Simonius in sua *Hist. Commentatorum Vet. Test.*, quem propterea pro meritis castigavit Jac. Ben. Bossuetus, tum in *Dissert. supra Grotium*, tum etiam in *Defensione Trad. & Sanct. Patrum* pluribus in locis. Videri etiam possunt Card. Norisius in *Vindiciis Augustinianis*, & P. Hyac. Serry in *Augustino vindicato*.

quam de tota gratiæ Dei œconomia explicanda, cui nemo tunc temporis struebat insidias. Hoc S. Augustinus Massiliensibus responsum dedit, & de sua sententia adeo certus erat, ut *de dono persev.* cap. 19. dicere non dubitaverit: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse* (a).

122. Dicas primo: S. Patres, quando de ipsa prima electione loquuntur, eam factam esse dicunt ex meritis prævisis: ergo etiam in ordine intentivo &c. Prob. art. I. S. Hilarius in Psalmum LXIV. ita scribit: *non res indiscreti judicii electio est, sed ex meriti delectu facta discretio est. Beatus ergo, quem elegit Deus. Beatus ob id, quia electione sit dignus.* II. Ipse S. Augustinus q. 68. inter 83. *Deus*, inquit, *cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat; sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis.* Ulterius in expositione quarumdam propositionum epist. ad Rom. proposit. 55. hæc habet: *Sanctorum Deus non prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum, & secuturum vocationem suam.* Ac paulo post: *Si enim nullo merito, non est electio; æquales enim omnes sunt ante meritum; nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari.* Demum expendens ea verba Apostoli Roman. IX. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret*, inquit L. I. *ad Simplic.* q. 2. „ nemo eligitur, „ nisi jam distans ab eo, qui rejicitur; unde quod „ dictum est, *quia elegit nos Deus ante mundi* „ *constitutionem*, non video, quomodo sit dictum, „ nisi præscientia. “

123. Resp. ad primum, S. Hilarium nomine *electionis* non intelligere æternam Dei prædestinationem in ordine intentivo, sed potius ipsam temporalem assumptionem electorum ad gloriam, quæ utique fit, habita ratione præcedentium meritorum. Id colligitur ex ipsis verbis Psalmi, quæ S. Hilarius ibidem exponit: *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.*

124. Resp. ad secundum, duo priora S. Augustini testimonia non magni facienda esse, quia desumpta sunt ex operibus eo tempore conscriptis, quo S. Doctor illo errore tenebatur, quem postea ipse melius edoctus in Semipelagianis condemnavit, atque invicte confutavit, ut idem S. Doctor ingenue confessus est *de prædest. Sanct.* cap. 3. Imo quæ in laud. proposit. 55. incaute illi e calamo exciderant, humiliter postea revocavit Lib. I. *Retract.* cap. 23. (b); qua agendi ratione, ut bene Estius observat, implicite saltem in omnibus similibus loquendi formulis minus accuratis spongiam adhibuisse censetur. Ita etiam iisdem verbis, quæ sibi objeceras, respondet S. Thomas q. VI. *de verit.* art. 2. ad 10. inquiens una cum Magistro Sententiarum, *illam auctoritatem esse retractatam ab Augustino in suo simili. Vel si debeat sustineri, referendum id est ad effectum reprobationis, vel prædestinationis, quod habet aliquam causam meritoriam, vel dispositivam.*

125. Postremum testimonium S. Augustini ex Lib. I. ad Simpl. explicatur cum Petavio de electio-

(a) Nonnulli veteres sunt, quorum in hac materia auctoritas non magni facienda est, utpote qui vel Pelagianis præluserunt, vel ipsi incaute adhæserunt. Inter primos est Origenes, quem Sanctus Hieronymus in epistol. ad Ctesiphontem *Pelagiani erroris principem* appellare non dubitavit. Hunc Æthiopem lavare conatus est Petrus Halloixius, contra quem videri possunt Dan. Huetius Lib. II. *Origenianorum* quæst. 7., Card. Norisius Lib. I. *Hist. Pelag.* cap. 1., & in *Dissert. hist. Synodi V.*, ac Nat. Alexander *Hist. Eccl.* Sec. III. cap. 3. art. 12. Secundo in Pelagianismum inclinavit Arnobius, non ille antiquior, & Lactantii præceptor, sed junior, seu Auctor *Commentar. in Psalterium*, & ille idem putatur, cujus scripta Gelasius R. P. in Synodo Rom. anno 494. censorio stigmate confixit. Vid. Nat. Alexander Sæc. V. cap. 4. art. 26. Tertio etiam auctor *Quæstionum, & respons. ad Orthod.* (inter opera S. Justini) qui sæc. V. floruit, Semipelagiano luto hæsit, ut ostendit cl. P. Maran editor operum S. Justini. Quarto in eumdem censum veniunt Theodoretus, Theophylactus, & Œcumenius, qui ex corrupto Origenis fonte hortulos suos irrigasse videntur, ut Estius in Lib. I. *Sentent.* Dist. 41. §. 8. notavit. Quinto Sedulius etiam illustris Sæculi V. poeta non est ab omni Pelagianismi suspicione liber. Sexto prætermitto Cassianum (quidquid ad eum purgandum Tuccius, & Quesnai insudaverint), Faustum Rejensem, Hilarium Arelatensem, & Gennadium Massiliensem, quos omnes fuisse Semipelagianæ sectæ coriphæos, probat Norisius Lib. II. *Hist. Pelag.* .... Nonnullorum etiam recentiorum Scholasticorum auctoritatem, quorum patrocinio Molinistæ gloriantur, rejiciendam omnino esse ostendit sæpius laud. Lemosius Tractatu III. *de præd.* cap. 41. Tom. III.: aliorum autem mentem dilucide explicat, ac cum nostra sententia conciliat.

(b) Verba S. Doctoris hæc sunt. „ Disputans, quid „ elegerit Deus in nondum nato, cui dixit serviturum „ esse majorem; & quid in eodem majore similiter „ nondum nato reprobaverit .... ad hoc perduxi ratio„ cinationem, ut dicerem: *non ergo elegit Deus ope„ ra cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est: „ sed fidem elegit in præscientia, ut quem sibi credi„ turum esse præscivit, ipsum elegerit &c.* .... Non„ dum diligentius quæsiveram, nec adhuc inveneram, „ qualis sit electio gratiæ &c. “ Bossuetus in *Defensione traditionis sanct. Patrum* Lib. VI. cap. 10. & seq. quatuor distinguendos esse dicit S. Augustini status: primum post ipsius conversionem, in quo orationibus Ecclesiæ edoctus recte de divina gratia sensit: alterum, quando hanc difficilem quæstionem examinare incipiens, neque bene percipiens, in errorem, ut ipse fatetur, lapsus est: tertium, cum ante exortam hæresim Pelagianam ex errore jam emerserat, nondum tamen totam gratiæ œconomiam compertam habebat: postremum, cum ex assiduis pugnis cum hæreticis Pelagianis ut gratiæ Doctor, & tamquam oraculum in hac materia ab hominibus est habitus.

ctione consequenti, & justitiæ, seu in ordine *executivo*, quia utique nemo eligitur, uisi jam distans ab eo, qui rejicitur; non autem de electione prima, & in ordine *intentivo*, quam gratuitam prorsus esse, tam clare, & tam sæpe S. Augustinus docet, ut nullus scrupulus de ejus mente suboriri possit; hac enim Deus *nullum elegit dignum*, *sed eligendo fecit dignum*, ut loquitur S. Pater Lib. V. cont. Jul. cap. 3. Immo in eodem ipsissimo loco Lib. I. ad Simplic. non obscure indigitatur duplex ille ordo *intentivus*, & *executivus*, quorum alter præcedit, alter subsequitur prævisionem meritorum. Inquit enim S. Doctor: „ non ergo secundum electionem (*executivum*) propositum Dei manet, sed ex proposito electio: idest non quia invenit Deus opera „ bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet „ propositum justificationis ipsius; sed quia illud „ manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cœlorum ... Non „ tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur &c. (a) “.

126. Dices secundo. S. Augustinus in Serm. 110. alias 7. *de verbis Domini* inquit: *quos voluit Deus*, *hos elegit*: *elegit autem*, *sicut dicit Apostolus*, *& secundum suam gratiam*, *& secundum illorum justitiam*. Tum postea Deum ita loquendum inducit: *Illos elegi*, *quia vidi mentes eorum de me præsumentes*, *non de se*, *nec de Baal*.

127. Resp. S. Augustinum primis illis verbis indigitasse duplicem divinæ prædestinationis ordinem, nempe *intentivum*, & solius gratiæ, & *executivum* justitiæ, ut supra num. 102. declaratum fuit. In aliis posterioribus loquitur S. Pater de electione ad uberiores gratias, ques Deus illis impertitur, qui prioribus bene utuntur; unde subdit in persona Christi: *gratia autem mea plenus es*, *quia nihil de tua virtute*, *sed totum de mea gratia præsumpsisti*.

128. Ob. tertio: S. Augustinus in Lib. *de gratia & lib. arb.* cap. 6. contendentibus Pelagianis, prædestinationem fieri ex prævisis meritis, ita concludit: *Si merita nostra sic intelligerent*, *ut ipsa etiam dona Dei esse cognoscerent*, *non esset reprobanda ista sententia*; atqui Adversarii id cognoscunt: ergo &c.

129. Resp. S. Augustinum manifeste loqui in ordine *executivo*, ut perspicue patet ex eodem textu, si integer reddatur: „ cum dicunt Pelagiani ... illam (gratiam), quæ datur in fine, *id est*, *æternam vitam*, *meritis nostris præcedentibus reddi*, respondendum est eis: Si enim „ merita nostra sic intelligerent &c. (b) “.

130. Obj. quarto: Non de prædestinatione ad gloriam, sed tantum ad gratiam tota fuit S. Augustini cum Pelagianis, ac Semipelagianis disputatio: ergo ex ejus libris nihil desumi potest pro adstruenda gratuita hominum prædestinatione ad gloriam. Ant. prob. I. ex ipsa prædestinationis definitione, quæ ab ipso dicitur *præscientia*, *& præparatio beneficiorum* (scilicet gratiæ auxiliorum) *quibus certissime liberantur quicumque liberantur* cap. 14. *de dono perseverantiæ*. II. ex discrimine, quod ponit inter prædestinationem, & gratiam *de præd. Sanct.* c. 10. nempe quod prædestinatio sit *gratiæ præparatio*, *gratia vero ipsa donatio*. III. quia prædestinatio, de qua disputabat, ad fidem Ecclesiæ pertinebat; unde *de dono persev.* cap. 18. fidenter dicebat: *Hoc scio neminem contra istam prædestinationem ... nisi errando disputare potuisse*. Hujusmodi autem non est prædestinatio ad gloriam, de qua in scholis libere disputatur.

131. Resp. tam falsum esse, quam quod maxime, de sola electione ad gratiam, non autem ad gloriam fuisse inter S. Augustinum, ac Pelagianos controversiam. Pelagius enim (apud S. Augustinum *de præd. Sanct.* cap. 18.) ita de prædestinatione ad gloriam sentiebat: *Præsciebat Deus*, *qui futuri essent sancti*, *& immaculati per liberæ voluntatis arbitrium*, *& ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia*, *quales futuros esse præscivit*, *elegit*. Sancti, & immaculati non poterant eligi nisi ad gloriam: de electione igitur ad gloriam controversia erat. De electione etiam ad gloriam disputationem fuisse cum Semipelagianis, manifeste apparet ex ep. S. Prosperi, in qua eorum doctrinam his verbis exponit: *Qui autem credituri sunt*, *quive in ea fide*, *quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda*, *mansuri sunt*, *præscivit ante mundi constitutionem Deus*, *& eos prædestinavit in regnum suum* &c. Mitto plura alia, quæ in

(a) Aliæ quædam hujus difficultatis solutiones videri possunt apud P. Laur. Berti Lib. VI. *de theol. discipl.* cap. 9. & apud P. Billuart Dissert. IX. art. 5. §. 3. Doctissimus P. Dion. Petavius Lib. IX. *de Deo* cap. 14. n. 3. putat, nedum illum S. Augustini locum nobis non adversari, sed potius nullum alium esse, ex quo certius, & evidentius electio gratuita ad gloriam evincatur. Recolenda etiam sunt, quæ de libris ad Simplicianum diximus Dissert. IV. n. 222. & seq.

(b) Ceterum inquit Thomas de Lemos in *Panoplia* T. II. tract. 2. cap. 27. *si vere omne donum gratiæ*, *quo ad initium*, *& sine nobis ex Deo vere id tribuente*, *poneretur*, *& disceretur*, *electionem absolutam ad gloriam ex prævisione fieri illorum operum factorum vere ex efficacia gratiæ*; *nec Sanctus Augustinus*, *nec nos adversus talem sententiam multum insisteremus*, *quia jam omnis boni poneretur ex Deo esse principium*, *& possent salvare electionem absolutam ad gloriam esse gratuitam*, *cum daretur ex operibus factis ex vera gratia*; *licet non esset consona doctrina in hoc*, *quod efficax volitio dandi media non præsupponeret efficacem volitionem finis*. Idem fere postea notavit etiam illustriss. Bossuetus in Lib. XII. *Defens. Tradit. & Sanct. Patrum* cap. 16.

in re minime dubia pluribus opus non est (*a*).

132. Quæ autem objecta sunt, non magnam ingerunt difficultatem. Quantum enim ad primum spectat, liberatio a massa perditionis ad mentem S. Augustini non est quæcumque prædestinatio ad gratiam, sed etiam ad perseverantiam finalem, & ad gloriam; ut enim supra vidimus num. 70. S. Pater negat, eos fuisse a massa perditionis liberatos, qui in melius per gratiam commutati in bono non perseverant.

133. Secunda etiam difficultas ex discrimina inter prædestinationem, & gratiam statim evanescit, si consideremus, prædestinationem recte dici *præparationem gratiæ*, quia gratia est immediatus ejus effectus. Deus enim iis, quos elegit sine meritis, hoc ipso eis præparat suæ gratiæ beneficia, unde ornentur & meritis; quæ gratiæ beneficia quemadmodum ex sola Dei bonitate præparata fuere, ita etiam gratuito conferuntur.

134. Tertium, quod gravius videtur, haud difficulter solvitur, si consideremus, S. Doctorem præcipue sollicitum fuisse radicitus, & a fundamentis evertendi Pelagianorum, ac Semipelagianorum errores; quorum primi aperte docera non verebantur, prædestinationem electorum factam a Deo fuisse ex prævisione meritorum pura naturalium, seu solis naturæ viribus comparatorum: alii vero errorem aliquo modo emollientes eandam prædestinationem factam esse volebant, intuitu meritorum, quorum saltem initium esset a nobis; & sic cum Pelagianis prædestinationem esse gratuitam inficiabantur. Horum igitur utramque sententiam S. Augustinus, ut fidei contrariam, jure meritoque condemnabat, quia utraque tollit gratiæ necessitatem, & gratuitatem. Porro si Molinistæ talem gratiam confiterentur, quæ vare in nobis sua efficacia produceret quidquid bonum est supernaturale, parum ad fidem interesset, ut supra (in nota ad num. 129.) cum Lemosio observatum fuit, curiosius quærere, an prima electio ad gloriam facta fuerit ante, vel post meritorum prævisionem; semper enim prædestinatio *adæquate* sumpta gratuita esset, quod certe de fide est. Sed nos merito credimus, posita gratia versatili, consequi, bonorum operum initium non ab ipsa gratia, sed a nobis esse, ut fatebantur Semipelagiani. Quod si pariter confiterentur Molinistæ, nullus dubito, quin eorum quoque sententia, ut in fida erronea, condemnaretur. Sed cum illi contendebant, etiam in Moliniano systemate, salvari gratiæ necessitatem ad bonorum operum initium, ideo eorum opinio in scholis catholicis impune defenditur, quoad Romana Apostolica Sedes suspensum hactenus judicium proferat.

135. Ceterum non desunt gravissimi Theologi, qui prædestinationem gratuitam ad gloriam etiam *inadæquate* sumptam, & prout a nobis defenditur, non sine piaculo, aut saltem gravi periculo, negari posse arbitrentur. Cardinalis Baronius ad annum 490. *non sine periculo recentiores aliquos ab hac sententia recedere* pronunciat. Cardinalis etiam Bellarminus Lib. II. *de grat. & lib. arb.* cap. 11. sine hæsitatione affirmat, prædestinationem gratuitam ad gloriam *non quorumvis Doctorum opinionem, sed fidem esse Ecclesiæ catholicæ*. Sane cum plane compertum sit, S. Augustinum, ut Pelagianorum, ac Semipelagianorum errores funditus extirparet, omnibus nervis semper contendisse, primam electionem ad gloriam a sola gratuita Dei voluntate pendere, quæ iis, *quos elegit sine meritis, dat unde ornentur & meritis*, quis non videat, non posse sine piaculo, ac magno periculo recedi ab hac sententia, quam postea alii Patres magno consensu amplexi sunt?

136. Ob. quinto: S. Prosper in resp. ad duodecimam object. Vincent. *Quia*, inquit, *prævisi sunt casuri, non sunt prædestinati; essent autem prædestinati, si essent reversuri*. Similia habet in resp. tertia ad objecta Gallorum.

137. Resp. S. Prosperum ita loqui, non in *sensu casuali*, quasi præscientia prævaricationis futuræ causa fuerit, ob quam Deus aliquos ad gloriam minime alegerit; sed *in sensu illativo*, quantum ad manifestationem, & signum. Ceterum de mente S. Prosperi dubitare nos minime sinunt, tum indivulsa ejus adhæsio doctrinæ S. Augustini, a qua ne transversum quidam digitum unquam deflexit; tum ea testimonia, quæ supra n. 77. allata sunt.

138. Obj. sexto: S. Fulgentius Lib. I. ad Monimum cap. 24. de Deo loquens, *prædestinavit*, inquit, *illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros; & prædestinavit ad regnum, quos a se præscivit, misericordiæ prævenientis auxilio, redituros*: ergo &c.

139. Resp. S. Fulgentium loqui hoc in loco de ordine *executivo*; alibi enim de ordine intentivo verba faciens, magistrum suum, & nostrum S. Augustinum fideliter sequitur. Vid. sup. num. 78. (*b*).

140.

(*a*) P. Jo. Bapt. Du Chesne in suo *Tract. Hist. & Theol. de Prædestinationismo* L. I. c. 3. adeo certum putat, Sanct. Augustinum contra Pelagianos, ac Semipelagianos egisse de prædestinatione hominum ad gloriam, ut jure miretur, potuisse aliquos Theologos hac de re dubitare. Insuper cap. 6. ingenue fatetur, Sanct. Doctorem in ea fuisse sententia, quæ vult hanc Prædestinationem ad gloriam mere gratuitam esse, & independentem a meritis quibuscumque, etiam ope gratiæ acquisitis. Contendit tamen, hanc privatam fuisse hujus Sancti Doctoris opinionem; atque Ecclesiam omnibus semper permisisse contrariam sequi, quam proinde turba Theologorum Catholicorum secuta est. Hæc autem turba non magna est, ut superius vidimus in nota ad num. 45. majori enim, & saniori Theologorum parti a Sancti Augustini vestigiis non discedere semper religio fuit.

(*b*) *Fulgentius*, inquit Petavius Lib. XIII. *de Incar-*

140. Obj. ultimo: S. Thomas non uno in loco aperte docet, prædestinationem fieri ex præscientia meritorum. Primo enim Lect. VI. in cap. VIII. epist. ad Rom. hæc habet: *Dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum, & malorum est ratio prædestinationis, & reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus prædestinet aliquos, quia præscivit eos bene operaturos ... Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum gloriam, quæ datur meritis*. Nil clarius desiderari potest, ut probetur, prædestinationem inadæquate sumptam esse ex prævisione meritorum. II. Lect. I. in cap. I. epist. ad Ephesios: *Potest*, inquit, *esse aliquid creatum ratio voluntatis divinæ ex parte voliti, sicut dum vult coronare Petrum, quia legitime certavit*. III. In 1. *Sent.* dist. 41. art. 3. ad 5. inquit: *in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera, non quasi causam voluntatis, sed sicut causam meritoriam gloriæ*. Demum in 1. P. q. 23. art. 5.: *effectum*, ait, *prædestinationis considerare possumus dupliciter: uno modo in particulari; & sic non prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam, & rationem alterius ... sicut si dicamus, quod Deus præordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis*.

141. Resp. aut nullam, aut certe non magnam in objectis S. Thomæ testimoniis difficultatem contineri. In primo loco S. Thomas nihil aliud vult, quam *rationabiliter* dici posse, Deum nos prædestinasse ad gloriam ex prævisis meritis in falsa hypothesi, quod Deus prædestinaret solum ad gloriam, non autem ad merita ipsa; hoc est, si merita non essent effectus prædestinationis. Non autem id affirmat S. Doctor *absolute*; si nempe Deus non solum prædestinet homines ad gloriam, sed etiam ad gratiam. Hinc ex eo loco non solum non labefactatur, sed potius mirifice confirmatur nostra sententia. Cum enim certum sit, homines non solum ad gloriam, sed etiam ad gratiam efficaciter prædestinari, & merita nostra esse effectus prædestinationis, efficitur ex allata S. Thomæ doctrina, prædestinationem non fieri ex prævisis meritis. Unde etiam ibidem negat Angelicus ita posse verba Apostoli coordinari: *Quos præscivit, conformes fieri imaginis Filii sui, hos & prædestinavit*, ut coordinare deberent Molinistæ; sed retinendam esse syntaxim ejusdem Apostoli: *Quos præscivit, hos & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui*; ,, ut ista conformitas, subdit Angelicus, non sit ratio prædestinationis, sed terminus, vel effectus " (a).

142. Quæ secundo loco objecta sunt ex Lect. 1. in cap. 1. Ephes., respiciunt electionem, non in ordine *intentivo*, in quo est omnino gratuita; sed in ordine *executivo*, seu quantum ad retributionem, quæ certe fit pro meritis, & habita etiam ratione diversitatis eorumdem meritorum. Quamobrem idem Angelicus e vestigio subdit: *Sed hoc non est causa volendi, sed est causa, quod ita fiat*. Idemque respondendum est ad tertium testimonium, in quo considerat bona nostra opera ut *causam meritoriam gloriæ*; quæ certe verba non nisi ordini executivo adaptari possunt (b).

143. Postremus textus Angelici Doctoris truncatus est; & si tota ejus doctrina consideretur, nostram sententiam manifeste confirmat. Ita enim concludit: *Et sic nihil prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam, & rationem alterius; posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis, priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ: sicut si dicamus, quod Deus præordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis; & quod præordinavit, se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam*. Cum itaque in genere causæ finalis prædestinatio ad gloriam sit caussa gratiæ, & meritorum; manifestum est, prædestinationem ad gloriam in ordine *intentivo* præcedere meritorum præ-

nat. c. 6. n. 1., *prædestinatos gratuita Dei benignitate, non ex prævisis eorum meritis electos, & a perditionis massa segregatos fuisse*, *passim prædicat*.

(a) Non erit abs re majoris claritatis causa integrum textum S. Thomæ Lectorum oculis subjicere. ,, Circa ordinem autem præscientiæ, & prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum, & malorum est ratio prædestinationis, & reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus prædestinet aliquos quia præscit, eos bene operaturos; & secundum hoc littera sic legitur: *quos præscivit conformes fieri imaginis filii ejus, hos prædestinavit*. Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis. Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum: unde eadem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert ex tempore, præparavit nobis ab æterno. Unde ponere, quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud, quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, & quod principium bonorum operum est ex nobis, & consummatio est ex Deo; unde convenientius sic ordinatur littera: *quos præscivit, hos & prædestinavit fieri conformes imaginis filii sui*: ut ista conformitas non sit ratio prædestinationis,, sed terminus, vel effectus ".

(b) Consulantur hic etiam omnia S. Doctoris verba. ,, Effectus prædestinationis sunt duo, scilicet gratia, & gloria; effectuum autem, qui ad gloriam ordinantur, potest quidem ex parte voliti assignari ratio, scilicet gratia, puta *Petrum coronavit, quia legitime certavit, & hoc quia fuit firmatus in gratia*. Sed gratiæ, quæ est primus effectus, non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis, quæ sit ratio prædestinationis, quia hoc esset ponere, quod principium boni operis sit in homine ex seipso, & non per gratiam, quod est hæresis Pelagiana, quæ dicit, principium boni operis esse ex parte nostra. Sic ergo patet, quod ratio prædestinationis est simplex Dei voluntas; propter quod dicit Apostolus: *Secundum propositum voluntatis suæ* ".

prævisionem, licet in ordine *executivo*, seu in genere causæ meritoriæ bona opera facta ex gratia præcedant consecutionem finis, nempe gloriæ.

Solvuntur objectiones ex ratione.

144. Ob. primo: Si Deus sine meritorum prævisione aliquos ad gloriam eligat, alios non eligat, erit in eo personarum acceptio contra id, quod dicit Apostolus Roman. II. 11.: *Non est acceptio personarum apud Deum.*

145. Huic difficultati, quam Pelagiani, & Semipelagiani ad nauseam usque repetebant, S. Augustinus sæpe respondit, personarum acceptioni locum non esse, ubi nullum est meritum, ut res se habet in nobis, qui omnes sumus in massa perditionis, a qua non liberat, nisi divina gratia, quam Deus tribuit cui vult ex pura misericordia, & quibus vult ex justitia denegat. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Rom. IX. 21.; & Christus ipse Matth. XX. 15. dicebat: *non licet mihi, quod volo facere?* Vid. S. Augustinus Lib. II. ad Bonif. cap. 7., *De corrept. & grat.* cap. 8., epist. 194. ad Sixtum &c.

146. Obj. secundo: Collatio gloriæ in tempore fit ex præcedentibus meritis: ergo etiam ejusdem gloriæ prædestinatio. Prob. cons. I. Si collatio gloriæ in tempore esset omnino gratuita, etiam prædestinatio esset omnino gratuita; ergo ab opposito &c. II. Si Deus alicui gloriam in ordine *intentivo* prædestinaret propter merita, etiam in ordine *executivo* eamdem deberet propter merita reddere; ergo si gratis prædestinat in ordine *intentivo*, debet etiam gratis eamdem conferre in ordine *executivo*; hoc falsum est: ergo &c. III. Commune est illud axioma: *nihil est in executione, quod prius non fuerit in intentione;* tum etiam illud: *nihil Deus facit in tempore, quod ab æterno non præordinaverit:* ergo si in executione &c.. Postremo videntur hæc duo simul pugnare, Deum velle gloriam gratis dare, eamdemque ut coronam, & mercedem reddere.

147. Resp. neg. conseq. Ad primam autem probationem nego item consequ.; & in eo est discrimen, quod in prima hypothesi nullum prorsus locum merita haberent: non in executione, ut supponitur: neque in intentione: alias aliquid foret in intentione, quod in executione non inveniretur. Contra autem cum homines prædestinari dicuntur sine meritorum prævisione, merita quidem excluduntur ut prædestinationis causa, non vero tanquam prædestinationis effectus; & sic cum inveniantur hoc modo in ordine intentivo, debent etiam inveniri in executivo, sed ratione inversa; ut enim Philosophi dicunt, *quod est primum in inventione, est ultimum in executione, & quod est ultimum in intentione, primum est in executione.*

148. Ex his patet responsio ad secundam, & tertiam probationem. In hoc enim est æquivocatio, quod Adversarii putent, a nobis omnino excludi merita ab ordine *intentivo*, quod falsum est; solum enim excluduntur ut prædestinationis causa finalis, non vero ut ejusdem prædestinationis effectus.

149. Ad quartam probat., nulla est repugnantia, si tollatur terminorum æquivocatio, & ita simpliciter dicatur: Deus ex corrupta hominum massa pro sua misericordia aliquos ad gloriam elegit, quibus consequenter destinavit auxilia gratiæ efficacissima, ut eamdem gloriam tanquam mercedem, coronam, & præmium consequerentur. Quænam, amabo, est in his verbis pugna, aut contradictio?

150. Ob. tertio: Gratuita quorumdam electio ad gloriam componi nequit cum generali voluntate salvandi omnes homines: ergo &c.

151. Resp. Id utique verum esset, si hæc voluntas generalis salvandi omnes homines esset suspensa ab illa conditione *si ipsi homines velint*, sensu Pelagiano, vel Semipelagiano, vel etiam Molinistico, quos sensus supra confutavimus Diss. V. cap. 2., prop. 2. Non autem si hominum salus ab efficacibus divinæ gratiæ auxiliis pendeat. Tunc enim Deus omnes homines salvari vult *antecedenter; consequenter* autem & *efficaciter* nonnisi eos, quos gratuita bonitate elegit, quibus proinde efficacia sua auxilia præparavit.

152. Ob. quarto: Prædestinatio hominum saltem fit intuitu meritorum Jesu Christi, qui pretiosi sui sanguinis effusione condignam, & superabundantem æterno Patri satisfactionem pro peccatis nostris obtulit, atque æternam gloriam omnibus promeruit, quia pro omnibus mortuus est: ergo non est gratuita.

153. Resp. neg. conseq., quia ipsa efficax applicatio meritorum Christi est omnino gratuita; hic enim est, nostro concipiendi modo, decretorum ordo. Primo Deus, supposito & præviso peccato originali, Jesu Christi incarnationem pro generis humani redemptione decrevit, eumque prædestinavit primogenitum, & caput omnium salvandorum, unde Apostolus Rom. VIII. 29. inquit: *Quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Cum autem caput ordinem, & rationem habeat ad membra, & primogenitus ad fratres, in hoc ipso primo signo aliqui saltem confuse intelliguntur prædestinati. II. Deus Pater pro suæ misericordiæ dignatione fecit, ut Christus distincte pro certis hominibus infinitum sui sanguinis pretium efficaciter offerret, qui propterea dicuntur a Patre Filio *dati* Jo. XVII. 6., & alibi. III. Demum intuitu meritorum Christi Deus eosdem efficaciter ad gloriam elegit; & sic intelligitur, quomodo Christus nobis gratiam promeruerit simul & gloriam, & quod dicit Apostolus Ephes. I. 3. seq. *Benedictus Deus, & Pater Domi-*

mini nostri Jesu Christi .... qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ (a).

154. Obj. ultimo plurima absurda, quæ gratuitam hominum prædestinationem consequuntor. Primo enim hæc senteutia ineluctabile veterum Stoicorum factum revocat, humanamque libertatem funditus evertit; cum omne nostræ libertatis exercitium præveniat, nec salus æterna in nostra potestate sit, semel ac ad eam non simus electi. II. Et nimiam confidentiam insinuat electis, & desperationem rejectis. Ita enim pronum cuilibet est ratiocinari: Si electus sum, quidquid egero, salutem certissime consequar; si autem rejectus, certissime peribo (b). III. Hinc plerique consulunt, hanc sententiam non esse rudi populo prædicandam, ne præsumptio, aut desperatio, aut alia scandala oriantur.

155. Resp. primo, hæc omnia tela fuisse jamdiu in officinis Semipelagianorum fabricata, & a S. Augustino, ejusque discipulis feliciter retusa. S. Prosper in epist. ad Sanct. Augustinum ita Semipelagianorum querelas exponit: *Hoc autem propositum* (scilicet prædestinationis) .... *& lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis adferre; eo quod in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere: quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quam Deus definivit, accidere .... Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem &c.* Similia habet S. Hilarius in epist. ad eumdem S. Augustinum. Non est ovum ovo similius, quam objectiones Adversariorum querelis Semipelagianorum. Ex hoc autem illud consequitur, ut obiter dicam, nostram in hac materia doctrinam esse doctrinam ejusdem S. Augustini, dum iisdem obnoxia sit difficultatibus: quæ quidem, ne quid dissimulem, admodum graves sunt. Sed si ad eas declinandas ab Augustino discedamus, in multo graviores incidamus, necesse est.

156. Resp. secundo, Dei prædestinatione nec libertatem tolli, nec fatum induci. Licet enim in nostra potestate non sit, æternum Dei decretum aut ponere, aut tollere, ea tamen illius decreti natura est, vis, atque efficacia, et eventus infallibilitatem simul cum ejusdem contingentia, atque hominis libertate conjungat, ut supra demonstratum est (Dissert. V. cap. 5.). Unde S. Thomas Quæst. 25. *de verit.* art. 5. ad 3. inquit: *Quamvis non esse effectus divina voluntatis non possit simul stare cum divinæ voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate; non enim sunt ista incompossibilia: Deus vult istum salvare, & iste potest damnari; sed ista sunt incompossibilia: Deus vult istum salvari, & iste damnatur.*

157. Ad secundum sic olim respondebat magnus Augustinus *de dono persev.* cap. 17. *Ista cum dicuntur, ita nos a confitenda .... prædestinatione Sanctorum deterrere non debent, sicut non deterremur a confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: sive nunc recte vivatis, sive non, tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos.* Quemadmodum ergo ex Dei præscientia nemo vel in præsumptionem attollitur, vel ad desperationem dejicitur, ita id contingere non debet posita veritate prædestinationis. Sed qui prædestinatum se sperat, ut omnes sperare æquum est, *satagere debet, ut per bona opera certam suam vocationem, & electionem faciat* 2. epist. Petri I. 10.; & prædestinatio ipsa, quæ est præparatio beneficiorum Dei, stimulos addit, ad currendam viam divinorum mandatorum. Nec quisquam de se ipso arroganter præsumere potest, cum probe sciat, nihil se habere, quod a Deo non acceperit. Qui vero signa prædestinationis in seipso non sentit, salutari timore concussus ad Deum confugere debet, quem scit nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.

158. Quod vero addebatur, prædestinatum, quidquid fecerit, salvandum fore, & contra damnandum reprobum, quidquid egerit, tam falsum est, quam quod maxime. Prædestinatio enim nedum respicit finem, sed etiam media; & si (quod fieri omnino non potest) deficeret in mediis, deficeret etiam in fine. De reprobatione autem aliter res se habet; reprobos enim Deus ad pœnas prædestinavit æternas, quia eorum peccata, atque impœnitentiam prævidit, a libera ipsorum voluntate provenientia.

159. Neque postremo admittendum est, quod aliqui consulunt, prædestinationem gratuitam non e-

(a) De hac decretorum coordinatione videri possunt, quæ copiose disserit Pater Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tract. V. capitul. 22. & 23. Tomo II. Céterum ut superius notavimus numer. 47. not., non desunt Theologi, qui censent, nullam prorsus admittendam esse decretorum distinctionem, adeoque neque ordinationem.

(b) A Cicerone in Lib. *de fato* cap. 12. hoc argumentum vocatur ἀργὸς λόγος *ignava ratio*. Sic enim *interrogant*, ait: *si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, convalesces: si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces ... medicum ergo adhibere nihil attinet. Recte genus hoc interrogationis ignavum, atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio.*

esse populis prædicandam. Hoc ipsum objiciebant Massilienses S. Augustino (a); ex iis autem, quæ S. Pater in libro *de dono persev.* ipsis respondit, pauca seligemus. Et primo concedebat, *utile* nonnumquam esse, *ut taceatur aliquod verum propter incapaces* num. 40., quod probat exemplo Christi Domini Joan. XVI. 12, & Apostoli 1. Corint. III. 1. (b). Certe minime expediret subtiliores quasdam Theologorum doctrinas, quamquam omnino veras, rudi populo intempestive obtrudere; omnino tamen convellendus est a fidelium animis volgaris ille error, quo beoe multi putant, nos quidem ad bene operandum gratia Dei indigere, eamdem tamen gratiam ita nostræ voluntati esse subditam, ut bonus illius usus *solum* ab innata, & intrinseca nostra libertate proveniat, quemadmodum a sola nostra voluntate provenit ejusdem gratiæ abusus, qui fuit error Semipelagianorum (c).

160. Explodenda pariter est perniciosissima illa præsumptio, qua multi credunt, ita salutem æternam in manibus nostris esse, ut ad illam consequendam nihil omnino aliud requiratur, quam liber nostræ voluntatis consensus, quo fit, ut spes nostra non amplius in Deo reponatur, sed in nobis ipsis. „ Illis cogitandum relinquo, in-
„ quiebat S. Augustinus *de dono persev.* cap. 15.,
„ ut videant, quale sit, quod sibi persuaserunt,
„ *prædicatione prædestinationis audientibus plus*
„ *desperationis, quam exhortationis afferri:*
„ hoc est enim dicere, tunc de sua salute homi-
„ nem desperare, quando spem suam, non in sei-
„ pso, sed in Deo didicerit ponere; cum Propheta
„ clamet, *maledictus omnis, qui spem habet*
„ *in homine.* "

161. Prædicanda insuper est, inquit idem Augustinus ibid. cap. 20., *ista prædestinatio beneficiorum Dei, ut qui habet aures audiendi, non in seipso, sed in Domino glorietur.* Nimirum nunquam satis poterimus fidelibus inculcare, nihil nos habere, quod non acceperimus, adeoque omnia opera nostra bona, initio, progressu, consummatione esse divinæ beneficentiæ munera, ac propterea Deum, dum coronat merita nostra, coronare dona sua: nos esse in massa damnationis infeliciter involutos, a qua non liberat, nisi gratia benignissimi nostri Salvatoris. Hæc, aliaque hujus generis bene multa si debito modo prædicentur, aptissima sunt ad excitandam in auditoribus pietatem, retundendam superbiam, veram spem una cum salutari timore conjungendam, omnesque alias christianas virtutes nutriendas atque augendas.

162. Quod si nihilominus aliqui scandalum patiantur, non propterea tacenda erit veritas. Sane Christo Domino prædicante, *multi discipulorum ejus abierunt retro*, Joan. VI. 67.; nec tamen propterea Christus tacuit, aut doctrinam emollivit, ad hoc scandalum tollendum. Hoc autem totum factum fuisse canset S. Augustinus ad nostram *consolationem; quoniam aliquando contingit, ut dicat homo verum, & quod dicit, non capiatur, atque illi, qui audiunt, scandalizentur, & discedant .... solatium in Domino inveniamus, & tamen caute verba dicamus.* Tract. XXVII. in Joan. n. 8. (d).

163. Dices: Negari saltem non potest, Molinistarum systema esse captui nostro magis accommodatum; præstat ergo illud amplecti, cum ab Ecclesia improbatum non sit. Multa in hanc rem congerit Leon. Lessius in præf. Opusc. *de prædestin.*

165. Resp., non quæ faciliora, nostræque debili rationi magis accommodata videntur, sed quæ veriora, ac sacris litteris, sanctorumque Patrum, præcipue autem S. Augustini doctrinæ magis

(a) Ita eorum doctrinam exponebat S. Prosper in sua epist. n. 3. *Eo postremo pervicacio tota descendit, ut finem nostrom ædificationi audientium contrarium esse definiant; oe ne atiam si vera sit, non promendam; quia & perniciose non recipienda trodantur, & nullo periculo quæ intelligi nequeant, contieeontur.* Hilarius vero in sua epist. n. 8. refert, non Massilienses solum, sed etiam alios, qui doctrinam Augustini recipiebant, dixisse: *Quid opus fuit hujoscemodi disputationis ineerto tot minos intelligentium corda turbori?* En qui primi docuerint, gratuitam prædestinationem non esse populis prædicandam.

(b) Subdebat autem: *Causas vero tacendi longum est omnes quærere, vel inserere: quarum tamen est & hæc una, ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumas eos, qui intelligunt, foeere doetiores; qui nobis aliquid tale taeentibus, doetiores quidem non fiunt, sed non pejores fiunt.* Prosequitur autem exponens causas loquendi: *Com outem res vera ita se habet, ut fiat pejor nobis eom dieentibas ille, qui eapere non potest; nobis autem taeentibus ille, qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne potius est dicendum verum, at qui potest capere eapiat, quam taeendum, ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit pejor? Qui sic audiret, & caperet, per illum etiom plures discerent. Quo enim est capacior, ut discat, eo magis est idonens, ut alios doceat.* Quæ generalia sanæ prudentiæ principia postea applicat prædicationi mysterii prædestinationis.

(c) Ita enim eorum errorem S. Prosper exponebat in sæpius laud. ep. ad S. Aug. & *consequens putant, ut quia prævaricator dicitur non obedisse, quia noluit, fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit.* Reprehenditur Lud. Molina, quod *in Concordia* quæst. 23. art. 4. & 5. membro 10. eadem plane docuisse videatur, inquiens: „ Quod e duobus, qui
„ æquali motu gratiæ præveniuntur, unus consentiat,
„ concurrat cum gratia, eliciat actum, & converta-
„ tur, alter vero non, *certe solum provenit ab inna-*
„ *ta, & intrinseca libertate otriusque*, bonis & ma-
„ lis, reprobis & prædestinatis communi ".

(d) Molina in loco nuper laud. hæc habet verba:
„ Ex eodem capite affirmamus, quod auxilia præve-
„ nientis gratiæ efficacia sint, aut inefficacia ad con-
„ versionem, *pendere ab eodem influxu arbitrio proprio* ".

gis conformia, amplectenda esse systemata; nec quærenda, sed potius suspecta esse debet facilitas, ubi agitur de *arcanis religionis nostræ mysteriis*, quo titulo a Concilio Trident. Sess. VI. cap. 12. prædestinatio appellatur.

CAPUT IV.

De divinæ prædestinationis effectibus.

165. Cum de effectibus prædestinationis inquiritur, sumitur prædestinatio in ordine executivo, atque illius effectus nomine illud totum venit, quod Deus electis in tempore confert *ex absoluta, & efficaci voluntate eos ad æternam beatitudinem perducendi*. Hos omnes effectus S. Augustinus *de præd. sanct.* cap. 10. comprehendit sub uno nomine *gratiæ*, inquiens: *Gratia est ipsius prædestinationis effectus*. Communiter tamen Theologi solent tres ejusdem prædestinationis effectus proprios distinguere, scilicet *vocationem*, *justificationem*, *& glorificationem*, sequentes nempe Apostoli phrasim, qui Roman. VIII. 30. *Quos*, inquit, *prædestinavit*, *hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit*.

165. Sub *vocationis* autem nomine omnia illa beneficia gratiæ actualis continentur, quæ justificationem præcedunt, tam externa, quam interna, ut prædicatio Evangelii, miracula, pii credulitatis effectus, ipsa fides, sanctæ cogitationes, & alia hujus generis, quibus homines a Deo electi excitantur, & ad consecutionem gratiæ sanctificantis perducuntur. Nomine *justificationis* non solum intelligitur gratia sanctificans, & habitualis, quæ in justificatione infunditur, sed etiam omnia bona opera meritoria vitæ æternæ, quæ eamdem justificationem consequuntur, potissimum autem finalis perseverantia, sine qua ultimus prædestinationis effectus haberi nequit, scilicet glorificatio. Quamobrem vocatio, & justificatio sine ultimo perseverantiæ dono non sunt propriæ æternæ prædestinationis effectus; cum etiam in reprobis persæpe inveniantur, quibus certe hæc non donantur a Deo ex efficaci, & absoluta voluntate eos salvandi. *Glorificatio* deonm est ultimus prædestinationis effectus, & significat æternam electorum felicitatem, quam Deus aliquibus pro sua misericordia destinavit, quos propterea primo dilexisse, deinde elegisse, ac demum prædestinasse dicitur. Vide sup. n. 8.

167. Et hæc quidem sine controversia generatim in scholis docentur. Sed quæstio postea admodum gravis cum Molinistis exoritur, an bonus usus gratiæ, qui a nostro libero arbitrio dependet, in recensitis prædestinationis effectibus numerari debeat. Qua de re nullum dubium esse potest, si credamus cum schola Thomistica tantam esse vim, & efficaciam gratiæ, ut sibi subdat nostram voluntatem, eamque ad consensum inflectat; tunc enim facile intelligitur, etiam bonum usum gratiæ esse donum Dei, ejusque prædestinationis effectum.

160. Non sic autem in Molinistarum systemate, quo talis gratia adstruitur, quæ a motu nostræ voluntatis pendula, ejusdem consensum expectat, ut efficax fiat; quamobrem consequenter etiam docetur, prævisionem hujus consensus causam esse, vel conditionem prædestinationis, non effectum. Id aperte confessus est non uno in loco suæ *Concordiæ* Lud. Molina (*a*).

169. Sed hæc Molinistarum doctrina e diametro pugnat cum sæpius repetitis sacr. scripturarum oraculis, quæ apertissime dicunt, Deum *in nobis operari velle, & perficere* Philipp. II. 13., imo *operari omnia in omnibus* 1. Corinth. XII. 6. Unde S. Augustinus *de dono perser.* c. 13. securus inquiebat: *Nos ergo volumus, sed Deus operatur in nobis & velle: nos ergo operamur, sed Deus operatur in nobis & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit credere, & dicere; hoc est pium, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo*. Et Angelicus postrema Apostoli verba commentans: „ Operatur omnia, inquit, sicut prima causa *creans* „ operationes. Ne tamen aliæ causæ videantur esse superfluæ, subdit: *in omnibus*, quia in causis secundariis prima causa operatur. Is. XXVI. „ *Omnia opera nostra operatus es in nobis* ... " Idem tradit constanter Angelicus sexcentis aliis in locis; præcipue in Lect. 3. sup. cap. IX. ep. ad Rom.

170. Non sunt autem prætereunda, quæ habet in I. P. quæst. 23. art. 5., ubi data opera opinionem illorum refellit, qui dicebant, Deum præordinasse se daturum gratiam alicui, *quia præscivit*,

(*a*) Aliqua hujus veritatis prædicationis salutaria monita suppeditat P. Laur. Berti Lib. IV. *de theol. discipl.* c. 15., ubi etiam exponit, quid Leonardo Utinensi Dominicanæ familiæ Alumno, & Augustino Musæo inclyti Ord. Augustiniani contigerit, quorum tamen doctrina in supremo Ecclesiæ tribunali, ut orthodoxa probata fuit. De Leonardo autem Utinensi fusius agit Hyac. Serry in Præfat. *Hist. Congregat. de Auxiliis* §. 13. & Lib. V. Sect. 1. c. 4.

(*b*) In quæst. 23. art. 4. & 5. Disp. 1. membro 10. primo aperte fatetur, Theologos *verissime* dixisse, *totum bonum usum liberi arbitrii, quo prædestinatus justificatur, atque ad vitam æternam perducitur, singulasque illius partes esse effectum prædestinationis*, quia nempe communi Doctorum sententiæ ausus non est sese opponere. Sed postea contendit, eos *accurate* rem hanc non explicasse, atque ita prosequitur: *examinandum tamen restat, utrum bonus usus spectatus, ut præcisa emanat ab arbitrio ipso, suaque innata naturali libertate ... dicendus sit effectus prædestinationis*. Partem autem negantem adoptat, quam subtilibus rationibus confirmare conatur; ac tandem suam mentem sine ambagibus iis verbis aperit, quæ super in nota ad num. 159. retulimus: *Quod e duobus &c.*

rit, *eum bene usurum gratia*. *Sed isti*, inquit S. Doctor, *videntur distinxisse inter id*, *quod est ex gratia*, *& id*, *quod est ex libero arbitrio* (ut distinxit Molina loco mox cit in. not. ad n. 158.) *quasi non possit esse idem ex utroque* &c.: & tandem concludit, *& id*, *quod est ex libero arbitrio*, *esse ex prædestinatione*. S. etiam Augustinus Lib. I. *Retract.* cap. 9. alia via id ipsum contra Pelagianos concludit, inquiens: *Quia omnia bona*, *& magna*, *& media*, & *minima ex Deo sunt*, *sequitur*, *ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis*. Sed hæc fusius declarabuntur contra Molinam, ubi de gratia per se efficaci agetur.

171. Præter hactenus enumeratos divinæ prædestinationis effectus, alii sunt etiam, quamvis minus proprie tales, & veluti *per accidens*; quia nempe quanquam ex natura sua non tendant in hominum electorum salutem, iisdem tamen utitur Deus ad eorum utilitatem. Hujusmodi sunt bona naturalia, ut bona indoles, temperamentum moderatum, ingenium docile, intelligendi facilitas, aliaque id genus, non quasi hæc aliquam afferant dispositionem ad gratiam, quæ est ordinis supernaturalis, sed quia obices plerumque removent, & ita *per accidens* ad salutem electorum conferunt. Unde Apostolus Roman. VIII. 28. ait: *scimus autem*, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, *iis*, *qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*b*). Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. ult. art. ult. docet bona temporalia *directe*, *& simpliciter* cadere sub merito, *prout sunt utilia ad opera virtutum*, *quibus perducimur ad vitam æternam*; & 2. 2. quæst. 17. art. 2. ad 2. hæc ipsa bona temporalia, quæ petuntur a Deo, dicit respici a spe *secundario in ordine ad beatitudinem*.

172. Mala etiam cum naturæ, tum pœnæ, quibus ex speciali Dei providentia electis præbetur occasio meritorum, sunt pariter *per accidens* effectus eorumdem prædestinationis; ipsis enim dicebat Apostolus Philipp. I. 29. *Vobis donatum est pro Christo*, *non solum ut in eum credatis*, *sed ut etiam pro illo patiamini*. Et de his nulla controversia, aut difficultas.

173. Difficultas est de malis culpæ; non quidem an peccata, in quæ electi quandoque delabuntur, sint prædestinationis effectus; certum est enim, Deum non esse peccati auctorem; sed de ipsa permissione peccati, quæ a Deo est, an scilicet ista dici possit prædestinationis effectus, quando electi majori cum virtutum incremento a peccatis resurgunt.

174. Et quidem communis est S. Patrum vox, infinita Dei bonitate aliquando fieri, ut electi in peccata lapsi magis infirmitatem suam cognoscant, atque inde magis humilientur, de seipsis diffidant, confidant in Deo, pœnitentiam agant, bonis operibus fervidius incumbant. Unde S. Ambrosius Apol. I. de David cap. 2. inquiebat: *Sancti*, *sicubi forte ut homines corruerint*, *naturæ magis fragilitate*, *quam peccandi libidine*, *acriores ad currendum resurgunt*, *pudoris stimulo majora reparantes certamina*, *ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum*, *sed etiam velocitatis incentiva cumulasse*. Et S. Basilius in *regulis brevioribus* interrog. 81. inquit, *contingere sæpe piorum delicta*, *divina providentia ita disponente*, *ad eorum utilitatem*. *Deus enim labi eos aliquando permittit ad sanandam priorem quam diximus animi elationem*.

175. Denique, ne nimius sim, S. Augustinus Lib. XIV. *de civ. Dei* c. 13. Tom. VII. „ Audeo dicere, *inquit*, superbis esse utile cadere „ in aliquod apertum, manifestumque peccatum, „ unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ce„ ciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, „ quando flevit, quam sibi placuit, quando præ„ sumpsit. " Hoc dicit & sacer Psalmus: *imple facies eorum ignominia*, *& quærent nomen tuum Domine:* idest ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt, quærendo suum. Idem sæpius S. Doctor observavit. Legatur S. Thomas Lect. VI. in c. VIII. ep. ad Rom.

176. Ex his, aliisque similibus S. Patrum locutionibus, quæ frequenter occurrunt, colligunt Theologi bene multi, permissionem peccati in electis esse effectum prædestinationis, non quidem secundum se, sed prout est occasio majoris bonorum. Sed pius, & doctus Contensonius recte observans, peccatum neque a Deo esse, neque ad vitam æternam ordinari, negat peccati permissionem inter beneficia seu effectus prædestinationis recenseri posse; bene vero *bonum usum*, *seu fructum*, *qui ex lapsu in peccatum elicitur*, *esse prædestinationis effectum*, *quatenus prædestinati efficiuntur ex casu humiliores*, *cautiores*, *ferventiores*, *orationi studiosiores*, *& propriæ infirmitatis magis conscii*.

177. „ Et sane, prosequitur idem Theologus, „ subtractio gratiæ prout se tenet ex parte homi„ nis, non est beneficium Dei, sed pœna, & ul„ tio: non est etiam per Christum; neque enim „ Christus mortuus est, ut gratia careremus, sed „ ut eam ex ejus plenitudine hauriremus: non „ concludit etiam per se ad gloriam, sed potius „ di-

(*b*) Frustra Lessius, & Hamelius hæc verba Apostoli ad omnes diligentes Deum *in genere*, non autem ad solos prædestinatos referenda esse, docuerunt. Nam præterquamquod hæc explicatio parum congruit contextui, etiam aperte S. Augustini doctrinæ opponitur, qui *de corrept. & grat.* cap. 9. ita de prædestinatis scribit: *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; usque adeo prorsus omnia, ut etiam si qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.* Vid. Censura Theologorum Lovaniensium, & Duacenorum Prop. XXVII.

„ divertit. Sed omnis effectus prædestinationis est „ beneficium Dei speciale, prædestinatio enim est „ præparatio beneficiorum: est etiam per Christum, in quo nos Deus elegit ante mundi constitutionem: perducit etiam ad vitam æternam: „ ergo hæc subtractio gratiæ non est effectus prædestinationis, sed providentiæ generalis, ad cujus supremum regionem pertinet, aliqua mala „ in universo permittere. Unde relinquitur, solum bonum usum lapsuum, & quotidianarum „ culparum esse effectum prædestinationis: unde „ & illum bonum usum a Deo petere possumus. „ Non tamen possumus ab eo petere, ut permittat nos cadere in peccata, etiam sub conditione, quod sint idonea ad nostrum profectum, ut „ quidam haud recte dixit; si enim non sunt facienda mala, ut veniant bona, qua ratione petere possumus, ut veniant mala sub aliqua spe „ boni? Absit hujusmodi petitio, quæ sane non „ habetur in Oratione Dominica, in qua potius „ rogamus, *& ne nos inducas in tentationem*, „ *sed libera nos a malo*. " His rationibus alii contradicunt: sed res tanti non videtur esse momenti, ut in ea debeamus diutius immorari. Et fortasse tota controversia de verbis potius, quam de re ipsa agitatur.

CAPUT V.

De prædestinationis certitudine, ejusdemque certitudinis causa.

178. Duo in hoc capite demonstrare aggredimur. Primo certissimam esse, atque infallibilem divinam hominum prædestinationem ad gloriam, adeoque Deo notum perspectumque esse salvandorum numerum, & non solum *formaliter*, ut nempe Deus sciat, quot sunt salvandi, sed etiam *materialiter*, ut sciat nominatim, quinam ex hominum massa sint æternam salutem feliciter consecuturi. II. Hanc certitudinem non ex sola infinita Dei præscientia, sed etiam, imo potissimum ex absoluta, & efficaci Dei prædestinatione oriri, ut nempe non ita Deus præsciat numerum omnium salvandorum, quomodo Astronomus prænovit eclipsim futuram, cujus ipse causa non est; sed quia ipse Deus est prima, & efficacissima causa, cur aliqui ad tantam felicitatem perveniant. Primum negarunt Pelagiani, ac Semipelagiani, hominum salutem non divinæ gratiæ, sed incertis liberi arbitrii viribus aut totam, aut saltem ex parte tribuentes. Alterum Lud. Molina, ejusque Sectarii (a). Jam igitur contra primos sit dogmatica, & fide catholica credenda

PROPOSITIO I.

Divina prædestinatio certissima est, ut proinde Deo certissime notus sit salvandorum numerus, qui nec augeri potest, nec minui.

179. Prob. 1. ex verbis Christi Domini Joan. X. 27. & seq., ubi de prædestinatis inquit: *Oves meæ vocem meam audiunt ... & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Similia passim occurrunt in sacris litteris, quæ expendens S. Augustinus *de corrept. & grat.* cap. 7. de prædestinatis inquiebat: *Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Non itaque minui potest numerus salvandorum.

180. Sed neque augeri potest; ut enim superius cap. 2. contra Catharinum ostensum est, nemo salvatur, nisi ab æterno Dei prædestinantis decreto fuerit ad salutem electus. Quamobrem Christus Dominus dicebat Joann. VI. 66. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo*, & cap. X. 26. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.*

181. Notum autem esse Deo numerum omnium salvandorum, apertissime tradit Apostolus 2. ad Timoth. II. 19. inquiens: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et Christus ipse Joann. X. 14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas.* Item XIII. 18. *Ego scio, quos elegerim.* Recte pro-

(a) De Semipelagianis hæc habet S. Prosper variis in locis, præcipue autem in ep. ad Ruffinum. „ Ab hac „ aperta confessione gratiæ Dei ideo quidam resiliunt, „ ne cum eam talem confessi fuerint, qualis divino „ eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis „ agnoscitur, etiam hoc necesse habeant confiteri, quod „ ex omni numero hominum per sæcula cuncta natorum *certus apud Deum, definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi, & secundum propositum Dei vocantis electi* ".

Molinistæ autem, qui prædestinationem absolutam, & gratuitam rejiciunt, eamque a prævisione meritorum suspendunt, solam Deo salvandorum præscientiam concedunt, non autem eam certitudinem *causalitatis*, quæ ex absoluto, & efficaci ipsius decreto provenit. Id non minus aperte, quam sæpe Molina asserit in sua Concordia. Vid. definitio prædestinationis ab eo tradita sup. in not. ad n. 10.; & præterea Disp. I. ad quæst. 23. art. 4. & 5. memb. 11., „ ubi inquit: Secunda „ conclusio. Licet adultus ita prædestinatus absque „ ulla Dei deceptione vitam æternam consequetur, certitudo *tamen non est ex parte mediorum, effectuumque* „ *prædestinationis, sed ex parte divinæ præscientiæ*; „ quia Deus altitudine, illimitataque perfectione sui „ intellectus supra id, quod natura rei habet, certo „ cognoscit, prædestinatum taliter *pro sua libertate* „ *cooperaturum per suum arbitrium*, ut iisdem mediis „ in vitam æternam reipsa debeat pervenire ". Etiam inter propositiones Lessii & Hameliı a duabus Universitatibus Lovaniensi, & Duacena proscripta hæc erat n. 30.: *Numerus prædestinatorum non est certus ex prædestinatione, quæ antecedit omnem præscientiam operum.*

proinde S. Augustinus *de dono persev.* cap. 14. Semipelagianos urgebat: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit.*

182. Huic tamen inconcusso Ecclesiæ Catholicæ dogmati non pauca opponi videntur. Et primo, quod aliqui deleri possint de libro vitæ, qui est liber æternæ prædestinationis. Nam Exodi XXXII. 32. Moyses ita Deum pro Israelitis deprecabatur: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Moysi autem respondit Deus: *qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* Augeri etiam posse numerum in eo libro scriptorum, indicat idem Moyses Deuteron. I. 11. ita Israelitis bene ominans: *Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia.*

183. Resp. cum SS. Hieronymo (in epist. ad Algasiam quæst. 9.), & Gregorio (Lib. X. *Moralium* cap. 7.), *librum Dei* ibi non sumi pro libro æternæ prædestinationis, sed pro libro viventium in hoc mundo. Nempe orabat Moyses Dominum, ut si nollet parcere populo, eum interficeret, ne mala gentis suæ videret. Hoc sensu idem Moyses Numer. XI. 15. Deum similiter oravit, dicens: *sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me..., ne tantis affligar malis.* Atque hoc eodem sensu idipsum a Deo petierunt Elias, Eliseus, aliique Sancti, non vitæ desperatione acti, sed orandi fervore. Nonnulli interpretes hoc a Moyse dictum volunt per *hyperbolem*, & *exaggerationem*, subintelligendo conditionem: *si fieri potest.* Necesse tamen non est, ad hujusmodi figuras confugere, quando sensus litteralis planus est.

184. Sic etiam alia verba ejusdem Moysis in sensu obvio intelliguntur de multiplicatione populi Israelitici ꝑ versic. enim præced. dixerat: *Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie, sicut stellæ cœli, plurimi... Addat ad hunc numerum* &c. Quod si Glossa, aut alii Interpretes hunc locum exponunt de prædestinatis, debet hoc intelligi de prædestinatis *minus proprie*, nempe de justificatis, qui ex gratia sanctificante ordinantur in vitam æternam; quæ certe ordinatio & minui potest, & augeri: non autem augeri potest, vel minui, quæ oritur ex æterna Dei prædestinantis electione.

185. Dices: David in Psalmo LXVIII. 29. de impiis loquens, *deleantur*, inquit, *de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Quæ certe verba de libro hujus vitæ præsentis exponi nequeunt; debent ergo intelligi de libro æternæ prædestinationis, unde aliqui deleri possunt, sicuti possunt alii in eo scribi, dicente eodem David Psalmo XXXIX. *multiplicati sunt super numerum.*

185. Respond. S. Augustin. Serm. II. in hunc Psalmum Tom. IV. vult, *hoc dictum esse, secundum spem ipsorum, quia ipsi se scriptos putabant;* quasi Propheta dicat: *& ipsis constet, non illos ibi esse*, scilicet in libro viventium. S. autem Thomas I. Part. quæst. 24. artic. 3. bene observat, hoc *non solum* ad opinionem hominum referri posse, *sed etiam* esse verum *quantum ad rem;* quatenus aliqui dicuntur scripti in libro vitæ, non ex divina prædestinatione quæ deficere non potest, sed ex gratia sanctificante, quæ amitti potest, & quando quis eam amittit, dicitur deleri de libro vitæ. In hac tamen explicatione verba Psalmi *deleantur* &c., negative accipi debent, nempe non *scribantur*, seu ad justificationem non perducantur; ibi enim sermo est de impiis, quorum nomina non sunt in libro vitæ, neque ex æterna prædestinatione, neque ex gratia sanctificante: unde etiam in vers. præcedent. de ipsis dicitur: *& non intrent in justitiam tuam.*

187. Quod autem dicitur Psalmo XXXIX. debet cum S. Augustino intelligi de iis, qui numero prædestinatorum adduntur ex apparenti quadam specie pietatis. „ Multi, inquit S. Pater, vere „ conversi, multi falso conversi; pauciores vere „ conversi, plures falso conversi, *quia multiplicati sunt super numerum* “.

188. Ob. secundo. Apoc. III. 11. dicitur: *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Hunc locum ita S. Augustinus exponit, *de corrept. & gratia* cap. 13. ut certus quidem sit Deo numerus servandorum *formaliter*, non tamen *materialiter*; inquit enim: *si alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus.*

189. Respondet S. Thomas hic art. 6. ad 1. „ Coronam dici esse alicujus dupliciter: uno modo ex prædestinatione divina; & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ; quod enim meremur, quodammodo nostrum „ est: & sic suam coronam aliquis amittere potest „ per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, inquantum loco „ ejus subrogatur: non enim permittit Deus, ali- „ quos cadere, quin alios erigat, secundum illud „ Job. XXXIV. 24. *Conteret multos, & innu-* „ *merabiles, & stare faciet alios pro eis* (a) “. Quamvis autem S. Augustinus ex hoc Apocalypsis lo-

(a) Hæc Angelici doctrina non ita accipienda est, quasi aliquibus a justitia excidentibus, *totidem* alii substituantur; tristi enim experientia instruimur, plures esse, qui cadunt, quam qui resurgunt. Sæculo enim XVI. plurimis regnis a vera fide deficientibus, non totidem alia ad Ecclesiam conversa sunt; sed præcise, quod aliquibus coronam justitiæ amittentibus, divina misericordia fiat, ut alii, quamvis numero impares, eamdem accipiant. Sic Sæc. XVI. ingentem illam cladem, quam ex apostasia Protestantium Ecclesia passa est, clementissimus Deus detectione, & conversione Americæ compensavit. Hanc, & non aliam fuisse S. Tho-

loco non eruat certitudinem numeri salvandorum, nisi *formaliter*, seu certitudinem *numeri*, non autem distincte etiam *rei numeratæ:* alibi tamen etiam hanc secundam certitudinem manifestissime tradit, ut de ejus mente nullum possit suboriri dubium. Vid. sup. num. 181.

190. Alii ea verba: *ut nemo accipiat coronam tuam*, intelligunt de inimicis nostris spiritualibus, ac præcipue de diabolo, ut sensus sit: *diligenter custodias gratiam, quam habes, ut nullus adversarius eam tibi eripiat*. Hic sensus etiam eruitur ex parabola seminis Matth. XIII. 19. quando scilicet *venit malus, & rapit, quod seminatum est*.

191. Ob. 3. Christus Dominus Patrem æternum alloquens Joann. XVII. 12. dicebat: *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*. Qui autem dicuntur a Patre Christo *dati*, certo sunt prædestinati: ergo &c.

192. Resp. Judam, seu *filium perditionis*, de quo ibi est sermo, non fuisse Christo a Patre *datum* ex æterna prædestinatione ad gloriam, cum potius esset *prædestinatus perditione*, ut loquitur S. Augustinus (Tract. 107. in Joan. n. 7. Tom. III.); ex iis enim, qui ex æterna prædestinatione ad gloriam fuerunt Christo dati, neminem prorsus periisse, testatur idem S. Evangelista Joannes cap. XVIII. 9. ubi repetens eadem verba Christi, sine ulla exceptione inquit: *Ut impleretur sermo, quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam*. Sensus ergo hujus loci hic est: *Nemo ex iis periit, quos dedisti mihi, sed Judas periit, qui mihi datus non erat, cum filius esset perditionis;* ut scilicet particula *nisi* æquivaleat conjunctioni adversativæ *sed*. Hic loquendi modus non est inusitatus in sacris litteris, ut cum in Lib. 4. Regum V. 17. Naaman Syrus dixit Eliseo: *non faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino soli;* non certe quasi Dominum Israelis inter Deos alienos recenseret, sed ut significaret, se Domino soli imposterum sacrificaturum. Hæc fuit phraseologia Hebræorum, quæ in novo etiam testamento quandoque occurrit, ut Apocal. XVI. 27.

193. Obj. 4. S. Paulus Apostolus 1. Corinth. IX. 27. timebat, ne ab æterna prædestinatione excideret, dicens: *ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar:* ergo &c.

194. Resp. Apostolum hic non loqui de æterna prædestinatione, quam certissimam esse alibi statuerat; ut enim inquit Roman. VIII. 30. *quos (Deus) prædestinavit, hos & vocavit ... justificavit ... glorificavit*. Loquitur igitur dumtaxat de seipso, attenta sua libertate, quam Dei prædestinatio non tollit, & *suo timore nos terruit; quid enim faciat agnus, ubi aries tremuit?* inquit S. Augustinus laud. a S. Thoma Lect. V. in hunc locum (*a*).

195. Ob. quinto. S. Thomas I. P. qu. 23. art. 8. docet, prædestinationem juvari posse precibus Sanctorum. Hinc Ecclesia in Canone Missæ Deum orat, *ut in electorum suorum nos jubeat grege numerari:* & in Orat. pro vivis, & defunctis, ut *eorum nomina prædestinationis liber adscripta reteneat*. Hinc etiam S. Petrus 2. epist. cap. I. ita nos hortatur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*. Et S. Augustinus serm. 382. alias 4. de S. Stephano Tom. V. orationibus S. Stephani tribuit electionem S. Pauli inquiens: *si martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum non haberet*. Ac demum vulgatum est illud S. Augustini dictum: *si non es prædestinatus, ora ut prædestineris*. Et augeri posse prædestinatorum numerum manifestissime tradit idem S. August. in Enchiridio c. 29. T. VI. dicens: *Superna Jerusalem mater nostra, civitas Dei nulla civium suorum numerositate fraudabitur, aut uberiore etiam copia fortasse regnabit:* non igitur certa, & immobilis est prædestinatio.

196. Resp. cum S. Thoma laud. „ in prædestinatione duo esse consideranda, scilicet ipsam „ prædestinationem divinam, & effectum ejus. „ Quantum ad primum, nullo modo prædestinatio juvatur precibus Sanctorum; non enim precibus Sanctorum fit, quod aliquis prædestinetur „ a Deo. Quantum vero ad secundum, dicitur „ prædestinatio juvari precibus Sanctorum, & aliis bonis operibus, quia providentia, cujus prædestinatio est pars, non subtrahit causas secundas; sed sic providet effectus, ut etiam ordo „ causarum secundarum subjaceat providentiæ “. Et postea sic prosequitur Angelicus: „ Ita prædestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem „ promovet in salutem, vel orationes propriæ, „ vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde de prædestinatis conandum est, „ ad bene operandum, & orandum, quia per hujusmodi, prædestinationis effectus certitudinaliter „ impletur. Propter quod dicitur 2. Petri I. 10. „ *satagite, ut per bona opera &c.* “. Hac surea S. Thomæ doctrina non solum quæ objecta sunt,

mæ mentem colligitur ex iis, quæ statim subdit, dicens: *Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, & in locum Judæorum Gentiles*, certe non æqualitate numeri, sed tantum proportione quadam subrogationis.

(*a*) Guill. Estius in Comment. ad hunc loc. ex his S. Pauli verbis eruit, Apostolos hac vita durente non ita fuisse confirmatos in justitia, quin ab ea excidere potuerint. Quam suam opinionem roborat ex Auctore Lib. *de vocat. gentium*, observante, etiam provectissimis Sanctis, inter quos nominat Petrum, Deo supplicari debuisse iis verbis: *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*.

sunt, sed multa alia, quæ similiter objici possunt, facile explicantur.

197. Quod autem sub venerando S. Aug. nomine vulgatum est: *si non es prædestinatus, ora ut prædestineris*, nullibi in ejus Operibus invenitur. Et si aliquid simile reperiretur, intelligi deberet de effectu prædestinationis, non autem de ipsa prædestinatione, quæ a nostris precibus minime pendet, ut ex S. Th. explicatum est. Hoc sensu idem S. Pater Tract. XXVI. in Joan. dicebat: *si non traheris, ora ut traharis*, quia per orationem uberiora, & fortiora gratiæ auxilia impetrare possumus, quibus efficaciter trahamur.

198. Quod demum ex *Enchiridio* objectum fuit, facile explicatur ex ipso S. Augustino, qui ibi loquebatur de numero omnium salvandorum collato cum numero Angelorum, qui perierunt, & putabat illum *fortasse* futurum isto majorem; quamvis id certo affirmare non auderet; qua de re vid. S. Th. I. P. q. 23. art. 7. Ceterum idem S. August. *de corrept. & gratia* cap. 13. *Certus est*, inquit, *prædestinatorum numerus, qui neque augeri potest, nec minui*.

199. Ob. ult. Prædestinatus potest in peccatum lethale labi, ut lapsus est S. Paulus, quando persequebatur Ecclesiam Dei: potest etiam in eo statu mori, adeoque damnari: ergo &c.

200. Resp. dist. eam proposit. Potest in statu peccati mori in *sensu diviso, & absoluto*, conc. in *sensu composito*, nego. Ita hanc difficultatem solvit Angelicos Quæst. VI. *de verit.* art. 3. ad 7. inquiens: „ Cum dicitur, *Prædestinatus iste „ potest in peccato mori*, si consideretur poten„ tia ipsius, verum est. Si autem loquamur de „ prædestinato secundum ordinem, quem habet „ ad aliud, scilicet ad Deum prædestinantem, „ *sic ordo ille non compatitur secum istum e„ ventum, quamvis compatiatur secum istam „ potentiam* ". Et I. P. quæst. 23. art. 6. ad 2. *Licet*, inquit, *sit possibile eum, qui prædestinatus est, mori in peccato mortali secundum se consideratum; tamen hoc est impossibile, posito, prout scilicet ponitur, eum esse prædestinatum*.

201. Item in resp. ad 3. hanc difficultatem: *Quidquid Deus potuit, potest: sed potuit non prædestinare, quem prædestinavit: ergo nunc potest non prædestinare*, ita solvit: *non oportet dicere, quod Deus possit non prædestinare, quem prædestinavit, in sensu composito accipiendo; licet absolute considerando, Deus possit prædestinare, vel non prædestinare*.

202. Eodemque modo in art. 4. laud. quæst. VI. *de verit.* similem difficultatem solvit de reprobo, qui potest pervenire ad gratiam justificationis, in eaque mori; inquit enim ad 4. „ ex hoc „ ipso, quod ponitur aliquis esse præscitus, po„ nitur, non habiturus finalem perseverantiam ... „ Et sicuti hoc, quod est non esse habiturum fi„ nalem perseverantiam, *est incompossibile ei*, „ *quod est esse prædestinatum*; ita esse habitu„ rum finalem gratiam *est incompossibile ei*, *quod „ est esse præscitum*, quamvis in se sit possibi„ le. " Si quis uberius declarari cupiat, quomodo prædestinatus damnari possit, & reprobus salvari, consulat Estium in Lib. I. *Sentent.* Dist. 40. §. 17. & sequ.

PROPOSITIO II.

Certitudo prædestinationis non solum repetenda est ab infinita Dei præscientia, sed etiam, imo potissimum ab absoluto, & efficaci Dei prædestinantis decreto.

203. Hæc manifeste est doctrina S. Thomæ; nam I. P. qu. 23. art. 7. postquam dixisset, numerum prædestinatorum esse certum Deo, non solum *formaliter*, sed etiam *materialiter*, quatenus Deus non solum scit, quotnam, sed etiam quinam sint salvandi, ita subdit: „ Sed advertendum „ est, quod numerus prædestinatorum certus Deo „ dicitur, non solum *ratione cognitionis*, quia „ scilicet scit, quot sunt salvandi; sic enim Deo „ certus est etiam numerus guttarum pluviæ, & „ arenæ maris, sed *ratione electionis, & ordi„ nis* ". Ubi nomine *electionis*, & *ordinis* intelligit illam electionem peculiarem, qua res aliqua *per se* præordinatur ad finem. Quod declarat ibidem observans, individua corruptibilia non ordinari ad bonum universi, *quasi principaliter*, sed *quasi secundario*, inquantum in eis salvatur bonum speciei; creaturas autem rationales *principalius* ordinari ad bonum universi; atque illas potissimum, quæ beatitudinem consequuntur: unde concludit, certum esse numerum prædestinatorum, *non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum ejusdem principalis præfinitionis*.

204. Fusius autem hanc eamdem doctrinam exponit, & probat Angelicus in Quæst. disput. Quæst. VI. *de prædestinat.* art. 3. ubi primum asserit, *difficile videri concordare infallibilitatem prædestinationis cum libertate arbitrii* (quod tamen facile videtur Adversariis, ponentibus solam certitudinem præscientiæ); cujus difficultatis hanc rationem subdit: „ Non enim potest dici, quod præ„ destinatio supra certitudinem providentiæ nihil „ aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ; ut „ si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad „ salutem, sicut & quemlibet alium, sed cum „ hoc prædestinato scit, quod non deficiet a sa„ lute: *sic enim dicendo non diceretur præ„ destinatus differre a non prædestinato ex „ parte ordinis, sed tantum ex parte præ„ scientiæ eventus, & sic præscientia esset „ causa prædestinationis, nec prædestinatio es„ set per electionem prædestinantis: quod est „ contra auctoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum*. Unde præter certitudinem præscientiæ „ ipse ordo prædestinationis habet infallibilem cer„ titudinem, nec tamen causa proxima salutis or-

„ di-

„ dinatur ad eam necessario, sed contingenter, „ scilicet liberum arbitrium &c. “

205. Prob. autem hæc S. Thomæ, ejusque discipulorum doctrina iis Scripturæ sacræ locis, quibus prædestinati dicuntur *oves Christi*, *electi a Christo*, & propterea ipsi Christo noti (vid. supra n. 181.); & adhuc manifestius, ubi prædestinati dicuntur a Deo Patre Christo dati, ut non pereant, & pro quibus Christus efficaciter oravit. Insignis est locus Joan. XVII. 6. & seq. ubi Dominus, ac Redemptor noster ita Patrem alloquitur: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti ... Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt ... Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo. ex eis periit, nisi filius perditionis*. En tota ratio, quare Christus oves suas, nempe prædestinatos, cognoverit, quia nempe illi traditi fuerunt a Patre per æternam eorum electionem in Christo factam.

206. Quem locum, licet per se perspicuum, ita S. Augustinus illustrat *de corrept. & grat.* cap. 9. inquiens: *Hi ergo Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam* (a).

207. Nullus autem esset finis, si alia hujus S. Patris loca agglomerare vellem, quibus ostenditur, potissimam, imo unicam rationem, cur Deo notus, & certus sit salvandorum numeros, ex divina illorum electione ad gloriam oriri. Qua de re multa dicta sunt in Dissert. IV. ubi agebatur de medio, in quo Deus alia a se cognoscit, ac præcipue num. 114. & seq. ubi ex hoc S. Doctore ostendimus, futura ordinis supernaturalis a Deo videri in suis efficacibus decretis. Huc etiam spectant, quæ de prædestinatione gratuita superius contra Molinistas disputavimus.

208. Concludo verbis S. Fulgentii Lib. III. *de verit. prædestinat. & grat.* cap. 5. „ Illi ergo „ numero (salvandorum) nec aliquis additur, „ nec aliquis demitur; quia secundum proposi„ tum voluntatis suæ Deus sanctos suos prædesti„ navit, de quo scriptum est, *quia omnia quæ„ cumque voluit, fecit*. Ita nemo potest ejus mu„ tare prædestinationem, sicut nullus potest ejus „ vincere voluntatem. Quod si numerus ille cer„ tus non est apud Deum, aut scientia divina „ fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divi„ na virtus adversitate aliqua superatur. “

209. Quæres primo, quantus sit salvandorum numerus?

Resp. Deo non placuisse Ecclesiæ hoc revelare. Nam Lucæ XIII. 23. cum quidam Dominum ita interrogasset: *Domine, si pauci sunt, qui salvantur?* Christus ejus curiositati satisfacere noluit; sed potius omnes ad studium, & diligentiam consequendæ salutis exhortatus est, dicens: *contendite intrare per angustam portam*. Aliqui tamen id, sin minus certo, saltem probabili quadam conjectura se assequi posse crediderunt; unde plures sententiæ natæ sunt. Prima est eorum, qui putarunt, tot esse ex hominibus salvandos, quot Angeli salutem consecuti sunt; quod colligunt ex iis verbis Deuteron. XXXII. 8. juxta lectionem LXX. Interpr. *statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*. Ita opinati sunt S. Gregorius M. Hom. 34. in Evangel., Ecclesia Lugdunensis Lib. *de tribus epistol.* cap. ult., & nonnulli alii. Sed noster vulgatus interpres vertit: *juxta numerum filiorum Israel:* ut sensus sit, terra Chananæorum ita esse dividenda, ut numero filiorum Israel sufficeret.

210. Altera sententia vult, tot esse ex hominibus salvandos, quot Angeli perierunt, ut scilicet eorum numerus resarciatur; unde illud dictum putatur in Psalmo: *implebit ruinas*; quod tamen longe alium habet sensum. Firmius hujus opinionis fundamentum ex eo desumi videtur, quod credatur per hominum salutem restaurari jacturam, quæ per Angelorum lapsum facta est; quo etiam spectare creduntur illa Apostoli verba Ephes. I. 10.: *instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipso*. Veruntamen neque hæc ratio satis valida apparet; neque locus Apostoli id proprie indigitat. Etsi enim admittamus eam, quam Theologi appellant instaurationem ruinæ Angelicæ per homines a Deo in locum Angelorum electos; non inde tamen sequitur, a Deo *tot* fuisse homines ad gloriam prædestinatos, *quot* Angeli e cælo præcipites ceciderunt; sed solum generaliter fuisse homines Angelis reprobatis subrogatos, quod nonnulli Sancti Patres tradiderunt, atque inter alios S. Augustinus Lib. XXII. *de Civ. Dei* cap. 1. Apostolus autem vult, Christum esse constitutum caput omnium electorum, tam ex hominibus, quam ex Angelis; unde in fine epist. dicit, Christum fuisse constitu-

(a) Inter alias Lessii, & Hamelii propositiones a duabus Academiis Lovaniensi, & Duacena censura confixas, hæc erat num. XXV. *Non est voluntas absoluta Patris, ut omnes, quos ipse dat Filio, absolute salventur, ut patet Joann. XVII. ubi dicit, quod ex illis, quos dedit ei Pater, periit filius perditionis qui seipsum perdere voluit; sed voluntas Patris est, ut omnes habeant sufficientia auxilia, & non stet per ipsum, quominus salventur*. Nec aliter sensit Molina in sua *Concordia* quæst. 14. art. 13. disp. 12. quamvis, ut P. Th. de Lemos *Panopliæ* Tom. II. tract. 2. capp. 37. observavit, suam sententiam multo verborum involucro abscondere sategerit. Vid. laud. P. Lemos cap. seq. in quibus veram Christi verborum intelligentiam copiose defendit.

tutum *in cœlestibus supra omnem principatum*, *& potestatem*, *& virtutem*, *& dominationem*, *& omne nomen*, *quod nominatur*, *non solum in hoc sæculo*, *sed etiam in futuro*. S. autem Hieronymus bene notavit, verbum græcum ἀνακεφαλαιῶσαι, quo usus est Apostolus, proprie non significare *instaurare*, sed potius *recapitulare*, ut nempe intelligamus, omnia denique ad caput Christum esse revocanda (a).

211. Tertia demum opinio quorumdam fuit, tot ex hominibus esse salvandos, quot Angeli ab initio creati sunt. S. Thomas I. P. q. 23. art. 7. „ relatis his tribus opinionibus, subdit: sed melius dicitur, quod *soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus* "; quæ verba deprompta sunt ex Collecta Ecclesiæ pro vivis, & defunctis.

212. Quæres secundo: An major sit numerus electorum, quam reproborum?

Resp. Si verum est, ut est certe verissimum, neminem extra Ecclesiam Catholicam posse æternam salutem consequi, minime dubitandum esse longe plures esse homines, quos tremenda justitia Dei damnari permittit, quam eos, qui ineffabili divina misericordia a massa perditionis liberati salvantur; qua de re nulla esse potest inter Catholicos controversia.

213. Sed quæstio oritur tantummodo; an ex fidelibus adultis, qui in Catholicæ Ecclesiæ gremio vivunt, & moriuntur, plures sunt qui pereunt, an qui salvantur? Qua in re eruditissimus Petrus Fogginius anno 1752. Romanis typis librum edidit, cum hoc titulo: *Patrum Ecclesiæ de paucitate adultorum fidelium salvandorum, si cum reprobandis fidelibus conferantur*, *mira consentio adserta*, *& demonstrata*. Fidem autem suam Fogginius in hoc opere liberavit, allatis ex omnibus fere Patribus a Sæc. II. usque ad XIII., clarissimis testimoniis.

214. Sunt præterea multa loca ex sacris litteris, quibus idipsum manifeste insinuatur; ut cum Christus dixit apud Matt. XX. 16.: *Multi sunt vocati*, *pauci vero electi*; quæ verba spectare ad fideles declarat S. Gregorius Papa Lib. XXV. *Moral.* cap. 8. Lucæ etiam XIII. 23. cuidam interroganti, *Domine*, *si pauci sunt*, *qui salvantur?* respondit Jesus: *contendite intrare per angustam portam*, *quia multi*, *dico vobis*, *quærent intrare*, *& non poterunt*; quæ verba etiam alibi dicta inveniuntur, præcipue autem Matth. VII. 13, ubi Christus ita nos omnes hortatur: *Intrate per angustam portam*, *quia lata*, *& spatiosa via est*, *quæ ducit ad perditionem*, *& multi sunt*, *qui intrant per eam*. *Quam angusta porta*, *& arcta via est*, *quæ ducit ad vitam*, *& pauci sunt*, *qui inveniunt eam!*

215. Tristis etiam experientia vitiorum, quæ ubique grassantur, & paucorum, qui vel innocentiam conservant, vel fructus faciunt dignos pœnitentiæ, non parum communem Sanct. Patrum, atque illustriorum Theologorum sententiam de exiguo salvandorum numero, heu! nimis confirmat. Nollem tamen, aliquos inde concludere, prædestinationem non esse gratuitam, quia si Deus gratuito, & sine prævisione bonorum operum homines prædestinaret, congruum ipsius bonitati videretur, ut vel omnino omnes, vel saltem maximam eorum partem ad gloriam æternam eligeret.

216. Resp. enim primo, observando, prædestinationem hominum fieri ex massa damnationis propter peccatum originale, quo tota natura humana infecta est; inde ineffabilis Dei misericordia est, quod aliqui liberentur, cum posset divina justitia omnes condemnare. Deinde, ut profunde observat Angelicus laud. art. 7. ad 3. „ Bonum proportionatum communi statui naturæ accidit, ut in pluribus, & deficit ab hoc bono, ut in paucioribus; sed bonum, quod excedit communem statum naturæ, invenitur, ut in paucioribus, & deficit ab hoc bono, ut in pluribus .... Cum igitur beatitudo æterna in visione Dei consistens excedat communem statum naturæ, & præcipue secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, *pauciores sunt*, *qui salvantur*. Et in hoc etiam maxime misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, a qua plurimi deficiunt secundum communem cursum & inclinationem naturæ.

217. Veritas hæc terribilis certe est, quæ tamen nos magnopere excitare debet, ut cum metu & tremore salutem nostram operemur, ut contendamus intrare per angustam portam, & cum violentia regnum Dei rapiamus. Ceterum, ut S. Augustinus inquit Lib. II. *Op. imperf. cont. Jul.* cap. 205. quamvis *pauci sint*, *qui salvantur*, *in comparatione eorum*, *qui pereunt*, attamen *sine illorum comparatione per se ipsos etiam ipsi multi sunt*; unde S. Joannes in Apocal. VII. dicit, se vidisse *turbam magnam*, *quam dinumerare nemo poterat*, *ex omnibus gentibus stantes ante thronum*. Qua in turba nos etiam futuros esse sperare debemus, non meritis nostris, sed meritis Jesu Christi, ejusque efficacissimæ gratiæ ope, quam jugibus precibus implorare debemus. Spes ista consolatur nos, quamvis de nostra æterna prædestinatione certos in hac vita esse non posse manifestum faciet sequens

CA-

(a) Ex quo S. Hieronymus in hoc loco, & in quibusdam aliis nostram latinam Bibliorum versionem corrigat, recte inferunt eruditi, eamdem illam non esse, quam Hieronymus emendasse dicitur.

CAPUT VI.

Ostenditur, neminem sine speciali Dei revelatione in hac vita certum esse posse de sua prædestinatione.

218. Id fuit in Concilio Trident. contra Lutheranos, & Calvinistas definitum Sess. VI. cap. 12. his verbis: *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum ..... nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Et can. 15. *Si quis dixerit, hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum, anathema sit. Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit (a).*

219. Prob. autem hæc veritas primo ex multis illis sacræ Script. locis, quibus nobis insinuatur, ac plane præcipitur salutaris ille timor, qui nos sollicitos reddere debet, ut per bona opera certam nostram electionem faciamus. *Beatus homo qui semper est pavidus.* Prov. XXVIII. 14. *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini; Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro voluntate.* Philipp. II. 12. quibus verbis manifeste nos monere voluit Apostolus, cum nostra salus a Deo principaliter pendeat, nonnisi ex ipsius revelatione de eadem nos certos esse posse. Denique, ut alia plura omittam, idem Apostolus Rom. XI. 20. ita unumquemque nostrum monet: *Tu autem fide sta, noli altum sapere, sed time .... Vide bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Quorsus autem hujusmodi timor in sacris litteris tantopere inculcatur, si homines certam haberent æternæ suæ salutis securitatem?

220. Prob. secundo ex SS. Patribus. S. August. L. VI. *de civ. Dei* cap. 12. de justis loquens, *licet*, inquit, *de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuque justitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac re justo latentique judicio non omnes instruit, sed neminem fallit? Et* de corrept. & grat. c. 13. *Quis*, inquit, *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?* Prosequitur autem ostendens, providentissime hoc a Deo hominibus occultari, ut sic eorum caveatur elatio.

221. S. Gregorius Magnus Hom. 38. super Evangelia Lib. II. non solum nos esse de nostra prædestinatione incertos asserit, sed id duplici etiam ratione confirmat; quarum prima ab experientia ducitur: „ nonnulli enim, inquit, bona nec „ incipiunt, nonnulli vero in bonis, quæ inceperunt, minime persistunt. Alter pene totam „ vitam ducere in pravitate conspicitur, sed juxta finem vitæ a pravitate sua per districtæ pœnitentiæ lamenta revocatur. Alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit „ ad erroris nequitiam juxta finem declinare. Alius bonum bene inchoat, melius consummat. „ Alius in malis actibus a primæva ætate se „ dejicit, & in ipsis operibus semper seipso deterior consummatur: tanto ergo sibi unusquisque „ sollicite metuat, quanto ignorat, quod restat. “ Alteram autem multo profundiorem rationem repetit S. Pater ab inscrutabili Dei voluntate, *quia nemo scit, quid de se in occultis Dei judiciis agatur (b).*

222. Sed audiatur S. Bernardus, qui aliorum Patrum doctrinam colligens Serm. I. in Septuagesima inquit: „ Quis potest dicere: *ego de electis* „ *sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de* „ *numero filiorum?* Quis hoc inquam potest dicere, reclamante nimirum Scriptura: *nescit* „ *homo, si sit dignus amore, an odio?* Certitu-

(a) Novatores, ut facilius incautos homines ad sua castra pertraherent, non solum eos vana certitudine lactabant præsentis justitiæ, de qua neminem dubitare volebant, qui justitiam Christi sibi imputari crederet, sed ulterius progressi iisdem etiam promittebant æternæ suæ salutis omnimodam securitatem, adeo ut fide credere possent, ac deberent, se esse de numero prædestinatorum. Ita potissimum dogmatizabant primi Calvini sectatores Mart. Bucerus in *Colloquio Ratisbonensi*, Petrus Martyr in Comment. ad cap. VIII. ep. ad Rom., Chemnitius in *Exam. Conc. Trid.* aliique post magistrum suum Calvinum in Lib. III. *Instit. Cathol.* c. 2. ubi etiam contra Scholasticos docentes, *manere in suspenso finalis perseverantiæ notitiam*, ita irascitur: *Egregia vero salutis fiducia nobis relinquitur, si ad præsens momentum nos esse in gratia conjectura morali æstimamus, quid in crastinum sit futurum, nescimus.* Hic non refellemus nisi præsumtuosam illam certitudinem, quam Novatores jactant æternæ suæ prædestinationis; quantum autem ad securitatem præsentis justitiæ, eorum error confutabitur in Tractatu de Gratia sanctificante, ubi de justificatione impii agetur.

(b) Calvinus Lib. III. *Instit.* cap. 24. §. 9. S. Pontificem indigne propter hanc doctrinam lacerat, inquiens: *Pessime, & perniciose Gregorius, dum vocationis tantum nostræ conscios esse nos tradit, electionis incertos; unde ad formidinem, & trepidationem omnes hortatur; hanc etiam rationem usurpans, quia etiamsi quales hodie simus, sciamus, quales tamen simus futuri, nescimus.* Hæc ejus reverentia erat erga sanctos Patres.

„ tudinem utique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur."

223. Ratio etiam ipsa manifeste nos docet, sine Dei revelatione non posse id cognosci, quod a Dei voluntate dependet; sed prædestinatio hominum, etiam in sententia adversariorum a libera Dei voluntate pendet, qui *cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*, adeoque &c. Deus autem hanc suam voluntatem non omnibus communiter manifestat, cum aliis de causis, tum præcipue ut nos humiles & sollicitos reddat (*a*).

224. Objiciunt primo Calviniani multa sacr. Scripturæ oracula, quibus certa fidelibus, & justis prædestinationis notitia tribuitur. Rom. enim VIII. 16. dicitur: *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, si autem filii, & hæredes*. Testimonium autem Spiritus S. falsum esse non potest. Ib. vers. 38. *Certus sum*, inquit Paulus, *quia neque mors, neque vita .... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei*. Item 1. Corinth. II. 12. *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis*; cum vero inter dona Dei maxime emineant perseverantia finalis, & vita æterna, & hæc quoque scire debemus per spiritum, qui ex Deo est.

225. Resp. Hæc, aliaque id genus Scripturarum oracula non esse intelligenda de certa prædestinationis notitia, sed de spe, atque fiducia, quam justi merito habent in Deo, qui dives est in misericordia, ut sicut in eis salutem operari incepit, ita perficiat. Et primus Apostoli locus nihil aliud significat, quam intimum illud testimonium propriæ conscientiæ, quo non quidem omnino certe, satis tamen probabiliter conjiciunt, se esse filios Dei, propter gratiam sanctificantem, unde certam spem concipiunt æternæ hæreditatis filiis Dei præparatæ. Non possunt autem ejusdem hæreditatis certam fidem habere, quia illius consecutio innititur conditioni incertæ de perseverantia finali. Quamobrem ibidem Apostolus subdit: *Cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur*. Sic etiam intelligitur illud *pignus hæreditatis nostræ*, quod idem Apostolus memorat Ephes. I. 14., nempe non *absolute*, sed sub incerta conditione perseverantiæ.

226. Alia verba ejusdem Pauli: „ certus sum „ &c. ita explicat Angelicus. *Lect. XII.* quod „ *Apostolus non loquatur* singulariter de seipso, „ sed in persona omnium prædestinatorum, de „ quibus propter certitudinem prædestinationis annunciat, quod nihil eos a caritate possit separare. Si autem, *subdit Angelicus*, hoc dicit de se ipso, de hoc certus esse non poterat, nisi forte per revelationem, quia dictum est ei: sufficit tibi gratia mea 2. Corinth. XII. nam quantum ad possibilitatem liberi arbitrii, ipse alibi dicit 1. Corinth. VI. ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar."

227. Locus autem ex cap. II. epist. 1. ad Cor. perspicuus omnino est, si cum antecedentibus, & consequentibus conferatur; loquitur enim de mysteriis Christianæ religionis, quæ non cognoscuntur per spiritum hujus mundi, sed tantummodo per spiritum Dei, a quo hæc donata sunt nobis; unde totus contextus hic est: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis; quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus &c.* ubi manifestum est, de mysteriis Christi, nullatenus autem de ipsius gratiæ donis, sermonem ibi esse, ac multo minus de æterna electione ad gloriam.

228. Obj. secundo nonnulla verba S. Joannis ex ipsius prima epistola; nam Cap. III. 14. inquit: *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*. Cap. VI. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*. Et clarius Cap. V. 13. *Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei*.

229. Resp. has omnes locutiones, quibus S. Joannes sæpe utitur, solum indicare firmam illam spem, quem habent, & habere debent omnes, qui credunt in Christum, se consecuturos vitam æternam ipsis promissam; *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Marci XVI. 16. Cum tamen salus fidelibus baptizatis promissa suspendatur a conditione incerta bonorum operum, & finalis perseverantiæ, nemo potest citra divinam revelationem de ea certus esse.

230. Dices: S. Joannes in laud. Cap. V. subdit. *& hæc est fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus, quia audit nos quidquid petierimus: scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo*. Quo in loco repetit ea, quæ superius dixerat Cap. III. 21.; & quæ passim in novo testam. a Christo nobis promissa inveniuntur, scilicet nos ea certo impetraturos, quæ in nomine ejus petiverimus. Jam vero

(*a*) Non possum hos loco omittere, quæ habet Thomas a Kempis *de Imit. Christi* Lib. 1. cap. 25. „ Cum quidam anxius inter metum, & spem frequenter fluctuaret, & quadam vice mœrore confectus in Ecclesia ante quoddam altare se in oratione prostravisset, hæc intra se revolvit dicens: *O si scirem, quod adhuc perseveraturus essem!* statimque audivit divinum intus responsum: *Quod si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus eris*. Moxque consolatus, & confortatus divinæ se commisit voluntati, & cessavit anxia fluctuatio."

ro quis potest esse omnino certus, se Deum suppliciter orare pro obtinenda perseverantia finali; ergo etiam certus esse potest ex divinis promissionibus se eamdem obtenturum, adeoque & vitam æternam, quæ cum illa connexa est.

231. Resp. Hoc ergamentum, cui maxime inhærent adversarii, in duobus deficere. Deficit primo, quia nemo omnino certus esse potest, se orare, prout oportet, dicente Apostolo ad Rom. VIII. 26. *quid oremus*, *sicut oportet*, *nescimus*. Deficit secundo; quia certi etiam esse non possumus, nos in oratione jugiter perseveraturos; quod tamen requiritur, ut oratio nostra in impetrando sit efficax, dicente Christo Lucæ XVIII. 1. *oportet semper orare*, *& non deficere*. De his fiduciam, & spem in Jesu Christo habere possumus, & debemus, quæ sufficit ad nostram consolationem; certitudinem autem omnimodam non habemus, quæ neque necessaria est, neque semper esset utilis.

232. Et hac doctrina non solum quædam alia sacræ Scripturæ testimonia, sed plurimæ etiam Sanct. Patrum sententiæ inter se conciliantur. Frequenter enim fideles excitare solent ad spem vivam, certamque fiduciam æternæ remunerationis, ut ita eos fervidiores reddant in operibus bonis; ita tamen ut ab eis non auferant timorem, qui omnino necessarius est ad præsumptionem vitandam. Audiatur nomine omnium S. Bernardus, qui Serm. II. in octav. Paschæ Tom. III. ita de electis loquitur: „ Quænam eis esse poterat consolatio inter spem, & metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererentur? . . . Quod si, *ut certum est*, *certitudo nobis omnino negatur*, numquid non tanto delectabiliore erunt, si qua forte electionis hujus signa possimus invenire “? Pergit deinde S. Pater, varia enumerans prædestinationis nostræ signa, atque in fine ita colligit; „ Jam, ut breviter repetam, a sanguine, aqua, & spiritu habere est testimonium, *si continens es a peccatis*, *si dignos agis pœnitentiæ fructus*, *si facis opera vitæ* “. En tota certitudo, quam in hac vita, seposita Dei revelatione, de æterna nostra sorte habere possumus.

233. Quæres, an reipsa Deus aliquibus suam prædestinationem revelaverit?

Resp. Affirm. Nam certum id videtur de S. Petro, propter illa ejusdem verba in secunda ep. I. 14. *Certus sum*, *quod velox est depositio tabernaculi mei*, *secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi*. Similiter id pro certo multi interpretes habent de S. Paulo, præcipue propter id, quod dicit 2. ad Timoth. VI. 6. *Ego enim jam delibor & tempus resolutionis meæ instat* . . . . *reposita est mihi corona justitiæ &c.* quod expendens S. Augustinus Serm. 299. n. 3. Tom. V. inquit: *confirmatum illi erat revelatione; non enim hoc sibi humana infirmitas promittere auderet*. Vid. etiam Lib. II. *de peccat. mer. & remiss.* c. 16. Tom. X. Magis aperta est revelatio suæ prædestinationis facta latroni Lucæ XXIII. & S. Stephano, cum lapidaretur Act. VII. Hoc singulare beneficium collatum creditur nonnullis aliis eximiæ sanctitatis viris, & sine dubio Beatissimæ Mariæ Virgini, cui majora præ omnibus Sanctis fuere gratiarum dona collata. (a).

CAPUT VII.

Quid, & quotuplex sit reprobatio?

234. Reprobatio ex vi nominis est *personæ indignæ rejectio*. Nunc autem hoc nomen de iis usurpatur, qui sunt ab æterna gloria rejecti. Aliquos vero ex inscrutabili divinorum judiciorum abysso esse e gloria æterna rejectos, dogma fidei est, in sacris litteris manifeste revelatum, & sæpe repetitum. In iis enim reprobi appellantur *odio habiti*, *vasa in contumeliam*, *vasa iræ apta in interitum*. Rom. IX. 13. 21. 22.; *hædi* etiam, prout distinguuntur ab *ovibus* Matth. XXV. 33.; ac denique *maledicti* ibid. 41. (b).

235. Idipsum probat Angelicus Doctor I. P. quæst. 23. art. 3. hac ratione. „ Dictum est supra (art. 1.), quod prædestinatio est pars providentiæ. Ad providentiam autem pertinet permittere aliquem defectum in rebus, quæ providentiæ subduntur, ut supra dictum est (quæst. 22. art. 2.). Unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur,

„ per-

(a) Hanc singularem gratiam fuisse etiam sancto Patriarchæ Dominico concessam aperte dicitur in Lect. I. Octavæ diei Festi. „ Imminentem transitum divina revelatione cognovit; oranti enim, & amore divinorum ardentius æstuanti adstitit pulcherrimus juvenis, humana specie major, his enim verbis allocutus: *Veni dilecte*, *& in vera gaudia ingredere*. “ Hinc est, quod paulo post filios suos collacrymantes ita consolari potuit: „ Nolite plorare, filii carissimi, nec vos mea corporalis turbet discessio: *in loco*, *ad quem vado*, *utilior vobis ero*, *quam hic fuerim*, *& post mortem advocatum me potiorem habebitis*, *quam in hac vita me habere possitis*. “ Quam fau-stam S. Patris promissionem filiali fiducia quasi in ejus memoriam revocantes eidem devoto animi affectu dicere solemus: *Imple*, *Pater*, *quod dixisti*, *nos tuis juvans precibus*. In Respons. Vid. Vita S. P. scripta a P. A. Touroo Lib. III. cap. 9. & 10.

(b) Usus apud Scholasticos, aliosque nescio quomodo obtinuit, ut reprobi appellentur *præsciti*, quo tamen nomine in sacris litteris vocantur electi, ut Rom. VIII. 29. *Quos præscivit*, *& prædestinavit*; & XI. 2. *Non repulit Deus plebem*, *quam præscivit*. Fortasse id inde est ortum, quod Deus reproborum peccata præsciat tantum, non vero prædestinet.

„ pertinet etiam ad divinam providentiam, ut „ permittat, aliquos ab isto fine deficere, & hoc „ dicitur reprobare “.

236. Post autem ita prosequitur, magis aperiens, quid sit reprobatio. „ Sic igitur sicut prædestinatio est pars providentiæ respectu eorum „ qui divinitus ordinantur in æternam salutem, „ ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Unde reprobatio non nominat præscientiam tantum, sed „ aliquid addit secundum rationem, sicuti & providentia. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita „ *reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* “

237. Ex hac Angelici doctrina facile est reprobationem ita cum Thoma de Lemos c. 3. *de reprobat.* n. 37. definire, quod sit *ratio ordinis aliquorum in mente divina præexistens, ut a fine vitæ æternæ secludantur*. Ita scilicet definitio reprobationis ex opposito respondet definitioni prædestinationis (supr. n. 8.). Ut autem id recte intelligatur, tres Dei reprobantis actus pro nostro modulo distinguendi sunt, scilicet primo actus, quo Deus vult permittere peccatum; secundo actus, quo vult hominem in peccato deserere; tertio actus, quo vult hominem in peccato mortuum æterna pœna punire. Ratio ergo hujus ordinis in mente divina ab æterno existens, dicitur reprobatio. Hæc autem tria, prout in tempore fiunt, scilicet permissio peccati, derelictio, atque æterna punitio, dicuntur ipsius reprobationis effectus. Et quamvis S. Thomas loco mox laud. mentionem non faciat, nisi permissionis peccati, & punitionis, in permissione tamen peccati manifeste includitur etiam derelictio in eodem peccato, quam consequitur æterna damnatio; unde majoris claritatis gratia triplex reprobationis effectus distingui solet, sicuti etiam tres distinguuntur effectus prædestinationis, scilicet gratiæ collatio, perseverantia in ipsa gratia usque ad mortem, & glorificatio.

238. Et hæc intelliguntur de reprobatione adæquate sumpta, quæ simul comprehendit exclusionem a gloria, & damnationem ad pœnam. Sed si hæc duo sejungentur, tunc duplex reprobationis species exsurgit, quarum altera solam dicit exclusionem a gloria: vel ut aliis placet, solam voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa a gloria excidant, & hæc reprobatio *negativa* nuncupatur; altera vero *positiva* dicitur, & significat simul exclusionem a gloria, & inflictionem æterni supplicii.

239. Dubitatum aliquando fuit, an reprobatio *positiva* potuerit appellari *prædestinatio ad pœnam*. Et controversia fortasse tota fuit de verbis; quamvis enim hæc reprobationis appellatio totidem litteris in Scriptura Sacra non inveniatur, invenitur tamen quam sæpissime a Sanctis Patribus usurpata; & præcipue a S. Augustino, qui Lib. IV. *de Anima, & ejus orig.* cap. 11. Deum dicit iis, *quos prædestinavit ad vitam æternam, misericordissimum esse gratiæ largitorem, qui est & illis, quos prædestinavit ad æternam mortem, justissimus supplicii retributor* (a).

240. Nos prius agemus de reprobatione *positiva*, quia hæc pertinet, non ad opiniones Theologorum, sed ad certissimum fidei dogma, & refellere debemus horrendas Jo. Calvini, & quorumdam ipsius asseclarum blasphemias; postea autem de reprobatione *negativa*, de cujus causis Scholæ Catholicæ, imo unius ejusdemque Scholæ discipuli, salvo fidei & caritatis vinculo inter se disputant.

CAPUT VIII.

De causa reprobationis positiva.

241. Quod Pelagiani Augustinianæ doctrinæ detestabili calumnia objiciebant (apud S. Prosperum in resp. 3. *ad object. Vincent.*), Deum scilicet *majorem partem generis humani ad hoc creasse, ut illam perdat in æternum*. Prædestinatiani postea adoptarunt, ac præcipue Calvinus, qui ut gratuita est electorum prædestinatio ad gloriam, ita ab uno divinæ voluntatis beneplacito, sine ulla peccatorum prævisione perdere voluit reproborum prædestinationem ad æterna supplicia; unde postea explicans, quo pacto Deus fatale illud æternæ reprobationis decretum exequatur, his verbis utitur Lib. III. *Institut.* c. 24. n. 12.: *Quos in vitæ contumeliam, & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, & severitatis exempla, eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obstupefacit.* Blasphemat scilicet, Deum adeo sævum, & crudelem esse, ut primo magnam hominum partem ideo creaverit, ut eam pœnis exeru-

(a) Seculo IX. cum infelix Monachus Gotteschalcus geminam prædicaret prædestinationem, *ad vitam* scilicet, & *ad mortem*, Rabanus Moguntinus Archiepiscopus, & Hincmarus Episcopus Remensis, ambo viri doctissimi, eumdem etiam hac de causa condemnarunt; nam aliæ erant multo graviores contra eum accusationes. Verumtamen posse, & debere reprobationem *positivam* appellari *prædestinationem ad æternam mortem*, multi, & celebres ea ætate Patres, præcipue autem Sancti Prudentius Episcopus Trecensis, Amolo Episcopus Lugdunensis, ejusque successor Remigius, prædestinationem quorumdam ad mortem invicte defenderunt. Eorum autem doctrina in duobus Conciliis Valentino III. & Lingonensi confirmata fuit his verbis: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Sed de causa Gotteschalchi uberius suo loco in Tract. *de Gratia*, ubi de Prædestinat.

cruciaret æternis; post autem eosdem ad mala perpetranda adigat, ut has æternas pœnas sibi promeruisse videantur. Neque vero ei fidendum est, cum quibusdam in locis, impiæ hujus doctrinæ quasi horrore perculsus, eam ita emollire studuit, ut a communi Theologorum sententia alienus non videatur (*a*).

242. Suppuduit tandem vel ipsos Calvini discipulos tam execrabilis magistri sui blasphemiæ, ab eaque etiam discessum est, ut inter Calvinistas modo vel nulli, vel admodum pauci eidem adhæreant, dicti *Supralapsarii*, quia reprobationem hominum positivam ante prævisum eorumdem lapsum a sola Dei voluntate repetunt. Certissimum hac de re argumentum nobis suppeditat Synodus Dordracena celebrata anno 1618., ad quam tota Calvinistarum factio ex omnibus fermepatribus convenit. Synodus autem in duas partes scissa est, scilicet Arminianorum, & Gomaristarum. Primi duce Jac. Arminio non solum a Calvini duritie omnino recesserunt, sed plane ad Pelagianismum inclinarunt (*b*). Alii vero, qui cum Franc. Gomaro in Synodo plenam de Arminianis victoriam reportarunt, ad sanam Thomistarum de prædestinatione, & reprobatione doctrinam descenderunt; paucis rigido Calvinismo adhærentibus (c). Contra quos sit

PROPOSITIO.

Deus absoluto decreto homines non prædestinavit ad æternam damnationem ante prævisionem peccatorum.

243. Prob. primo ex sacris litteris, quæ ubique Dei justitiam commendant, ut proinde pœnam nec infligere, nec decernere possit, nisi propter peccata. Sap. XII. 15. dicitur Deo: *Cum sis justus, juste omnia disponis. Ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare exterum æstimas*

(*a*) Quanquam Calvinus perpetuo doceat, nos a Deo excitari, moveri ad bonum, atque etiam cogi ad peccandum, non vult tamen, Deum esse peccati auctorem. Unde sæpius conqueritur, *turpi & illiberali calumnia se gravari*, quod Deum faceret peccati auctorem: & in libro *de æterna Dei prædestinatione*, *etiamsi*, inquit, *rerum omnium prima causa sit Dei voluntas, peccati tamen eum esse auctorem nego*. Ita quoque protestati sunt Zuinglius, & utriusque discipulus Theod. Beza. Sed facile fuit nostris inane, & joculare ipsorum effugium præcludere. Vid. Cardin. Bellarminus Tomo IV. *Controv.* Lib. II. *de statu peccati* cap. 3. & seq. & Dion. Patavius Lib. X. *de Deo* cap. & seq.

Id ipsum ante Calvinum Lutherus docuerat in Lib. *de servo arbitrio*; „ nempe æternum, & immutabilem „ esse amorem, æternum odium Dei erga homines, „ antequam mundus fieret, non solum ante meritum, „ & opus liberi arbitrii, omniaque in nobis necessa„ rio fieri, secundum quod ille vel amet, vel odit ab „ æterno; ut non solum amor Dei, sed etiam modus „ amandi necessitatem nobis inferat. “ Ex hoc principio impias atque execrabiles consecutiones deduci, non ignoravit, neque dissimulavit Lutherus, in sua mente exponenda liberior, quam ceteri; unde aperte confessus est, *Deum operari vitam, & mortem, homines facere necessario damnabiles, operari mala in nobis*, atque *in nobis punire sua mala opera*. Ac demum ita concludit: *Hoc iniquum, hoc crudele, hoc intolerabile visum est de Deo sentire, quo offensi sunt etiam tot & sancti viri. Et quis non offenderetur? Ego ipse non semel offensus sum usque ad profundum & abyssum desperationis, ut optarem, nunquam me creatum esse hominem, antequam scirem, quam salutaris illa esset desperatio, & quam gratiæ propinqua*. Melanchton etiam magistri sui vestigia premens, in *Annot. ad Ep. Roman.* eo amentiæ progressus est, ut diceret, æque proprium Dei opus esse Judæ proditionem, & vocationem Pauli. Sed primo disputationis æstu defervescente Lutherus, ut in aliis multis, sic in hoc doctrinæ capite ita a Prædestinatianorum duritie recessit, ut potius ad Pelagianorum laxitatem accedere videretur. Confer. Bossuet *Hist. des variat.* L. III. c. 19.

(*b*) Ita enim Arminiani doctrinam suam exposuerunt: „ Deus ordinavit, ut Christus sit propitiatio pro totius „ mundi peccatis, & vi istius decreti statuit credentes in ipsum justificare, & salvare, hominibusque „ media ad fidem necessaria, & sufficientia administrare ... Nec a vita æterna, nec a mediis ad eam „ sufficientibus ullus rejectus est absoluto aliquo antecedente decreto ... Electio singularium personarum peremptoria est ex consideratione fidei in Jesum Christum, & perseverantiæ ..., *reprobatio a vita æterna „ facta est secundum considerationem antecedentis infidelitatis, & perseverantiæ in infidelitate.* “ Ita in celebri scripto, quod eidem Synodo Arminiani obtulerunt.

(*c*) Gomaristæ vi & potentia fortiores hoc, & alia Arminiana dogmata condemnarunt; ac de prædestinatione & reprobatione hæc statuerunt. „ Scriptura te„ statur, non omnes homines esse electos, sed quos„ dam non electos fieri, sive in æterna Dei electione „ præteritos: quos scilicet Deus ex liberrimo, justis„ simo, incomprehensibili, & immutabili beneplacito „ decrevit, in communi miseria, in quam se sua cul„ pa præcipitarunt, relinquere, nec salvifica fide, & „ conversionis gratia donare, sed in viis suis, & sub „ justo judicio relictos tandem, non tantum propter „ infidelitatem, sed etiam propter cetera omnia pec„ cata, ad declarationem justitiæ suæ damnare, & æ„ ternum punire. Atque hoc est decretum reprobatio„ nis, quod Deum neutiquam peccati auctorem (quod „ cogitatu blasphemum est) sed justum judicem, ac „ vindicem constituit. “ Jamvero tam in hoc capite, quam in aliis ad materiam gratiæ spectantibus Gomaristas sanam omnino doctrinam amplexos fuisse, præter eorum scripta, testantur etiam viri omni exceptione majores; ut Card. Richelius Lib. *de liber. arbitrio*, Bossuetus cap. 7. *Exposit. fidei Cathol.* & in *Histor. variat.* Libro VIII., celebres Fratres de Wallemburch Tomo II. *Controv.* Tract. 1. cap. 57., & 60., & alii laudati apud P. Hyac. Serry in *Hist. Congregat. de Auxiliis* Lib. III. cap. 46., ubi etiam non infacetam historiolam narrat Davidis Paræi cum P. Martino Becano, quam ipse P. Becanus retulit Tomo I. *Summæ theol.* cap. 16.

mas a tua virtute. Insuper a Deo neminem odio haberi, nisi propter peccata, & neminem ab ipso esse creatum, ut odio haberetur, manifeste traditur in eodem Libro Sap. XI. 25. his verbis: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Nonnisi ergo peccata Deus odio habet, quæ ipse non fecit, & propter peccata tantummodo odio habere potest homines.

244. Sunt præterea alia Sacr. Scripturarum loca, quæ nobis ostendunt desiderium Dei, ut impii convertantur, & non pereant, ut Ezech. XVIII. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat?* Oseæ etiam XIII. 9. dicit Deus: *perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

245. Denique huc pertinent ea divina oracula, quibus declaratur, peccata nostra nullatenus posse in Deum, tanquam in causam refundi. Psalm. V. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Ecclesiastici XV. 21. *Nemini mandavit* (Deus) *impie agere, & nemini dedit spatium peccandi*; & Jacobi I. 13. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Hæc omnia sacrilegam Calvini hæresim aperte condemnant, qui vult, nos a Deo incitari, moveri, ac plane compelli ad malum.

246. Prob. 2. ex Conciliis, & primo Synodus Arausicana celebrata anno 529. quæ utpote ab universali Ecclesia recepta, infallibilem sibi vindicavit auctoritatem, can. 25. ita definivit: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos, non solum non credimus, sed etiam si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Præterea hanc ipsam definitionem confirmavit Synodus Tridentina Sess. VI. can. 17. his verbis: „Si quis „ justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad „ vitam æternam contigere dixerit, reliquos vero „ omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gra„ tiam non accipere, *utpote divina potestate præ„ destinatos ad malum*, anathema sit." Et can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, adeo ut sit proprium ipsius opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

247. Addi etiam possunt nonnulla Concilia Sec. IX. celebrata in causa Gotteschalchi, quæ quamvis viderentur in nonnullis inter se dissentire, in eo tamen unanimi sententia conveniebant, immanem, ac detestabile esse blasphemiam asserere, Deum impios, & iniquos ad ipsam impietatem, & iniquitatem prædestinasse. Unde Concilium Valentinum III. can. 2. ita definivit: *Non ex præjudicio Dei aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari; nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Canone autem 3. verba Concilii Arausicani adoptavit. Videri etiam potest S. Remigius in Lib. *de tribus epistolis*, ubi non tantum suo, sed nomine etiam suæ Ecclesiæ Lugdunensis totus est, ut cum S. Augustino geminam quidem prædestinationem ad vitam, & ad mortem statuat, non tamen ad culpam (a).

248. Prob. 3. ex S. Patribus, inter quos satis erit audire S. Augustinum una cum discipulis suis, præcipue cum Calvinus in hujus Sancti Patris auctoritate maximum suæ causæ præsidium posuerit, sed quam immerito, vel ex iis solis verbis patet, quæ habet Lib. III. *cont. Jul.* c. 18.: *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Et si non potest quemquam sine malis meritis damnare, pari ratione non poterit quemquam sine malis meritis ad damnationem prædestinare. Item Lib. V. c. 3. *Deus,* inquit, *nullum eligit dignum, sed eligendo efficit dignum, nullum tamen punit indignum*: ubi discrimen ponit inter prædestinationem, & reprobationem positivam, quod prima sit gratuita, quia a Dei misericordia oritur; altera autem ex prævisione peccatorum, quia est opus justitiæ. Ac demum in ep. 186. al. 106. ad Paulinum, cap. 6. *Hæc massa,* inquit, *si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.*

249. S. Augustino de more subscribit S. Prosper, qui etiam Semipelagianorum calumnias Magistri sui doctrinæ intentatas, quod docuisset, aliquos a Deo fuisse creatos ad interitum, omnino contudit in duobus libellis, quorum alter continet Respons. ad Capitula Gallorum, alter vero resp. ad object. Vincentianas; in quorum postremo objectioni 14.

Sic

(a) Legatur inter alia c. VIII. ubi postquam varia loca S. Augustini congessit, in quibus nominatur prædestinatio ad æternum supplicium, ita suos adversarios compellat: „ Ex his saltem libris cognoscant, quia „ hoc verbum *divinæ prædestinationis* in parte reproborum positum, quia verissime, & rectissime divino judicio prædestinati dicuntur, *non ad culpam utique, sed ad poenam, nec ad malum opus, quod ipsi volentes agunt, sed malum, quod in æternis suppliciis inviti patientur* ... Et si qui sunt, qui ex hoc scandalizari videantur, tanquam per istud prædestinationis verbum necessitas male agendi cuiquam imposita esse significetur, instruendi potius fuerant, & breviter, ac lucide, docendi, *quod Deus neminem prædestinaverit ad peccatum, sed ad luendum supplicium pro peccato.* "

sic respondet: *ad perpetrationem cujuscumque peccati nulla omnino est prædestinatio Dei. Nec fieri potest, ut per quem a talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur*.

250. Nemo autem fortasse copiosius blasphemum Calvini dogma refutavit, quam S. Fulgentius, tum in Lib. I. *ad Monimum*, tum etiam *de veritate prædest.*, *& gratiæ*, in quibus sæpius repetit, *non esse prædestinatos malos ad hoc, quod male operantur, sed ad hoc, quod juste patiuntur, prædestinatos ad pœnam, non ad culpam*.

251. Omnium demum S. Patrum doctrinam complexus est S. Thomas Lect. 2. in Cap. IX. epist. ad Roman., hoc discrimen afferens inter prædestinationem, & reprobationem. *Prædestinatio*, inquit, *importat præparationem meritorum, quibus pervenitur ad pœnam. Et ideo præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis, quia merita præscita cadunt sub prædestinatione. Sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis, inquantum scilicet Deus proponit, se puniturum malos propter peccata, quæ a seipsis habent, non a Deo*.

252. Objicit primo Calvinus, multa congerens Scripturæ sacræ loca utriusque Testamenti, quibus significari putat, infelices quosdam homines a Deo fuisse creatos in interitum. Primo enim Proverb. XVI. 4. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum;* & Sap. XIV. 11. Creaturæ dicuntur *factæ in odium Dei*. Secundo Ecclesiastis VII. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit*. Ita legit vulgatus noster interpres; sed Hebræus: *Quis poterit dirigere, quem Deus depravaverit?* LXX. autem ita verterunt: *quem Deus perverterit*. Tertio act. II. 23. ait S. Petrus de Christo: *Hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis*, & cap. IV. 27., & sequ. de Herode, Pilato, aliisque dicitur: *Convenerunt... facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri*, scilicet contra Jesum Christum. Imo Christus ipse Lucæ XXII. 22. de Juda proditore loquens dicebat: *Et quidem filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur*. Quibus omnibus manifeste innuitur, facinus omnium nefandissimum, scilicet Deicidium, impietate hominum patratum, fuisse a Deo definitum, & prædestinatum. His similia sunt verba Joseph dicentis fratribus suis Gen. XLV. 8.. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*. Demum celebris est locus S. Pauli Roman. IX., Deum instar figuli ex eadem generis humani massa alia vasa fingere *in honorem*, alia vero *in contumeliam*.

253. Resp. ad primum, hunc illorum verborum sensum esse, eos etiam, quos Deus prævidit impios futuros, factos esse ad Dei gloriam, quia in illis commendatur justitia Dei, æquas de eorum sceleribus pœnas reposcentis. Sapiens autem loquitur de idololatris, qui creaturas converterunt *in odium Dei*, sive ut Græcus textus habet, *εἰς βδέλυγμα in abominationem* Deo.

254. Ad secundum. Deus dicitur homines *depravare*, vel *pervertere* minus proprie, non impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, ac permittendo, ut in peccata labantur, de quibus frustra eos corripueris, nisi Deus agat in cordibus eorum, ut convertantur. Quanquam alii hunc textum aliter interpretantur, scilicet de stultis, claudis, aut cæcis, quos certe homo non potest corrigere; cui sensui consonat lectio, quam ex Symmacho affert S. Hieronymus: *Nemo potest corrigere, quod ille imminuit*.

255. Tertium ex Actis Apostol. a S. Augustino, aliisque Patribus, & interpretibus ita exponitur, ut nempe passio, & mors Christi Domini, quatenus erat satisfactio divinæ justitiæ, & humani generis redemptio, fuerit a Deo *positive* volita, & ab æterno prædestinata; quatenus vero immani Judæorum perfidia exequenda erat, non fuerit a Deo nisi permissa, & præcognita. Dubitari certe a nemine potest, passionem, & mortem Christi fuisse ex parte Dei maximum charitatis opus, ex parte vero Judæorum scelus omnium nefandissimum. Potuit ergo sub primo aspectu, & debuit a Deo prædefiniri, a quo omnia bona dimanant: non potuit autem prædefiniri sub alio aspectu, quia Deus bonus, neque est, neque esse potest malorum causa. *Eadem actio*, inquit S. Thomas 3. P. q. 47. art. 3., *diversimode judicatur in bono, vel in malo, secundum quod ex diversa radice procedit. Pater enim tradidit Christum, & ipse semetipsum ex caritate, & laudantur: Judas autem tradidit ipsum ex cupiditate, Judæi autem ex invidia, Pilatus ex timore mundano, quo timuit Cæsarem, & ideo ipsi vituperantur* (a).

256. Similiter etiam intelligenda sunt verba Joseph

(a) Pulchra sunt etiam hac ipsa de re hæc verba S. Augustini Tract. VIII. in Epist. S. Joannis T. III. n. 7. *Facta traditio* (Jesu Christi) *a Patre, facta est traditio a Filio, facta est traditio a Juda: una res facta est. Sed quæ res discernit Patrem tradentem Filium, seipsum Filium tradentem, & Judam discipulum tradentem magistrum suum? Quia hoc fecit Pater, & Filius in caritate: fecit autem hoc Judas in perditione. Videtis, quia non quid faciat homo, considerandum est: sed quo animo, & voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam. Patrem benedicimus, Judam detestamur &c.* Nec possumus omittere eloquentissimum S. Leonem, qui Serm. LXVII. alias 65. *de Pass. Domini* cap. 2. hæc ipsa Sa-

seph ad fratres suos, videlicet venditionem sui ab ipsis factam, quæ certe crudele crimen fuit, a Deo in bonum fuisse ordinatam; quod Joseph ipse postea clarius expressit Gen. L. 20. iisdem fratribus dicens: *vos cogitatis de me malum, sed Deus convertit illud in bonum*. Neque obest, quod ibidem dicit Joseph, *nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?* Neque enim hæc verba respiciunt venditionem Joseph quasi hæc facta fuerit ex irresistibili Dei voluntate, sed potius respiciunt ipsum Joseph, qui resistere non poterat Deo volenti, ut fratribus suis parceret; vel potius totius rei gestæ summam, non quatenus delictum fratrum continebat, sed quatenus a Deo omnia in bonum conversa erant.

257. Postremum de comparatione figuli nullum facesset negotium, si cum S. Augustino consideremus, Apostolum loqui de massa generis humani *corrupta*, *& vitiata* per peccatum; ex qua Deus pro infinita sua misericordia aliqua vasa facit *in honorem*, alia pro sua inscrutabili justitia *in contumeliam*, *apta in interitum*, ut proinde primi debeant misericordias Domini in æternum cantare, alii vero divinam justitiam laudare. „ Annon, inquit S. Pater Epist. 194. al. 105. ad „ Sixtum cap. 5., habet potestatem figulus luti „ ex eadem massa *utique merito*, *recteque damnata* facere aliud vas in honorem *indebitum*, „ propter misericordiæ gratiam, aliud in contu„ meliam *debitam*, propter iræ justitiam?" Et S. Thomas in Comment. bene advertit, locum querelæ esse posse, si artifex ex materia pretiosa faceret vasa vilia, non autem si ea faciat ex materia vili. *Humana autem natura vilitatem habet ex sui materia... sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati*.

258. Sed cavillatur Theod. Beza. Si ita est, eccur Apostolus non dixit, Deum in massa corrupta relinquere vasa iræ apta in interitum? Cur potius usus est verbo *facere*, nisi ut intelligamus, ipsum Deum vere, & proprie facere sua prædestinatione vasa iræ? Neque ulterius laborare debuisset Apostolus, ut justitiam Dei ab hominum querelis defenderet, recurrendo ad supremam ipsius voluntatem, qui *cujus vult*, *miseretur*, *& quem vult*, *indurat*; & ita hominum os obstruere, dicendo: o homo, *tu quis es*, *qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti* &c.; hæc enim omnia supervacanea sunt, si Apostolus credidisset, reprobationem hominum fieri ex massa jam peccato vitiata.

259. Resp. facile has subtiles cavillationes dilui; nam quantum ad primam, credendum minime est, reprobationem positam non esse, nisi simplicem, puramque derelictionem in massa perditionis, scilicet per solam negationem prædestinationis ad vitam; est enim verum, & positivum decretum, quo Deus aliquos destinat ad æternum supplicium, non quidem absolute, sed post prævisionem peccatorum, quibus ea pœna debetur. Recte propterea dicit Apostolus, Deum facere *vasa iræ*, *apta in interitum*; quatenus eosdem *positive* reprobat.

260. Altera etiam cavillatio facile diluitur observando cum S. Thoma in Comment., Apostolum non tam laborasse in vindicanda Dei justitia *absolute*, seu quantum ad reprobationem aliquorum in genere, sed solum in assignanda ratione, quare ex una, eademque massa damnata isti liberentur potius, quam illi; quare ex duobus geminis, *cum nondum nati fuissent*, *aut aliquid boni egissent*, *aut mali*, *Jacob dilexerit*, *Esau autem odio habuerit?* Cujus discriminis ratio nulla alia est, nisi divina voluntas; sicut nulla alia ratio est, nisi voluntas figuli, ut ejusdem luteæ massæ hæc pars fiat vas in honorem, alia vas in contumeliam.

261. Neque etiam nos moveat vox *odii* a S. Paulo adhibita ad significandam reprobationem Esau, antequam quidquam mali egisset; interprete enim S. Augustino, Deus Esau odio habebat propter peccatum originis. *Quid oderat*, inquit S. Pater epist. 194., *in Esau*, *antequam quidquam faceret mali*, *nisi originale peccatum?*

262. Ob. secundo. Sæpe sacræ litteræ loquuntur de excæcatione mentis, & obduratione cordis, qua Deus peccatores punit. Id de Pharaone dictum invenimus Exodi VII., & seq.; id de Judæis Isaiæ VI., & LXIII., id demum de aliis Joan. XII., Act. ult., & Roman. IX., ac XI. ut nihil frequentius occurrat, quam Deum excæcare hominum mentes, vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda.

263. Resp. cum S. Thoma 1. 2. q. 79. art. 5., *excæcationem*, *& obdurationem*, *duo importare*, *quorum unum est motus animi humani inhærentis malo*, *& aversi a divino lumine; & quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis*, *& obdurationis*, *sicut non est causa peccati; aliud autem est subtractio gratiæ*, *ex qua sequitur*, *quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum*, *& cor hominis non emolliatur ad recte vivendum; & quan-*

cræ script. loca perpendens ait: *Numquid iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio, & illud facinus, quod omni majus est crimine, manus divinæ proditionis armavit? Non hoc plane de summa justitia sentiendum est; quia multum diversum, multumque contrarium est id, quod in Christi est passione disposi-* *tum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno exiit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Impias furentium manus non immisit in se Dominus, sed admisit, nec præsciendo quod faciendum esset, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem suscepisset, ut fieret.*

quantum ad hoc Deus est causa excæcationis, *& obdurationis* (a). Hoc sæpius tradit S. Augustinus, præcipue in celebri Epist. 194. ad Sixtum, & Tract. LII. in Jon. Tom. III., ubi inquit: *sic excæcat Deus*, *sic obdurat deserendo*, *non adjuvando*, *quod occulto judicio facere potest*, *iniquo non potest*.

264. Notanda hac in re est etiam alia ejusdem S. Patris doctrina Lib. V. *cont. Jul.* cap. 3., ubi de cæcitate mentis, quæ semper conjuncta est cum obduratione cordis, *cæcitas cordis*, inquit, *quam solus removet illuminator Deus*, *& peccatum est*, *quo in Deum non creditur*, *& pœna peccati qua cor superbum digna animadversione punitur*, *& causa peccati*, *cum aliquid mali cœci cordis errore committitur*. Prout igitur cæcitas est peccatum, aut peccati causa, certe non est a Deo: bene vero, prout est peccati pœna, quod ibidem S. Doctor multis exemplis ex sacra Scriptura petitis copiose confirmat, ut proinde dicere tuto possimus, excæcationem, & indurationem reproborum, quatenus culpa est, a Deo esse *deserente*, & *permittente*; quatenus vero est præcedentium culparum pœna, esse *positive* a Deo *puniente*. Atque hoc modo S. Augustinus explicat loca objecta, & multa alia similia, quæ objici possunt (b).

265. Dices: In multis aliis sacræ Scripturæ locis dicitur Deus *suscitare* homines, vel *convertere eorum corda*, ad aliquod malum faciendum. Ita 2. Paralip. XXI. 16., & Psalm. CIV. 25. Alibi autem adhuc expressius dicitur Deus *tradere homines in desideria cordis eorum*, *in ignominiam*, *in reprobum sensum* Roman. I. 24. 26. 28.; tum etiam mittere *operationem erroris* 2. Thess. II. 11. Quod autem Deus suscitet, convertat, tradat homines ad peccandum, non aliunde, quam ex efficaci eorumdem prædestinatione ad interitum, descendere potest, adeoque &c.

266. Resp. hæc, aliaque id genus testimonia non solum ex Scriptura sacra, sed etiam ex quibusdam S. Patribus deprompta explicanda esse eodem modo de subtractione gratiæ, non autem de immissione malitiæ. Atque ad id clarius intelligendum, admodum opportuna est doctrina S. Thomæ laud. q. 79. art. 1., ubi probat, Deum nullatenus esse causam peccati. „ Deus non potest esse directe causa peccati vel sui, vel alterius, quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem. Deus autem omnia inclinat, & convertit in seipsum, sicut in ultimum finem; unde impossibile est, quod sit sibi, vel aliis causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum: unde non potest directe esse causa peccati. Similiter etiam neque indirecte. Contingit enim quod Deus aliquibus non præbeat auxilium ad evitandum peccata, quod si præberet, non peccarent. Sed hoc totum facit secundum ordinem suæ sapientiæ, & justitiæ, cum ipse sit sapientia, & justitia: unde non imputatur ei, quod alius peccet, sicut causæ peccati; sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc, quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem, potens, & debens gubernare ". Hac posita doctrina Angelicus explicat objecta verba S. Pauli: *tradidit eos Deus in reprobum sensum*; *inquantum non prohibet eos quin suum sensum reprobum sequantur*, *sicut dicimur exponere illos*, *quos non tuemur*. Explicat pariter eodem modo similia verba S. Augustini: *Deus inclinat voluntates hominum in bonum*, *& malum*, ut nempe significent, quod Deus *in bonum quidem directe inclinet voluntatem*; *in malum autem*, *inquantum non prohibet*. *Et tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati*. Id ipsum eleganter, & copiose explicatum invenietur a Melchiore Cano Lib. II. *de locis theol.* cap. 4. in resp. ad 7., ubi tamen vult, nonnihil addendum esse *permissioni*, *quod nec actio proprie sit*, *nec sola permissio* (c).

267. Inst. II. S. de infidelibus inquit: *Qui offen-*

(a) Hanc doctrinam tradit Angelicus etiam Lib. III. *cont. gent.* c. 162. ubi hæc addit: *Hoc autem auxilium* (quod Deus iis, quos vult indurare, non confert) *est non solum infusio gratiæ*, *sed etiam exterior custodia*, *per quam occasiones peccandi homini ex divina providentia tolluntur*, *& provocantia ad peccatum comprimuntur*. *Adjuvat etiam Deus hominem contra peccatum per naturale lumen rationis*, *& alia naturalia bona*, *quæ homini confert*. *Quum ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit pro merito suæ actionis*, *secundum quod ejus justitia exigit*, *dicitur eos obdurare*, *vel excæcare*.

(b) Ex his patet, quam procul Calvinus a doctrina S. Augustini sit alienus, dum Lib. I. *Instit. Christ. Relig.* cap. 18., a Scholasticis repertam esse dicit distinctionem inter *agere*, & *permittere*; quam distinctionem vocat ibidem *tergiversationem*, *effugium*, *figmentum*, *nugas*, *inertias*, *frivolam solutionem &c.* Quid enim est aliud *subtractio gratiæ*, quam *permissio peccati*? Quod si Calvinus desideret alia loca S. Augustini, in quibus expressius nominet *permissionem puram*, *& simplicem peccati*, quam tantopere contemnit, ut Scholasticorum commentum, præsto sunt illa verba S. Doctoris in *Enchiridio* cap. 95. Tom. VI. „ Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam *sinendo* fieri quæcumque fiunt male; non enim nisi justo judicio *sinit &c.*; & Lib. V. *cont. Jul.* cap. 4. de malis loquens, *quam innumerabilia*, inquit, *Deus permittit fieri*, *quæ utique si noluisset*, *nulla ratione permitteret*. " Omittimus alia loca, utpote minime necessaria.

(c) Aliam etiam Angelicus suppeditat horum testimoniorum explicationem, quam nos omittendam duximus, ne novis, & subtilioribus difficultatibus implicemur. Videlicet in cit. q. art. 2. probat, actum peccati, quatenus est ens, & actus, esse a Deo, quamvis a Deo non sit, prout est defectus. *Peccatum*, inquit, *nominat ens*, *& actionem cum quodam defectu*. *Defe-*

fendunt verbo, nec credant; in quo & positi sunt. Beza autem ostendit, legendum esse: *in quod & positi sunt:* ut sensus sit, eos positos, seu destinatos esse, ut offendant verbo, nec credant.

268. Resp. varias esse hujus loci interpretationes. Primo Vatablus, Cajetanus, & alii putant, *in quo* intelligi Christum, quem comm. 6. Petrus vocaverat *lapidem summum angularem, in quo* omnes positi sunt, si tamen ejus verbo velint credere. Si vero legamus *in quod*, dicendum est, infideles esse positos, vel destitutos sua malitia, & non a Deo, ut non credant. Vel si a Deo ad id destinati dicuntur, intelligi debent excæcati, & indurati per subtractionem gratiæ, non per malitiæ infusionem. Quæ interpretatio est communior.

269. Ob. tertio. S. Augustinus *de gratia, & lib. arb.* cap. 21. ex his, aliisque paribus Scripturarum locis ita colligit. „ His, & talibus testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia „ commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, *operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit*, sive ad bona „ pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis „ eorum. "

270. Resp. S. Thomas hæc magistri sui Augustini verba explicat, „ quod Deus dicatur operari „ in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates sive ad bona, sive ad mala: aliter tamen ad bona, aliter ad mala; nam ad bona „ inclinat hominum voluntates *directe*, & *per se*. „ tanquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines *occasionaliter*, inquantum scilicet Deus homini aliquid proponit vel interius, vel exterius, quod „ quantum est de se, est inductivum ad bonum, „ sed homo propter suam malitiam perverse utitur ad malum „. Hæc habet Angelicus Lect. 3. in c. IX. Epist. ad Rom. En qualis sit, interprete Angelico, tam Scripturarum, quam Augustini sensus. Imo ipse Augustinus eodem loco nobis objecto, postquam iterum dixisset, *Deum operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum*, subdit: *Quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem* (a).

271. Inst. Idem S. Pater *de corrept. grat.* c. 7. dicit, *Judam electum fuisse ad opus, cui congruebat, scilicet ad proditionem*.

272. Resp. non esse mentem S. Doctoris, quod Judas electus fuerit ad detestabilis proditionis malitiam, nam illico subdit: *ab illo electus est, qui novit bene uti etiam de malis, ut per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur*.

273. Ob. 3. In doctrina Thomistarum Deus physice præmovet homines ad actum, & entitatem peccati, cum quo malitia inseparabiliter conjuncta est: eccur ergo dici cum Calvino non poterit, Deum absoluta sua voluntate aliquos ad æternam damnationem prædestinasse; deinde vero eosdem ad illa opera prædeterminare, quorum entitas cum ma-

ctus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, inquantum deficit ab ordine primi agentis scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium; sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam, sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundum hac Deus est causa actus peccati; non tamen est causa peccati, quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu. Atque de hac doctrina erat Angelicus ita certus, ut in II. *Sent.* dist. 37. q. 2. art. 2. non dubitaverit affirmare, contrariam esse *propinquissimam errori duplici*, scilicet quod sint *plura prima principia*, & quod *aliquid ens essentiam habens non sit a Deo*. Neque hæc doctrina nova est; ut enim de aliis taceam, invenitur apud S. Anselmum in Dial. *de lapsis Diaboli* cap. 8., ubi inquit: *Inquantum voluntas, & conversia est, aliquid bonum est* (adeoque Dei effectus); *inquantum vera justitia, seu rectitudine caret, aliquid malum est, & quod malum est, non Dei, sed volentis est creaturæ*.

(a) Thomistæ ex his, aliisque tum Scripturæ sacræ, tum etiam magistrorum suorum Augustini, & Thomæ locis, maxima saltem cum probabilitate, ne dicam cum omnimoda certitudine, colligunt, Deum voluntates hominum non minus ad malas, quam ad bonas actiones physice præmovere, sensu tamen in supernota ex Sanct. Thoma explicato. Sane illa Sanct. Augustini phrasis: *operari Deum in cordibus hominum &c.* operationem per se, & natura sua efficacem significat. Utinam non est gravem hanc controversiam modo agitandi, de qua infiniti propemodum scriptores ex Schola Thomistica copiose disputarunt. Præ ceteris Sanct. Augustini loca huc spectantia collegit, & illustravit P. Antoninus Reginaldus *de mente Conc. Trid. circa gratiam efficacem* P. II. cap. 26., ubi demonstrandum assumpsit, nullum omnino esse argumentum, ex quo secundum mentem S. Augustini, & in ejus doctrina legitime colligatur gratia per seipsam efficax, quin ex eodem etiam capite colligi debeat, præmotionem, ac prædeterminationem physicam ad omnes omnium causarum operationes esse necessariam. Alii vero, qui a physica præmotione abhorrent, in Augustini mente explicanda non parum laborant, & Deum dicunt inclinare hominum voluntates ad malum, vel quod objecta quædam disponat, menti que ita offerat, ut voluntas tandem moveatur ad malum, (ita Valentia apud Bossuetum *Defense de la tradition* Lib. XI. cap. 12.); vel quia voluntatem jam determinatam *ad malum in genere*, ad hoc potius, quam ad aliud individuum objectum applicat, juxta suæ sapientiæ, & justitiæ ordinem, quæ est sententia Suarezii apud eumdem Bossuetum: quæ duæ sententiæ non levibus premuntur difficultatibus. Unde alii potius nihil affirmare audent, illud usurpantes S. Aug. Lib. V. *Cont. Jul.* c. 4. *Facit hoc* (Deus) *miris, & ineffabilibus modis, qui novit juxta judicia sua, non solum in corporibus hominum, sed etiam in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, &c.:* quasi vero id non debeat etiam dici, posita physica præmotione ad entitatem, seu *materiale* peccati. Vid. Boursier *de l'action de Dieu sur les Creatures* Sect. VI. P. 3. cap. 1.

malitia connexa est, & quibus homines æternum supplicium demerentur? Eo plane modo, quo dicitur, Deum aliquos gratuita sua voluntate prædestinasse ad gloriam, deinde eos ad illa opera excitare, & movere, quæ secum ejusdem gloriæ meritum in executione afferunt.

274. Resp. id dici nullatenus posse, quia Deus nullo modo homines ad peccati malitiam, ac deformitatem movet, aut determinat, aut eam operatur in cordibus eorum. Quamobrem non potest ipsis supplicium prædestinare, nisi prius mala eorum merita prævideat. Hinc patet discrimen inter prædestinationem, & reprobationem. Prædestinatio est gratuita, quia Deus operatur in nobis totum id, quod ad salutem obtinendam est necessarium, reprobatio contra debet a prævisione pendere, quia Deus non est causa malorum, quibus homines pœnas merentur æternas. *Prædestinatio*, inquit S. Thomas I. P. quæst. 23. art. 3. ad 2., *est causa & ejus, quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scilicet gloriæ; & ejus, quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio vero non est causa ejus, quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed est causa derelictionis a Deo*. Vid. etiam in Lect. 2. super c. IX. Epist. ad Rom. sup. n. 251.

275. Ob. ult. Reprobi certe ad aliquem finem creati sunt; atqui non propter vitam æternam: ergo ut intereant; adeoque &c.

276. Resp. dist. min. Creati non sunt propter vitam æternam, tanquam finem ipsis efficaciter intentum, *conc.*; tanquam finem ipsis non minus, quam aliis propositum, *nego*. Deus vult omnes homines salvos fieri; omnes propterea aliquo modo ad vitam æternam ordinati sunt; & nemo proinde propterea creatus, ut in æternum damnetur, ut Calvinus ore blasphemo pronunciat. *Omnium*, inquit S. Prosper in resp. ad tertiam object. Vincent., *omnium quidem hominum Deus creator est. Sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret; quia alia est causa nascendi, alia pereundi; ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum*. Permittit tamen eorum peccata, ut in illis divinæ suæ justitiæ splendor appareat.

CAPUT IX.

De reprobatione negativa, ejusque causis.

277. Ut supra diximus num. 238., reprobatio *negativa*, seu *inadæquate* sumpta non significat æterni supplicii punitionem, sed solam exclusionem a gloria, tamquam a beneficio indebito, ut aliqui Thomistæ censent; vel, ut aliis placet, solam Dei voluntatem permittendi, ut aliqui sua culpa ab æternæ gloriæ acquisitione deficiant (a).

278. Utcumque vero reprobatio sumatur, nullatenus credimus cum aliquibus, eam dici *negativam*, quasi sit sola prædestinationis negatio, & Deus aliquos ad gloriam eligens de infinita pene aliorum multitudine nihil prorsus decrevisse concipiatur. Haud recta est ista reprobationis negativæ notio; est enim reprobatio pars divinæ providentiæ, & ut loquitur P. Thomas de Lemos, *actus positivus divini intellectus ordinantis per certa quædam media aliquos a regno deficere*. S. Thomas I. P. quæst. 23. art. 3. *sicut prædestinatio*, inquit, *est pars providentiæ respectu eorum, qui divinitus ordinantur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Unde reprobatio non nominat præscientiam tantum, sed aliquid addit secundum rationem, sicut & providentia. Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*. Et de hoc aut nulla, aut non magna esse potest controversia.

279. Controversia non levis est, & admodum difficilis, ubi de hujus reprobationis causis inquiritur; nam vel ipsi Thomistæ inter se discordant. Pro majori autem dicendorum luce notandum est primo, quæstionem hic non esse de causa reprobationis efficiente, quæ non est nisi divina voluntas; neque de causa finali, quæ certe splendor est divinæ justitiæ, cum omnia operetur Deus propter suorum attributorum manifestationem. Unde S. Thom. I. P. quæst. 23. art. 5. ad 3. inquit: *ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur ... Voluit igitur Deus in* hominibus *quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat*. Tota igitur controversia est de causa *meritoria* reprobationis ex parte reproborum, an scilicet aliquod in eis peccatum præcesserit a Deo prævisum, ratione cujus eos a gloria excludere

(a) Reprobationem *negativam* nihil esse aliud, quam exclusionem a gloria, tanquam *a beneficio indebito* multi Thomistæ opinantur. Sed huic sententiæ valide se se opposuit P. Anton. Goudin in tract. 3. *de reprob.* quæst. 3. art. 2. contendens contra Alvarum, Salmaticenses, Jo. a S. Thoma, aliosque, reprobationem non esse voluntatem excludendi a gloria antecedenter ad culpæ prævisionem, sed esse voluntatem permittendi, ut aliqui a gloria culpa sua excidant; positivam autem exclusionem a gloria includi quidem in reprobatione, sed tamen supposita culpa, eamque subsequi, non antecedere. Pro sua autem sententia laudat Capreolum, Cajetanum, Ferrariensem, & Nazarium. His postea accesserunt P. Graveson in epistol. 9. *Theol.* tertiæ classis, qui ejusdem discipulus fuit, & P. Car. Ren. Billuart, qui Goudinum exscripsit fere totum.

voluerit, vel permittere, ut in eo moriantur, ut in infantibus reprobis non baptizatis contingit; vel eo remisso prolabantur in alia, ac demum in finalem impœnitentiam, quod in reprobis baptizatis adimpletur.

280. Notendum secundo, non hic agi de reprobatione *comparative* sumpta, quare scilicet Deus ex tota hominum, vel Angelorum multitudine hos potius voluerit reprobare, quam alios; certum est enim, id e sola imperscrutabili Dei voluntate pendere; quandoquidem ex parte hominum omnia sunt æquelia. Unde Angelicus loco mox laud. ita prosequitur: *sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobarit, non habeo rationem, nisi divinam voluntatem;* sicuti ex sola divina voluntate factum est, ut hæc pars materiæ esset sub forma ignis, & hæc alia sub forma terræ, & a sola voluntate artificis dependet, ut ille lapis sit in hac parte parietis, & ille in alia, quamvis ratio artis habeat, ut aliqui lapides sint in hac, & aliqui in alia. Quæ duo exempla affert S. Doct. ad hanc doctrinam illustrendam.

281. Tota igitur quæstio est de causis reprobationis negetivæ *absolute* consideratæ. De causis inquam ex parte reproborum; ut enim docet Angelicus laud. art. 5. non potest assignari causa divinæ voluntetis *ex parte actus volendi*, sed tantummodo *ex parte volitorum*, *inquantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud*.

282. Molinistæ, qui electorum prædestinationem factam esse volunt ex prævisis eorum meritis, consequenter docent, reprobationem tum Angelorum, tum hominum factam esse ex prævisis reproborum culpis; quæ culparum prævisio cum secum trahet non solum exclusionem a gloria, sed etiam voluntatem infligendi pœnam, quæ culpis prævisis proportione respondeat, nullam aliam proprie reprobationem Molinistæ agnoscunt, quam *positivam* (*a*). Quam sententiam paucis confutabimus, cum jam ex dictis de prædestinatione gratuita, satis exclusa videri possit.

283. Schola Augustiniena aliter sentit de reprobatione Angelorum, aliter de reprobatione hominum in statu naturæ lapsæ. Inter Angelos nempe eos fuisse reprobatos vult, quos Deus auxilio *sine quo*, seu gratia sufficienti, quem solam iis necessariam fuisse docet, pro suo libero arbitrio male usuros prævidit, & ita Molinistis hac in parte consentit. Hominum vero reprobationem repetit a peccato originali; sed cum aliqua distinctione. Eorum quippe, qui ad gratiam regenerationis non perveniunt, peccatum originale causam reprobationis *proximam* esse statuit: reprobationem autem adultorum baptizetorum etiam a pecceto originali repetit, sed tanquam a causa *remota*, & *radicali*. Vid. Laur. Berti Libro V. *de Theol. discipl.* c. 18.

284. Thomistæ denique in tres dividuntur classes. Sunt namque primo, qui reprobationem negativam a sola Dei voluntate repetunt; cum enim, inquiunt, gloria æterna beneficium sit gratuitum, nullique vel Angelorum, vel hominum debitum, sine ulla prorsus injustitiæ nota Deus aliud aliquibus denegat, quos propterea minime prædestinatos, vel *negative* reprobatos vocamus; vel ut alii loquuntur, ex solo voluntatis suæ beneplecito permittit Deus, ut aliqui tam ex Angelis, quam ex hominibus suæ defectibilitati relicti ab æterna gloria propria sui ipsorum culpa excidant. Sunt præterea, qui considerantes, electionem hominum ad gloriam non fieri, nisi post prævisionem peccati originalis, adeoque ex messa jam corrupta, consequenter cum Augustinianis putant, hominum reprobetionem negativam non esse nisi justam derelictionem in eadem messe, seu, ut loquitur Augustinus, *non liberationem*. Demum alii utramque sententiam simul copulant dicentes, Deum *duplici titulo* homines quosdam reprobasse, *& quia gratia, & gloria eis non debebatur, & quia insuper filii iræ propter originale peccatum inspiciebantur, ita ut originale peccatum fuerit radicalis ratio reprobationis*. Ita Thomas de Lemos, quem postea alii secuti sunt (*b*). Hanc sententiam declarabit sequens

PRO-

(*a*) Dion. Petavius, postquam in Lib. IX. *Theolog. Dogm.* c. 9. agnoverat duplicem *vulgo a* Theologis distingui reprobationem, scilicet *negativam*, & *positivam*, Lib. X. c. 3. *negativam* reprobetionem *nullam* esse steinit; atque his verbis suam, suæque scholæ de reprobatione sententiam proponit: *Hanc Dei gratiam* (sufficientem) *cum mortales omnes accipiant, & ad salutem invitentur, non omnes tamen aut admittant, aut admissam retineant, ex eo meritorum dispar conditio, ac diversum de illis summi & incorrupti judicis arbitrium existit: qui quos sponte ac libera voluntate consensuros ac perseveraturos prævidit, in gloriam prædestinavit ex æterno: quos autem eadem libertate refragatoros, aut minime constantes futuros præscivit, damnat illos, ac reprobat. Cujas materia, causaque reprobationis est, vel originalis culpo sola, quam non baptismi salutaris unda diluit, ut infantibus præcoci morte subtroctis accidit; vel cum originis noxa propria insuper volantate commissa, qualis in grandioribus infidelibus inest; vel sola ista propria, quam sibi quisque conscivit, ut qui & baptismo initiati sunt, & acceptam ibi gratiam suo vitio perdiderant*. Card. tamen Bellarminus Lib. II. *de gratia, & lib. arb.* cap. 16. reprobationem negetivam admittit, eamque e sola Dei voluntate ante prævisionem peccatorum pendere docet.

(*b*) Prima sententia est Guill. Estii, Sylvii, Salmaticensium, aliorumque multorum. Imo Vinc. Contensonius Lib. II. *Theol. mentis & cordis* Dissert. VI. cap. 2 specul. 2. vult, Thomistas, *qui necessitatem gratiæ per se efficacis pro omni stato admittunt, quique confitentur prædestinationem Angelorum esse ante prævisa merita, & reprobationem Dæmonum esse ante prævisa demerita (neque enim in illis fuit originale peccotum), non posse nisi oblitos suæ doctrinæ, & principiorum suorum, asserere, reprobationem hominum, prout est exclusia a beneficio indebito, supponere peccatum ori-*

PROPOSITIO I.

Reprobatio negativa hominum facta videtur intuitu peccati originalis; ita tamen ut etiam juste a Deo fieri potuisset ex eo solo, quod gratia, ad salutem necessaria sit beneficium creaturæ rationali prorsus indebitum.

285. Prima hujus propositionis pars manifeste insinuatur a S. Paulo in multis locis, præcipue autem in epist. ad Romanos, ubi loquens de prædestinatione aliquorum ad gloriam, aliorumque ab eadem gloria reprobatione, utramque factam esse semper dicit ex massa generis humani vitiata per peccatum primi parentis. Primo enim prædestinationem electorum appellat *misericordiam*, seu liberationem a peccato, reprobationem vero *indurationem*, seu derelictionem in peccato; cap. IX. 18.: *cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*. Præterea Deum prædestinantem, & reprobantem comparat figulo, qui habet potestatem, *ex eadem massa* (*utique merito recteque damnata*) *facere aliud vas in honorem*, (*indebitum propter misericordiæ gratiam*), *aliud vero in contumeliam* (*debitam propter iræ justitiam*). Ita verba Apostoli commentatur S. Augustinus epist. 194. n. 23.

286. Ex his autem manifeste apparet, primo reprobationem nihil esse aliud, quam derelictionem in conspersione per peccatum vitiata, adeoque factam intuitu peccati originalis, deinde prædestinationem appellatam *misericordiam*, adeo esse gratuitam, ut pro suæ voluntatis beneplacito potuerit Deus eam, quibus voluerit, citra injustitiam denegare. Quod uberius Apostolus declarat exemplo Jacob, & Esau, quorum priorem Deus *dilexit*, alterum autem *odio habuit*; *cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali*. Quæ verba ita pulchre commentatur S. Augustinus epist. 194. num. 34. *Quid diligebat* (Deus) *in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Quod si illud odium cum S. Thoma I. P. quæst. 23. art. 3. ad 1. minus proprie intelligamus, inquantum quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, idem perinde est, ac si dicatur, Deum aliquibus non velle hoc bonum, quod est liberatio a conspersione massæ damnatæ; ut proinde reprobatio nihil sit aliud, quam derelictio intuitu peccati originalis facta.

287. Præcipue cum idem Angelicus exponens ea sequentia Apostoli verba vers. 22. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum* &c. Lect. IV. primo ostendat, nomine *iræ* hic intelligi *justitiam vindicativam*: secundo reprobos vocari *vasa iræ in interitum, idest in se habentia aptitudinem ad æternam damnationem*; quia nempe, ut prius dixerat S. Doctor, *ipsi de se habent dispositionem ad malum ex corruptione primi peccati*. En quomodo reprobatio hominum negativa facta sit intuitu peccati originalis ad mentem Apostoli, prout eum S. Augustinus, & S. Thomas nobis exponunt.

288. Sed adhuc evidentius hanc Apostoli mentem assequemur, si Augustini ductum sequamur (a). Primo enim hic S. Pater prædestinationem cum Apostolo semper nominat *liberationem a massa perditionis*; atque ex opposito reprobationem vocat *derelictionem in eadem conspersione damnata*; & primam uni Dei misericordiæ tribuit, alteram justitiæ. Unde etiam hujus caussam assignari posse ait, alterius vere non. *Quærimus*, inquit epist. 194. n. 14. *meritum obdurationis* (seu reprobationis), *& invenimus; merito namque peccati universa massa damnata est .... Quærimus autem meritum misericordiæ, nec invenimus, quia nullum est*. Deinde nihil apud hunc divinæ gratiæ Doctorem frequentius, quam es-

ginale. Postea miratur, P. Gonetum, qui tam strenue Thomistica dogmata *Clypea* suo tutari solet, hac in parte a trita Thomistarum *omnium* semita recessisse; *nullumque* dicit ante ipsum *discipulum S. Thomæ* hanc sententiam prælo mandasse. Contensonius cum hæc scriberet, videre non potuit insigne opus de Lemos inscriptum *Panoplia gratiæ*, quod nonnisi biennio post Contensonii obitum anno 1676. Leodiensibus typis prodiit. Hæc tamen Contensonii verba aliquos celebres nostræ familiæ Theologos minime absterruerunt, quin Goneti sententiam amplecterentur. Eam enim adoptarunt, saltem ut *probabilem* Petrus de Godoy Episcopus Oxomensis in I. P. S. Thom. Tract. 8. disp. 69., & Card. Gotti T. IV. in I. P. quæst. 4. dub. 2. §. 4. Antoninus autem Massouliens Diss. 1. quæst. 8. art. 12. Tom. I. *de Divin. Motione* de hac sententia inquit: *quam ego verissimam S. Augustini & Thomæ sententiam esse non dubito*.

(a) Adeo manifestum est, a S. Augustino caussam reprobationis hominum fuisse ab originali corruptione petitam, ut Dion. Petavius, qui Molinistis consentiens omnem reprobationem *negativam* inficiatur Lib. IX. *Theol. dogm.* c. 9. postquam multa in hanc rem S. Patris testimonia attulisset, ita subdat: *Mentior, nisi hoc disertissima oratione idem asserat Augustinus epist.* 106. (nunc 186.) &c. Quam sinceram tanti viri confessionem immerito carpere Tournellius videtur, dum S. Doctorem volentem volentem ad suam sententiam pertrahere conatur. Hinc Thomas de Lemos ægre admodum fert, aliquos ab Augustini doctrina in hoc dogmate (quod ipse vocat *universalissimum ejus sententiæ fundamentum*.) recessisse; neque enim inquit c. 11. Augustini adversariis *aliquid jucundius potest evenire*. Postea subdit: *Hanc autem de reprobationis causa doctrinam S. P. Aug. ex Apostolo ad Rom. IX. desumpsit, in illius verbis fundavit, atque ex littera ipsa deduxit; illum vero minus Apostolum intellexisse, qui post Apostolum secundus gratiæ defensor meruit nuncupari, & qui per tot annos in hujus doctrinæ elucidatione laboravit, quis dicat?*

esse ab electis divinam misericordiam laudibus celebrandam, nullatenus vero a reprobis Dei justitiam culpandam, quia omnes prorsus homines propter originalem culpam reprobari merebantur. Sic in *Enchiridio* c. 99. de Deo inquit: *Miseretur magna bonitate*, *obdurat nulla iniquitate*; *ut nec liberatus de suis meritis glorietur*, *nec damnatus nisi de suis demeritis conqueratur*. *Sola enim gratia redemptos discernit a perditis*, *quos in unam perditionis concreverat massam ab origine ducta causa communi*. Ad quod comprobandum perpetuo utitur Apostolica illa similitudine *massæ luteæ*, ex qua figulus arbitratu suo aliud vas fingit in honorem, aliud in contumeliam. Et in finem ejusdem capitis concludit, *universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum*, *ut etiamsi nullus inde liberaretur*, *nemo recte posset Dei vituperare justitiam*. Similibus phrasibus pleni sunt libri, quos S. Augustinus contra hæresim Pelagianam conscripsit.

289. Neque a S. Augustino recessit in hac materia fidissimus ejus discipulus S. Thomas, sæpe, & luculenter docens, causam reprobationis negativæ hominum fuisse peccatum originale; quanquam haud raro aliam etiam addit, quod ad divinam providentiam pertineat permittere, aliquos a fine æternæ gloriæ deficere. Et quidem omnino decretorius est textus ille ex Quæst. VI. *de Verit.* art. 2. ubi suam, & Magistri sui Augustini mentem declarat. Cum enim num. 9. sibi objecisset, electionem Dei, utpote *rationabilem*, debere ex meritorum prævisione procedere, ita respondet: „ Electio Dei, qua unum eligit, & alium reprobat, „ rationabilis est; nec tamen oportet, quod ratio „ electionis sit meritum: sed in ipsa electione ratio est divina bonitas; *ratio autem reprobationis est in hominibus peccatum originale*, *ut* „ *dicit Augustinus*, vel in futuro (a) per hoc ipsum, quod est non habere debitum ad hoc, „ quod eis gratia conferatur. Rationabiliter autem „ possum velle denegare alicui, quod sibi non debetur. " Hoc unum testimonium sufficere videtur ad mentem S. Thomæ probe cognoscendam, „ quæ a mente S. Augustini minime discordat. "

290. Utramque reprobationis causam iterum conjungit Angelicus in Lect. 3. & 4. super cap. IX. epist. ad Rom.; in Lect. enim 3. ut omnem injustitiæ suspicionem a Deo reprobante amoveat, duabus utitur similitudinibus; nempe primo alicujus, qui pro suo arbitratu det uni pauperi eleemosynam, alteri non det: secundo alicujus, qui uni velit remittere injuriam, alteri non. Profecto primum exemplum ostendit, causam sufficientem reprobationis esse divinam providentiam, quæ aliquos citra injustitiam permittit a fine æternæ gloriæ deficere; cum nemini teneatur ea gratiæ dona largiri, quique prædestinati efficaciter adjuvantur, ne a fine deficiant. Alterum vero manifestat liberam Dei voluntatem, qua ex tota hominum massa corrupta aliquos vult liberare parcendo, alios autem vult in eadem relinquere, ac permittere, ut a suo fine deficiant.

291. Idipsum alio modo explicat S. Doctor Lect. 4. ubi duplicem vilitatem in homine considerat, aliam ex materia, qua compactus est, alteram *majorem ex corruptione peccati*: ex utraque autem infert, nullam homini fieri injuriam, si Deus ipsum *ad meliora non promoveat*, sed *deputet ad infimum usum*. Et iterum duplex causa &c.

292. Ob. primo ex sacris litteris. S. Paulus ad Rom. IX. quemadmodum salvandorum electionem, ita & aliorum reprobationem tantummodo repetit a Dei beneplacito, qui *cujus vult miseretur*, & *quem vult indurat*. Quod ulterius declarat exemplo figuli, qui pro sua potestate ex eadem luti massa aliud vas facit *in honorem*, aliud *in contumeliam*. Ulterius hoc supremum Dei dominium in varias hominum sortes ante Paulum pulchre describit Ecclesiasticus Cap. XXXIII. ubi postquam dixit, a Domini sapientia immutata esse tempora, & dies festos constitutos, aliosque profanos relictos: ubi certe sola discretionis causa est voluntas Dei; postea ad homines transit vers. 10. eosque ait esse *de solo*, & *ex terra*, *unde creatus est Adam*, ac demum subdit vers. 11. & seq. *In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos*, & *immutavit vias eorum*. *Et ipsis benedixit*, & *exaltavit*, & *ex ipsis sanctificavit*, & *ad se applicavit*: & *ex ipsis maledixit*, & *humiliavit*, & *convertit illos a separatione ipsorum*. *Quasi lutum figuli in manu ipsius*, *plasmare illud*, & *disponere*. *Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus*, *sic homo in manu illius*, *qui se fecit*, & *reddet illi secundum judicium suum*. Quæ omnia supremum Dei dominium, ut in ceteris creaturis, ita in hominum electione, vel reprobatione manifeste declarant.

293. Resp. ex iis, quæ supra observavimus num. 286. manifeste constare a S. Paulo in laud. loco massam hominum considerari, ut peccato originali jam corruptam, atque æternæ damnationi addictam; unde quando soli divinæ voluntati tribuit, quod aliquorum misereatur, alios induret, de reprobatione *comparative* sumpta intelligendus est, quæ certe a sola divina voluntate dependet. Inde tamen non efficitur, quod Deus infelices reprobos una cum Esau odio non habeat pro-

(a) Noster P. Ant. Goudin in suo *Tract. posth. de repr.* p. 704. considerans hæc verba S. Th. *nullum sensum efficere*, putavit, locum esse corruptum, & ita legendum: *vel etiam fuit hoc ipsum*, *quod est non habere debitum &c.* Laudat autem Capreolum ita legentem. Sed optandum esset, ut consultis codicibus, si qui sunt, vera lectio determinaretur.

298. Cum vero S. Doctor dicit, reprobationem includere voluntatem permittendi aliquem *cadere in culpam*, intelligi debet, non de ipso casu in culpam originalem, cujus præscientia certe tam reprobationem præcessit, quam prædestinationem, sed potius de voluntate permittendi, ut eliquis in ipsa culpa remaneat, seu de ipsius Dei derelictione. Id patet primo, quia ipse S. Doctor in eadem erticulo ad 2. clerius se explicens inquit: „ Reprobatio non est causa ejus, quod est in præsenti, scilicet culpæ, sed est causa *derelictionis a Deo*“. Id patet ulterius, quie permissio peccati non est semper conjuncte cum reprobatione, electi enim sæpius in peccata labi permittuntur, sed potius derelictio in peccato cum reprobetione conjungitur. Et quanquam in reprobatione Angelorum nullum fuerit peccatum præcedens, in quo relinquerentur, ettamen & de ipsis aliquo sensu vere dici potest, quod reprobatio incluserit voluntatem permittendi, ut caderent in peccatum, & in ipso *derelinquerentur*.

299. Quod objectum fuit ex Opere ad Annibaldum, facile solvitur; primo quia certum modo est, illud opus perperam S. Thomæ adscribi (*a*). Deinde quia etiamsi eo loco nomisi una, & sufficiens causa reprobationis hominum assignetur, nempe quod salus æterna sit beneficium indebitum, in aliis tamen locis S. Præceptor etiam ad peccatum originale, tanquam ad veram reprobationis hominum causam, confugit.

300. Ob. 3. potissimum, & difficillimum argumentum de reprobis baptizatis, quorum reprobationis peccatum originale esse causam, intelligi non potest; fide enim certa credimus, in iis fuisse omnem culpam integre remissam, nihil Deum odisse, nihilque damnationis superesse, ut totidem verbis Concilium Tridentin. definivit Sess. V. Quod si peccatum originale non est causa reprobationis in baptizatis, neque erit in aliis (*b*).

301. Resp., in baptizatis peccatum originale non esse causam damnationis proximam, & immedietam, esse tamen causam *remotam*, & *radicalem*; quanquam enim in baptismo tota originalis culpa penitus deleatur, quantum *ad reatum*, remanet tamen etiam in renatis concupiscentia, quæ ex peccato est, & ad peccatum inclinat. De humana natura, inquit Sanct. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 9. *licet per gratiam sanetur, quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio, quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur Rom. VII. 25.* Ut itaque huic concupiscentiæ, quæ jugiter ad peccandum nos sollicitat, efficaciter, & usque ad finem vitæ resistamus, magno gratiæ Dei auxilio indigemus, quod Deus pro sua ineffabili misericordia electis tribuit, pro sua autem justitia aliis denegat; quo fit, ut propria sua culpa in actualia peccata ruentes, infeliciter tandem damnentur.

302. Dices primo. In hac sententia peccatum originale, licet in renatis integre remissum, & deletum, erit causa, cur Deus reprobis efficax suæ gratiæ auxilium ad resistendum concupiscentiæ deneget, adeoque ut damnentur; unde vera non erit Trident. Synodi definitio, *in renatis nihil esse damnationis*. Ita enim ratiocinari possumus: ideo iste baptizatus damnatur, quia rebelli concupiscentiæ cedens in peccatum est lapsus, in eoque mortuus; ideo autem permissus est in peccatum labi, in eoque mori, quia Deus eum noluit e massa perditionis æterna prædestinatione liberare: ergo non obstante sacramenti regenerationе aliquid in eo damnationis remansit, propter peccatum originis, quod influit in ipsam reprobi baptizati damnationem.

303. Resp. peccatum originale esse *primam* & *remotam* radicem, & causam, ob quam Deus reprobis baptizatis auxilium efficax ad perseverandum denegat, non tamen *formaliter*, sed tantum *materialiter*; quod sic explico. Peccatum originale remissum certe non potest *per se* influere in denegationem gratiæ, & perseverantiæ finalis; quasi Deus ex eo peccato penitus condonato moveatur ad hæc sua beneficia denegenda. *Materialiter* tamen, & absque ullo virtuali influxu potest esse prima causa, & prima radix, ob quam Deus reprobis peculiaria, & indebita suæ misericordiæ dona non tribuat, quatenus ejus intuitu Deus eliquos a sua gloria exclusit, quibus nihilominus ex inscrutabili judiciorum suorum abysso gratiam regenerationis conferri voluit, sed non perseverantiam in bono; ex vi scilicet æterni sui, & immutabilis decreti, quo eos exclusos voluit e gloria; cujus jus peccato originali amiserant. Peccatum itaque originale causa fuit decreti reprobationis, quod nostro intelligendi modo præcessit voluntatem delendi in aliquibus reprobis eamdem originalem noxam; decretum autem reprobationis includit permissionem peccati illius, propter quod reprobus damnatur. Et sic peccatum originale est causa *remota*, & *radicalis*, cur reprobis baptizatis negetur perseverantiæ donum, non tamen *formaliter*, quasi ejus intuitu hoc fiat, sed *materialiter* tantum, quatenus ejus intuitu, antequam re-

(a) Illud opus esse adscribendum Annibaldo Cardinali Ord. Præd. ostendit P. Bern. de Rubeis in diss. *Criticis de gestis, scriptis ac doctr. S. Thomæ* Dissert. X. cap. V. Vid. etiam P. Echard. *de Scriptor. Ordin. Præd.* in S. Thoma, & Dupinius in *Biblioth.* Sæc. XIII. cap. 4.

(*b*) Aliqui discipuli S. Thomæ hoc argumentum veriti, dixerunt, peccatum originale causam esse reprobationis eorum duntaxat, in quibus remittendum non erat. Sed bene advertit Thomas de Lemos num. 222. hanc sententiam *sustineri non posse*, quod variis rationibus ostendit.

remitteretur, factum jam erat irrevocabile reprobationis decretum; unde consequitur permissio peccati, & in eo derelictio.

304. Dices secundo. Si peccatum originale fuit causa reprobationis etiam in iis, in quibus per baptismum delendum erat, reprobatio autem est causa permissionis peccati, manifeste sequitur, peccatum originale etiam in renatis esse causam denegationis gratiæ, & permissionis peccati; ut enim habet philosophicum adagium, *quod est causa causæ, est causa causati*. Cum itaque dici non possit, peccatum originale in renatis, & justificatis esse causam denegationis gratiæ, ac permissionis peccati, neque dici potest &c.

305. Resp. neg. sequelam: quemadmodum sequela non admitteretur, si quis ita colligeret: Peccatum originale fuit occasio, immo etiam suo modo causa, ut Christus prædestinaretur; sed prædestinatio Christi fuit causa nostræ prædestinationis; ergo peccatum originale fuit occasio, vel causa nostræ prædestinationis, quæ certe conclusio falsa omnino est. Peccatum igitur originale fuit prima causa reprobationis etiam eorum, in quibus dimittendum erat; decretum autem reprobationis causa fuit permissionis peccati: nec tamen propterea dici potest, peccatum originale jam dimissum esse causam permissionis peccati, aut in ipsam permissionem virtualiter influere, quæ tota ab immutabili reprobationis decreto pendet.

306. Axioma autem illud philosophicum tunc solum obtinet, quando inter primam, & secundam causam nulla contingit variatio; ac proinde primum ita est causa secundi, ut secundum producat suum affectum ex vi primæ causæ; non autem si aliqua variatio contingat, propter quam causa prima non amplius influat in effectum causæ secundæ. Sic ex. gr. si Petrus, postquam Paulo suasit furari, consilium mutet, & Paulo suadeat non amplius furari: si iste nihilominus furetur, non poterit furtum tribui Petro, dicendo, Petrus fuit causa, ut voluntas Pauli ad furandum excitaretur: fuit ergo causa furti, quod nunquam in mentem Pauli venisset, nisi suggerente Petro; non inquam Petro posset tribui furtum, dicendo: *quod est causa causæ, est causa causati &c.* propter mutationem secutam. Ita in casu nostro: peccatum originale fuit causa reprobationis, quæ a nobis facta supponitur ante voluntatem concedendi reprobis gratiam baptismatis. Unde peccatum originale per baptismum penitus sublatum, non amplius potest esse causa permissionis peccati, per quod reprobus damnetur; sed baptismum subsequens non tollit, nec mutat reprobationis decretum, ex quo permissio peccati oritur.

307. Alia est etiam difficilis hujus objectionis solutio, qua potissimum Augustinianæ scholæ Theologi uti solent; videlicet peccatum originale, utut baptismate penitus deletum, causam esse posse permissionis, ut reprobi a justitia decidant, causam, inquam, non per se, quia non amplius existit, sed *per effectum*, nempe per concupiscentiam, quæ etiam in renatis superest. Hæc enim concupiscentia cum perpetuo ad peccandum sollicitet, vix, ac ne vix quidem fieri potest, quin homines etiam justi non aliquando vincantur, nisi eos fortissimum Dei auxilium, quod nemini debitum est, in justitia perseverantes conservet. Quare autem hoc speciale auxilium Deus aliquibus deneget, non aliunde, quam ab æterno eorum reprobationis decreto repeti potest, ut supra explicatum est (*a*).

308. Dices tertio. S. Augustinus *de corrept. & grat.* cap. 8. expendens istam ipsam quæstionem, cur Deus iis perseverantiam aliquando non det, quibus fidam, & dilectionem dederat, non confugit ad eorum reprobationem intuitu peccati originalis factam, sed ad inscrutabilia judicia Dei.

309. Resp. S. Doctorem simul & ad profunditatem judiciorum Dei, & ad reprobationem eorumdem, tanquam ad causam, confugere, neque enim unum aliud excludit. Ibidem cap. 9. totus est, ut ostendat contra Pelagianos causam, cur aliqui in justitia perseverent, esse quia filii Dei sunt in *memoriali Patris inconcussa stabilitate conscripti*; causam vero, *cur aliis filiis Dei* perseverantia non donetur, esse, quia *erant quidem ex multitudine vocatorum*, ex electorum paucitate non fuerunt. Quare autem ex hac paucitate non fuerint, inscrutabilia sunt judicia Dei.

310. Supervacaneum vero puto multis verbis aliquorum scrupulum removere, quibus visum est, aliquam inter nostram, & blasphemam Calvini sententiam de reprobatione affinitatem inveniri. Calvinus enim originale peccatum effectum esse reprobationis dicebat; nos autem dicimus esse causam. Calvinus homines ad peccata prædestinari a Deo, & impelli blasphemabat: nos vero peccata solum a Deo permitti docemus. Calvinus peccatum originale baptizatis solum non imputari, non autem vere, ac penitus ab eis tolli, ut nos credimus, arbitrabatur. Calvinus denique concupiscentiam in renatis verum esse peccatum contendebat; nos autem cum Sacros. Trid. Synodo eam ex peccato esse, & ad peccatum inclinare, sed propria non esse peccatum, confitemur.

(a) Videri hac de re possunt insigniores Augustinianæ Scholæ Theologi, ut Card. Norisius in *Vindiciis August.* cap. 4., & P. Laur. Berti Lib. VI. *de theol. discipl.* cap. 18. Ex nostris autem præcipue consul. P. Thomas de Lemos in *Panoplia gratiæ* Tract. 4. de *reprob.* c. 21. & seq. quem presse secuti sumus.

PRO-

PROPOSITIO II.

Causa reprobationis negativæ non potest esse peccatum actuale prævisum.

311. Prob. primo ex verbis illis Apostoli Pauli ad Rom. IX. 11. ubi de geminis Rebeccæ filiis inquit: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.... non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei.... Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quæ verba, ut invictum S. Augustino suppeditabant argumentum ad probandum contra Pelagianos, prædestinationem electorum non fuisse ex operibus prævisis, sed ex gratuita Dei dilectione; ita nobis immobile præbet fundamentum, ut contra Molinistas statuamus, reprobationem negativam non fuisse factam ex prævisis culpis actualibus, sed vel ex sola prævisione peccati originalis, vel etiam ex sola voluntate Dei, qui ex profunditate judiciorum suorum aliquos in peccata labi permiserit, atque ab æterna gloria deficere. *Quid enim*, inquit S. Pater in ep. 194. c. 8. *Deus diligebat in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat; neque in isto odisset naturam, quam bonam ipse fecerat.*

312. Nullus profecto esset dicendi finis, si omnia, quæ in hanc rem scripsit Augustinus, coacervare vellemus. Prætereunda ea tamen omnino non sunt, quibus S. Pater illam Pelagianorum responsionem merito explodebat, Apostolum scilicet exclusisse a duobus geminis opera præterita, non autem, quæ in ipsis futura esse Deus prævidit. „ Mirum est autem, inquit ibidem, de Pelagianis, cum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis. *Ideo*, inquiunt, *nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat.* Quis illum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? ... Hic erat locus ut diceret, quod isti sentiunt: *futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat.* Non autem hoc Apostolus dicit &c. "

313. Ubi etiam obiter observo, nullo modo hic posse adversarios ad illam exceptionem confugere, quam adhibere solent, quando agitur de gratuita prædestinatione ad gloriam, scilicet Apostolum, & Augustinum excludere solum opera facta sine gratia. Non, inquam, hæc exceptio adhiberi potest, quando agitur de prævisione operum malorum, ex qua pendere dicunt reprobationem; ad opera enim mala certe nulla requiritur gratia; quapropter cum Apostolus, & Augustinus dicunt, Esau odio habitum fuisse, antequam mali aliquid egisset, apertissime significant, illius reprobationem, atque etiam aliorum, quorum Esau figuram gerebat, non esse factam intuitu alicujus peccati actualis prævisi. Observo etiam, S. Augustinum, cum tam sæpe peccatum originale causam esse dicat reprobationis hominum (ut vidimus propositione præced.), nullibi mentionem facere culparum actualium, quarum intuitu Deus homines reprobaverit.

314. Probatur secundo ex S. Thoma, qui pariter nullibi prævisionem peccatorum actualium reprobationis hominum causam fuisse innuit; sed eam semper vel a simplici Dei voluntate repetit, vel ab originali peccato, quod supra ostendimus. Præterea omnino luculenter eam peccatorum prævisionem excludit Quæst. VI. *de Verit.* art. 2., ubi probat, præscientiam meritorum non esse causam prædestinationis. Cum enim sibi objecisset n. 11., ita se habere bonum usum gratiæ ad effectum prædestinationis, sicut se habet abusus gratiæ ad effectum reprobationis: sicut ergo abusus gratiæ in Juda fuit ratio reprobationis ejus, ita & bonus usus gratiæ in Petro, & alio quolibet in causa est, quare ipse est electus, vel prædestinatus; cum, inquam, id sibi objecisset, ita respondet *ad* 11. *dicendum quod præscientia abusus gratiæ non fuit causa reprobationis in Juda, nisi forte ex parte effectus;* quia scilicet peccatum actuale prævisum causa est damnationis, quæ est ultimus reprobationis effectus.

315. Ulterius doctrina est S. Præceptoris inconcussa, sicuti etiam S. Augustini, reprobationis *comparative* sumptæ nullam assignari posse causam, sed duntaxat aliquam assignari reprobationis *absolutæ* (vid. sup. n. 280.) At vero si prævisio peccatorum actualium causa esset reprobationis, jam facile redderetur ratio, quare Deus hos potius, quam alios reprobasset, quia nempe horum peccata prævidit, aliorum non prævidit: sic ex. gr. Deus Judam reprobasset, quia ejus impœnitentiam præscivit, non reprobasset autem Petrum, quia eum suæ prævaricationis pœnitentiam acturum novit: ergo cum Angelicus nullam processus velit esse hujus reprobationis comparativæ causam, sequitur ejus mentem &c.

316. Demum permissio peccati actualis, per quod quis damnatur, est reprobationis effectus, non ergo potest esse ejusdem reprobationis causa. Primo igitur Deus ex altissimis suæ ineffabilis providentiæ finibus permittere voluit, ut aliqui ab æterna gloria exciderent, eosque proinde in massa damnationis relinquere; post autem peccata, in quæ sibi ipsis relicti prolapsuri erant, prævidit, eisque promeritas pœnas destinavit; unde patet progressus a reprobatione negativa ad positivam, nempe ut supra n. 236. cum S. Thoma observavimus, *reprobatio includit voluntatem permittendi, aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

317. Obj. primo. Reprobatio in sacris litteris vo-

vocatur *odium Dei*, *& ira Dei*, *Roman. IX.*; sed solum peccatum odit Deus: ergo reprobatio supponit peccatum, vel saltem ejus prævisionem. Hinc illa S. Augustini vox in L. I. *ad Simpl.* q. 2. T. VI. *non igitur odit Deus Esau hominem*, *sed odit Deus Esau peccatorem*.

518. Resp. primo, in sententia eorum, qui reprobationem factam esse volunt intuitu peccati originalis, quam supra propugnavimus, vere, & proprie dici posse, Deum *odio habere* reprobos, non quidem propter ipsorum peccata actualia prævisa, sed propter peccatum originale. Unde etiam S. August. ep. 194. *Quid oderat*, inquit, *Deus in Esau antequam natus fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Secundo in alia eorum sententia, qui volunt, reprobationem negativam a solo divinæ voluntatis nutu dependere, *odium* minus proprie sumitur pro non dilectione ad vitam æternam: *Inquantum*, inquit S. Thomas I. P. qu. 23. artic. 3. ad 1., *Deus quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos odio habere*, *vel reprobare*.

519. Obj. 2. Reprobatio est illud æternum Dei decretum, quo vult aliquos privare æterna beatitudine; atqui crudele nimium videtur, Deum absolute, & absque ulla peccati prævisione velle homines hac æterna beatitudine privare, & deinde media ordinare, quibus reprobi ad damnationem æternam perveniant, scilicet permissionem illius peccati, per quod æternis suppliciis torqueri mereantur. Hoc enim aut nihil, aut certe parum distat ab horrendis illis blasphemiis Calvini, quas cap. II. refutavimus.

520. Resp., hanc difficultatem, quæ magna primo aspectu videtur, plane evanescere, posita illorum sententia, qui dicunt, reprobationem factam esse intuitu peccati originalis. Eo enim peccato totum genus humanum ita infectum est, ut si Deus voluisset pro sua justitia omnes omnino ab æterna beatitudine repellere, nulla certe in eo crudelitatis umbra appareret. Magna igitur, & ineffabilis ejus misericordia est, quod aliquos voluerit ab illa peccatrice massa separare, aliis in eadem relictis. *Laudet misericordiam qui liberatur*, *non culpet judicium*, *qui non liberatur*, ut sæpe repetit S. Augustinus. Nec opus est exemplis id magis illustrare, cum res sit ex se ipsa satis manifesta. Sed etiamsi dicatur cum aliis Thomistis, reprobationem aliquorum negativam oriri ex Dei providentia, ad quam pertinet, ut ex creaturis natura sua defectibilibus, aliquæ permittantur deficere; non video quomodo injustitiæ, aut crudelitatis argui possit Deus. *Ad providentiam*, inquit S. Thomas I. P. quæst. 23. art. 3. *pertinet permittere aliquem defectum in rebus*, *quæ providentiæ subduntur*, *ut supra dictum est* (quæst. 22. art. 2.) *Unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur*, *pertinet etiam ad divinam providentiam*, *ut permittat aliquos ab isto fine deficere*: *& hoc dicitur reprobare*.

521. Obj. tertio. S. Augustinus Lib. *de nat. & grat.* cap. 26. *Deus*, inquit, *non deserit*, *si non deseratur*. Quam sententiam postea confirmavit Synodus Trid. Sess. VI. cap. 11.

522. Resp., hanc S. Augustini, & Synodi Trident. sententiam intelligendam proprie esse de gratia habituali, quam Deus hominibus justificatis non subtrahit, nisi propter eorum culpam lethalem; non autem de gratia actuali, saltem efficaci, ac multo minus de perseverantia finali, quam utpote beneficium indebitum aliquando Deus denegat etiam justificatis; quod tristis eorumdem lapsuum experientia confirmat.

523. Dices: S. Prosper in tertia resp. ad objecta Gallorum: *Ideo*, inquit de reprobis, *prædestinati non sunt*, *quia tales* (nempe peccatores) *futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt*. Et postea: *Non enim relicti sunt a Deo*, *ut relinquerent Deum*; *sed reliquerunt*, *& relicti sunt*; *& ex bono in malum propria voluntate mutati sunt*; *atque ob hoc licet fuerint justificati*, *ab eo tamen*, *qui illos tales præscivit*, *non sunt prædestinati*. Idem docet S. Fulgentius, inquiens Lib. I. *ad Monimum* cap. 14.: *Prædestinavit illos ad supplicium*, *quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros*.

524. Resp., hos sancti Augustini discipulos laud. verbis non significare causam *consequentis*, sed causam *consequentiæ* tantum, ut loquitur Mag. Lemos: seu voluerunt, omnino consequi, illos homines, qui præsciti sunt casuri, non fuisse a Deo prædestinatos; non autem quasi præscientia illorum lapsus causa fuerit eorumdem reprobationis. Vel illi Sancti Patres de reprobatione ita locuti sunt, non quatenus solummodo negativa est, & illius divinæ providentiæ pars, qua Deus ex inscrutabili judiciorum suorum profunditate permittit aliquos a fine æternæ beatitudinis excidere; sed de ea reprobatione completa, qua Deus peccatum a se permissum, & prævisum punire vult.

525. Obj. 4. S. Thomas Lect. 2. in cap. IX. ad Rom. hoc affert inter prædestinationem, ac reprobationem discrimen, quod *præscientia meritorum non potest esse aliqua ratio prædestinationis*, *quia merita præscita cadunt sub prædestinatione*: *sed præscientia peccatorum potest esse aliqua ratio reprobationis*, *inquantum scilicet Deus proponit se punituram malos propter peccata*, *quæ a se ipsis habent*, *non a Deo*.

526. Resp. facile hæc S. Doctoris verba cum nostra, immo cum ipsius doctrina conciliari, si bene advertamus, prævisionem peccatorum esse non *omnimodam*, sed *aliquam* tantum rationem reprobationis, prout scilicet reprobatio *positive* consideratur, & comprehendit divinam voluntatem infligendi pœnam damnationis æternæ. Tunc enim certe subsequitur prævisionem peccatorum, ut pœ-

na

na sit justa, & justam habeat cum peccatis proportionem. Aliud autem dicendum est, quando reprobatio *negative* sumitur, prout dicit solum permissionem, ut aliqui a fine æternæ beatitudinis excidant.

327. Obj. 5. Peccata hominum actualia prævisa sunt ante ipsorum reprobationem: ergo &c. Ant. prob. Reprobatio, quemadmodum & prædestinatio hominum, facta fuit post decretum Incarnationis Dominicæ; in decreto autem Dominicæ Incarnationis Deus non potuit non videre horrenda illa Judæorum, aliorumque scelera, quibus opus nostræ redemptionis consummatum est; & ut dicitur Lucæ XXIV. 26., *hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Ulterius cum Christum pretiosum suum sanguinem effuderit, non solum in remedium peccati originalis, sed etiam aliorum omnium, quæ futura erant, debuit certe Deus ante Filii sui prædestinationem omnia omnino hominum peccata præcognoscere.

328. Resp. Deum certe unico infinitæ suæ sapientiæ intuitu omnia ab æterno vidisse, sed si pro nostro intelligendi modo aliqua ponenda est inter objecta a Deo prævisa distinctio, primo Deus prævidit peccati originalis permissionem; deinde Verbi sui incarnationem, qua & suæ divinæ justitiæ satisfieri, & nostræ miseriæ subveniri immensa, & prodigiosa caritate voluit. Peccata vero crucifigentium, immo & alia innumera hominum prævisa intelliguntur post Christi prædestinationem; & quia prædestinatus fuerat Christus, ut mundum redimeret, non quocumque modo, sed per mortem crucis, hinc Deus permisit horrenda illa hominum scelera, quæ in Christi crucifixione patrata sunt, atque ita illa prævidit, quibus ad sui maximam gloriam, nostramque utilitatem pro sua justitia, & misericordia usus est. Fuit insuper Christus prædestinatus, ut pretium sanguinis sui etiam pro peccatis actualibus hominum offerret; sed quasi secundario, & ex consequenti; primario enim, & principaliter prædestinatus fuit in remedium peccati originalis, quo tota natura humana infecta erat. Ita S. Thomas III. P. q. 1. art. 4.

CAPUT ULTIMUM.

De effectibus reprobationis.

329. Innuimus supra n. 237., tres esse reprobationis effectus, nempe permissionem peccati, in eo derelictionem, ejusdemque æternam punitionem. Nunc paulo uberius de iis disserendum est, ut etiam superius dictis major lux affulgeat. Cum autem effectus reprobationis omne illud sit, quod Deus agit circa reprobos, ut in iis suam justitiam manifestet, sequitur, tres requiri conditiones, ut aliquid dicatur effectus reprobationis. Prima est, ut sit a Deo; quia reprobatio, ut sæpe dictum est, ad Divinam providentiam pertinet. Secunda est, ut dirigatur ad finem reprobationis, qui est repræsentatio divinæ bonitatis, ut supra n. 296. ex S. Thoma explicuimus. Tertia, ut reipsa ad hunc finem perveniat. His prænotatis

330. Facile intelligitur, primum reprobationis effectum esse illum actum, quo Deus permittit reprobi peccatum, permittit, inquam, positiva voluntate: ut enim inquit S. Augustinus *in Enchiridio* c. 100., *miro, & ineffabili modo non fit præter Dei voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem; quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens*. Ubi tamen duo caute advertenda sunt; primo Deum proprie non velle peccatum, quia peccati vindex est, non auctor; sed solum velle permittere peccatum, seu non impedire: secundo hanc permissionem peccati a Deo esse volitam propter aliquod bonum, scilicet ad manifestationem gloriæ suæ. *Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene*, ut loco laud. prosequitur Augustinus. Hæc est doctrina S. Thomæ, qui I. P. q. 23. art. 3. *reprobatio*, inquit, *includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*. Et Lect. 4. in Cap. IX. Epist. ad Rom., *actus*, inquit, *quem Deus erga reprobos exercet, non est, quod disponat eos ad malum; sed hoc solum Deus circa eos agit, quod eos permittit agere, quæ concupiscunt*.

331. Altera conditio est, ut hæc permissio peccati dirigatur ad finem reprobationis, qui ut sæpe diximus, nihil est aliud, quam gloria Dei in manifestatione justitiæ punitivæ; unde permissio peccati in electis, ut in S. Petro, non est effectus reprobationis; fuit autem in Juda, qui erat filius perditionis. Immo in ipsis reprobis permissio peccati, a quo per pœnitentiam resipiscere debent, proprie non est effectus reprobationis; sed illa solum permissio, quæ conjuncta est cum derelictione, seu subtractione gratiæ efficacis, ac præcipue cum negatione doni perseverantiæ finalis. Hinc multo magis in effectibus reprobationis numerari debet obcæcatio, & obduratio, quæ tamen eatenus solum dependet a Deo, quatenus Deus ex suorum judiciorum inscrutabili abysso non vult reprobis illam efficacem gratiam præbere, quæ a nullo duro corde respuitur; ideo quippe datur, ut auferat a nobis cor lapideum, & præbeat cor carneum, ac docile. Vid. S. Thomas supra num. 263. laudatus.

332. Ultimus demum reprobationis effectus est inflictio pœnæ æternæ, quæ correspondeat omnibus peccatis, in quæ reprobi sibi ipsis dimissi propria malitia delabuntur. Ut autem inquit S. Thomas 1. 2. q. 87. art. 3. ad 4. *Deus non delectatur in pœnis propter ipsas, sed delectatur in ordine suæ justitiæ, quæ hoc exigit*. Prout igitur homines, permittente Deo majoribus, vel minoribus culpis se se contaminant, Deus illis

lis

lis majora, vel minora supplicia præparavit (*a*).

333. Neque vero putandum est, Deum voluisse primo justitiam suam manifestare puniendo, & postea permittere culpas hominum, vel Angelorum, quas puniret, quod inclementiam quamdam redolere videretur. Sed ut S. Thomas bene explicat I. P. q. 23. art. 3., *ad divinam providentiam pertinet, permittere aliquem defectum in rebus, quæ providentiæ subduntur: unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab ipso fine deficere, & hoc dicitur reprobare*. Ex hoc autem infert, quod quemadmodum *prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includat voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa*. Non itaque Deus vult primo pœnam, deinde culpam; sed primo vult ordinem suæ providentiæ servare, qui exigit, ut aliqui permittantur a fine vitæ æternæ excidere; deinde vult istorum peccata permittere, eorumque in peccatis obdurationem, ac tandem debitam eorumdem pœnam.

334. Et hoc quidem de adultis; nam de parvulis sine baptismo morientibus alia est ratio; neque enim in iis locum habet obduratio, sed solum derelictio in peccato originali, eorumque pœna.

335. Ex hactenus dictis colligi potest, permissionem peccati originalis non esse effectum reprobationis. Nam primo supra probavimus, illam permissionem esse causam reprobationis. Deinde peccatum originale fuit a Deo prævisum ante Divini Verbi Incarnationem, ut enim docet S. Thomas 3. P. qu. 1. art. 3., homine non peccante hæc facta non fuisset: hominum autem prædestinatio in vitam æternam, quemadmodum & reprobatio, posterior fuit Christi prædestinatione: permissio ergo peccati originalis non potuit esse effectus reprobationis, quæ posterius in ordine divinorum decretorum concipitur.

336. Difficultas videtur in parvulis morientibus sine baptismo, qui damnantur propter solum peccatum originale; unde verba supra relata S. Thomæ, quod reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam &c., non possunt de reprobatione parvulorum intelligi, nisi supponendo, in iis lapsum in peccatum originis non remittendum, esse ipsorum reprobationis effectum. Difficultas tamen ista breviter tollitur, dicendo, in iis parvulis effectum reprobationis non esse, nisi derelictionem in peccato: verba autem S. Thomæ facile explicantur sumendo pro eodem sive *cadere in culpam*, *sive in eadem deseri*.

Conclusio. Quæ hactenus de reprobatione disputavimus, salutarem debent nobis incutere timorem, quo ad actus pœnitentiæ frequenter exercendos moveamur; exemplum Apostoli imitantes, qui castigabat corpus suum, & in servitutem redigebat, *ne forte reprobus efficeretur*. Salutaris autem iste timor non debet excludere spem, & fiduciam æternæ salutis adipiscendæ; sed eam totam in Deo reponere debemus, non autem in nobis: *Maledictus homo, qui confidit in homine ... Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*. Jeremiæ XVII. 5. & 7.

(*a*) Sanct. Thomas quæst. V. *de Verit*. artic. 7. ostendit, quomodo divina providentia peccatores regat; nimirum cum ipsi providendo sibipsis rectum ordinem non servent, sed provideant sibi secundum modum brutorum animalium, *& divina providentia de illis ordinabit secundum ordinem, qui brutis competit, ut scilicet ea, quæ in eis vel bona, vel mala sunt, non ordinentur in eorum bonum proprium, sed in bonum aliorum ... Ex hoc patet, quod altiori modo divina providentia gubernat bonos, quam malos &c.*

FINIS TOMI SECUNDI.